EL. DOCTOR DON JUAN DE GUZMAN, Colegial del de Malaga, Opositor à las Cathedras de Artes, y Theologia en la Vniversidad de Alcalà, y Canonigo de la Santa Iglesia Magistral de San Justo, y Pastor, escrive al Autor las siguientes

LYRAS.

ma la trompa,
as, toda vozes, toda plumas)
gera rompa
cabo profundo las espumas;
que por el clima mas remoto
nave el Ingenio es su Piloto.
ezas del MARTE
ioso que cantan las Historias,
con tal arte,
y facundia referir victorias;
uien supo vnir en vn sugeto,
Regio Numen de docto, y de discreto?
No acaso minerales,
Que prodigos la tierra fertilizan,
A salados raudales
Perficionan, acendran, y suavizan;
Si del origen Real la alta excelencia
Acrisola quilates de la ciencia.
Vive eterno, felice,
Y siendo del Real LIRIO la fragrancia;
Tu seas quien predize,

nār los māyōres rieſgōs. Y aun debierā yō ſer vn ārrōjado Prometheo, que vſurpaſſe al Padre de las luzes vn brillante rayo, para boſquexar con èl la heroyca ſingular imagen de V. A. (triunfante ſimulacro de la fama) pues ſi ſe han de conformar los matizes con los objetos, mal pueden copiarſe Soles ſin pinceles de rayos.

Guarde Dios à V. A. como la Chriſtiandad, y defenſa de Eſpaña, y Francia han meneſter. Madrid à primero de Enero de 1711.

Sereniſsimo Señor.

Al P. de V. A. ſu mas rendido Capellan

Doct. D. Pedro Luis de la Encarnacion y Retz.

AL SERENIS

LUIS JOSEPH

DVQVE DE

Sereniſsim

A La publica
mi afectu
do epilo
no como
gacion,
ſion de mi voluntad. Ac
ſuficiencia, y atemorizava
la embidia (inceſſante ba

yzios, es mas nocivamente
nfermos ojos. Pero atrope-
d tan peligrosos obstaculos,
isos recelos; el de la insufi-
o se pesa el holocausto fino
si la fineza se mide por lo
que me expongo de la cen-
la fineza: pudiendo la cen-
r sus efectos rigurosos, por
orrones, sin permitirme la
: pues solo me he valido de
s, q de los passados estudios
e mis trabajos) se reserva-
en los Archivos. Y el otro
ia, le vence la reflexion de
A. y si por aver llegado por
s gloria, y valor al summo
iendo la esta venenosa Ser-
inaccessible cumbre de tan
e camo Claudiano:
quod nulla furentis

obsequio, que le ofrece (con la voz de España) mi rendido pasmo, sin que se enoje la generosa modestia de V. A. de que repita, por escrito, la pluma, lo que tan incessablemente pregona la fama: pues no se le aumentan mas que vnos mal formados caractères, que trasladarà la posteridad à permanentes esculpidos bronces; porque no arguyan à V. A. con Marcial, si desdeña esta publica expression:

Ante fores stantem dubitas admittere famam,
Teque piget curæ præmia ferre tuæ?

Si en la magnifica antecamara de V. A. se halla pretendiente la Fama, para presentar el justo memorial, de que la conceda V. A. sus triunfos a su elevado clarin, no es bien que à pretension tan justificada, la embarace el despacho la modestia. Sòlo suplico à V. A. perdone, y disculpe la ossada temeridad de mi discurso (sin que se apague su altivo incendio en los cristales del Eridano) pues mueve las resistencias de mi atrevimiento, assi el consejo del Espiritu Divino, que nos persuade à laurear los Heroes: *Laudemus viros gloriosos*, como el que no se calumniasse de omisso al ingenio Es-

DISPVTATIONES
in tres Libros Aristotelis,
DE ANIMA.
OPVS POSTHVMVM.

AVTHORE

Rmo. P. Doctore Ignatio Francisco Peynado; è Societate Iesu, in Academia Complutensi Primario Sacræ Theologiæ Professore, Examinatore Synodali, Sanctæ Inquisitionis Qualificatore, Marianæ Austriacæ Reginæ Hispaniarum à Confessionibus, &c.

Anno 1698.

CVM PRIVILEGIO.

Compluti: In Officina Francisci Garcia Fernandez, Typographi Vniversitatis.

Summa approbationum, & facultatum.

HIc liber de Anima è prælo excedit approbatus à Collegio Complutensi SS. Trinitatis, & à D. Doctore D. Iosepho Ruiz Delgado eiusdem Vniversitatis Sacræ Theologiæ Cathedratico, vt constat ex eorum approbationibus in fronte libri de Generatione præfixis, quarum originale asservatur in Collegio Complutensi Societatis Iesu. Necnon sub eiusdem facultatibus Supremi Senatus, Ordinarij, & R. P. Provincialis Societatis quibus liber de Generatione luci publicæ permissus est, vt etiam constat ex earum originali in eodem Collegio Societatis asservato.

Summa Taxæ.

D. D. Senatores Regij Senatus decreverunt, vt liber hic de *Anima*, compositus per Reverendissimum P. Doctorem Ignatium Franciscum Peynado Societatis Iesu, octo marapetinis pro singulis plicis divendatur. Datum Matriti die 8. Mensis Iulij, Anno 1698.

D. Bernardus de Solis.

Errata sic corrige.

Pagina 5.columna 2.linea 30. ponere, lege poneret. Pagin. 7.col.1.lin.5. laborat, lege laborant. Pag.8. col.1. lin.40. *corous*, leg. *corpus*. Ibidem col.2.lin.12.separate, leg. separata. Pag.12.col.1.lin.31. Cœlos,leg. Cœlis. Pag. 24.col.1. lin.33.poti, leg.pori. Pag 25.col.1. lin. ultima *ibi*, leg. *ibit*. Pag.35. col.2.lin.22. liceat, leg. licèt. Pag. 36. col.1. lin. 8. prima, leg. primam. Pag. 43. col. 2.lin.1. æquè, leg. æquæ. Ibidem lin. 5. æquè, leg. æquæ. Pag. 51. col. 1.lin.29. publicis, leg. duplicis. Pag. 55. col.1.lin.lin.1. *dispositionem*, leg. *dispositione*. Pag.70.col.1. lin.reputativi, leg. reputavi. Pag. 80.col.1.lin.27. *intellectivus*, leg. *intellectiva*. Pag.81.col.2.lin.1. maioitater, leg. maioritate. Pag.83.col. 1.lin. 10. intellsigibills, leg. intelligibili. Pag. 85. col. 1. lin. 27.ast, leg. est. Ibidem. col. 2. lin.28. exigentiam. leg. existentiam. Pag 90. col. 1. lin. 33.sumptè, leg. sumptæ. Pag 101. col.1.lin.32.vnica, leg. vnita. Pag. 112. col.2. lin. 6. excedere, leg. exercere. Ibidem lin. 23. infrigiditare, leg. infrigidare. Pag. 115. col. 2. lin. 23. argumentum, leg. augmentum. Pag. 232. col. 2. lin. 9.ponis, leg. ponitis. 137. col. 2. lin. 35. particularem,leg.particulam. Pag.189. col. 1. lin. 22.producitur, leg. producuntur. Ibidem.lin.vltima *activum*,leg. *actuum*. Pag.206.col.2.lin.25.præteritam,leg.præsentiam.

Ex Commissione Supremi Castellæ Senatus, vidi Librum inscriptum Tractatus de Generatione, & Anima, hisque erroribus correctis suo prototypo convenit, Matriti die 1. Iunij, Anno 1698.

Lic. D. Ioseph. de Olivare & Valcazar.

IN.

INDEX
DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM Librorum de Anima.

Sect.

Sect.

§

DIS-

DISPVTATIONES.

IN TRES LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA:

PRÆFATIO.

POstquam Ariſtoteles perfeciſſet libros de Ortu, & interitu, nec non de Methcorologicis impreſsionibus opus de Anima aggreſſus eſt, quod in tres libros diviſit. In primo refert, & rejicit ſententias aliorum ex antiquis Philoſophis circa naturam, & proprietates Animæ. In ſecundò ex ſententia propria Animam definit, in ſpecies dividit, eius proprietates explicat, agitque de potentijs animæ in communi: poſtea gradum facit, vt de ſingulis potentijs vniuſcuiuſque animæ diſcutiat, incipitque à facultatibus proprijs animæ vegetativæ, & à ſenſibus externis ſenſitivæ. Et tandem in tertio diſputat de ſenſibus internis, de intellectu, & eius operationibus de veritate, & falſitate, & de nonnullis alijs affectionibus, & motibus circa bonum, & malum pertinentibus ad animam. Nos autem brevitati conſulentes, non omnia quæ Ariſtoteles diſquirit, ſed ſelectiora, & quæ communiter in controverſiam adduci ſolent in duos libros diviſſa trademus, omiſſo prælio, iam fermè inutili: quod Ariſtoteles in primò libro contra antiquos Philoſophos orſus eſt.

Huius facultatis Animasticæ (quæ proculdubio nobilior est inter omnes philosophicas) obiectum attributionis alij dicunt esse solam animam, alij autem totum ens naturale animatum. Sed facile in concordiam redigentur, si dicamus præcipuum scopum huius operis esse animam cum de ipsa totus sermo instituatur, & ab ipsa *Libri de Anima* nomen accipiat. At quia anima est vera pars compositi naturalis animati, & quia notitia partis ordinatur ad notitiam totius, & non è converso, indè planum fit, notitiam de anima respicere vt finem, & vltimum attributionis obiectum compositum naturale animatum, à cuius nobiliori parte facultas animastica denominationem sortitur. Solet hic quæri, an ad Animasticum pertineat agere de anima separata? Res parvi momenti, in qua aliqui negativè respondent, eo ducti, quod anima separata non constituit ens naturale, ac proindè est extra obiectum totius Philosophiæ, quæ de ente naturali agit iam vt composito, & supposito in Phisicis, iam, vt generabili, & corruptibili in libris de Ortu, & Interitu, iam vt animato in libris de Anima. Cæterum verius reor cum multis alijs affirmativè respondendum. Nam separatio à materia accidentalitèr contingit animæ, & ad præsentem tractatum pertinet agere de accidentibus quæ animæ adveniunt. Vel dicito, si malueris, disputationem de Anima separata pertinere ad Metaphysicam cuius est agere de rebus ab omni materia abstractis.

LIBER PRIMUS

DE ANIMA.

IN hoc libro sequentes Aristotelis vestigia agemus de præcipuis rebus, de quibus ipse agit in suo libro secundò, cum ex doctrina tradenda facile cuique sit refutare Antiquorum deliria, quæ Philosophus per totum lib. 1. refellit. Itaque in octo disputationes hunc librum divisum dabimus. In 1. erit sermo circa naturam divisionem, & proprietates animæ. In 2. de eius divisibilitate, aut indivisibilitate in partes. In 3. de distinctione rerum spiritualium à corporeis. In 4 de vita physica, & intentionali. In 5. de potentijs animæ in genere. In 6. de speciebus impressis. In 7. de potentijs animæ vegetativæ. Et denique in 8. de potentijs animæ sensitivæ, sivè de sensu, & sensibili.

DIS-

DISPVTATIO PRIMA.

De natura, divisione, & proprietatibus. Animæ.

ANima sumpta pro principio earum operationum, quas viventia elicimus, & per quas distinguimur à non viventibus, vel ex ipsis his operationibus nobis probatur existere. Quia, cum materia prima nullius sit efficientèr activa, aut operativa, necessarium est in viventibus aliud esse principium eas operationes eliciens: hoc autem principium appellatur *Anima*, vt distincta à materia, & etiam, vt ipso vocabulo distinguatur à formis substantialibus non viventibus.

SECTIO. I.

Definitur, & dividitur Anima.

1 SIc Animam definivit Arist. lib. 2. cap. 1. *Actus primus corporis naturalis, potentia vitam habentis, tale autem, quod vtique sit instrumentale.* Quæ definitio eadem est cum hac alia clariori, & breviori ab omnibus Phylosophis recepta: Anima est *actus primus corporis physici, & organici potentia vitam habentis.* Dicitur *actus primus*, quia anima determinat materiam ad compositionem totius substantialis, quod est primum ens à natura intentum: non est autem anima actus primus primitate existendi physicè, & ordine executionis, cum accidentia plura, quæ materiam disponũt, & adaptant ad introductionem animæ præcedant in materia ante quàm adveniat anima, vt diximus tract. 2. de Gener. disp. 1. sect. 11. Sed est actus primus primitate dignitatis, & in ordine intentionis naturæ, cum anima, & non accidentia, constituat cum materia totum substantiale, & ens, quod primò intendit natura. Hoc convenit etiam alijs formis substantialibus ab anima distinctis.

2 Additur in diffinitione animam esse actum primum *corporis*. Sed est difficultas, an ly *corpus* accipi debeat pro materia prima, an pro toto composito? PP. Conimb. lib. 2. de Anima, cap. 1. q. 1. Quiros tract. de Anima, disp. 45. sect. 1. Hurtado, Arriaga, & Oviedo contr. 1. punct. 1. censent ly *corpus* accipiendum esse pro sola materia. Sed verius iudico (cum D. Th. lib. 2. de Anima cap. 1. & in 1. sent. distinct. 15. quæst. 1. art. 1. ad 2. & cum exim. Doct. in Metaph. disp. 15. sect. 10. Cardinali To-

Tolet. de Anima ad textum 7. & 8. & Alphonso disp. 1. sect. 1. debere hic accipi *corpus* pro toto composito quod anima cum materia constituit. Probatur ex Aristotele 2. Nam ait, vbi supra, animam esse actum primum *corporis naturalis*, seu constantis natura, & causa motus: sed materia prima non constat natura, qua sanè constat totum compositum, ex dictis lib. 2. Phis. disp. 1. sect. 1. ergo ly *corpus* accipi debet, non pro materia prima, sed pro toto composito. 2. Nam ait etiam Philosophus animam esse actum eius *corporis*, quod *potentia habet vitam*, seu quod potest elicere operationes vitales, quæ sunt actualis vita in actu secundò: At qui materia non potest elicere operationes vitales, cum hoc proprium sit vel compositi constantis anima, vel solius animæ, vt à materia distinctæ: ergò ly *corporis* non potest intelligi nec de sola materia, nec de sola anima, quæ non est actus sui ipsius, sed vnicè de toto composito. 3. Nam paulo inferius text. 8. inquit Philosophus, *anima est quod quid erat esse huiusmodi corporis*: Sed anima non est *quod quid erat esse* materiæ, cui anima non tribuit quidditatem, essentiam, aut existentiam: cum aliundè certum sit, hæc omnia tribuere animam composito, quod intrinsecè constituit · ergo ex mente Arist. ly *corporis* supponitur in definitione pro toto composito.

3 Dicitur vlteriùs anima actus primus corporis *physici*, & *naturalis*: quia forma corporis, seu compositi artificialis non est anima. Additur *organici*, hoc est, dispositi per diversum temperamentum, & per hæterogeneam dispositionem partium ad diversas operationes animæ. Neque inde inferas formam embrionis, quæ etiam coniungitur cum temperamento hæterogeneo, esse animam: nam forma embrionis petit illud temperamentum, non pro se, sed pro forma viventis adventura, & pro huius operationibus. Denique anima est actus corporis *potentia vitam habentis*: Hoc est, compositi potentis elicere operationes vitales, seu habentis potentiam ad vitam in actu secundo, & accidentalem: non verò, vt aliqui falsò existimant, corporis in potentia ad ipsam animam, & vitam substantialem in actu primò. Nam sic forma embrionis esset anima, quia est actus corporis potentis habere vitam substantialem Præterquam quod vitiosa foret definitio, & anima inexplicata maneret: quia cum vita substantialis, & in actu primò formalitèr sit ipsa anima, idem erit dicere, animam esse *actum primum corporis potentis habere vitam substantialem*, ac dicere formalitèr, animam esse *actum primum corporis potentis habere animam*. Ecce definitum inclusum in definitione, & manet anima

mã inexplicata. Quare definitio Aristot. sic exponi debet iuxta dicta: anima est *actus primus constitutivus compositi naturalis organici potentis elicere operationes vitales.* Hæc definitio essentialis est. Per priora verba convenit anima cum formis substantialibus non viventibus, à quibus deffert per posteriora.

4 Sed contra explicationem *corporis* à nobis datam obiicies 1. Aristolelem. Tùm quatenùs ait supra cap. 1. text. 4. *corpus namque non est eorum quæ sunt in subiecto, sed vt subiectum potius est, & materies*: ergo accipit *corpus* pro materia. Tùm quatenùs text. 11. ait *anima, & corpus est animal.* Sed animal non est totum resultans ex compositio substantiali, & anima, sed ex anima, & materia: ergo Philosophus non accipit *corpus* pro toto composito, sed pro sola materia. Hæc levia sunt cum adeò clarè constiterit de mente Philosophi. Ad priora verba respondeo, potius esse pro nobis quam contra nos, nam si Philosophus sentiret corpus accipiendum esse pro materia, non dixisset, corpus se habere *vt subiectum & materiam*, sed esse materiam. Quare sensus est, compositum substantiale non esse in subiecto, licèt anima in subiecto sit, nempè in materia; compositum tamen se habere vt materiam, quia ipsi assimilatur in receptione aliquarum operationum, quas in se totum compositum recipit, sicut materia recipit formas. Posteriora verba, *animal est animal, & corpus*, non sunt accipienda divisim, sed coniunctim, ita vt sensus sit, animal est *corpus animatum*, ad distinctionem corporis substantialis non viventis, vt satis colligitur ex contextu Philosophi, cui familiaris est talis modus loquendi: nam lib. 2. Phys. ait naturam esse *principium, & causam motus*; vbi si principium, & causa acciperentur divisim, superflueret in definitione *principium*, quod proculdubio includitur in *causa*: debent ergo accipi coniunctim, ita vt idem valeant, ac *principium causativum*.

5 Objicies 2. Forma non dicitur actus compositi, sed actus materiæ: ergo anima, quæ forma est, erit actus materiæ, & non compositi, ac proinde dùm dicitur actus *corporis*, corpus debet accipi pro sola materia. Confirmatur 1. Quia si ly *corpus* signaret compositum, Sacerdos consecrans in triduo mortis Christi poneret sub speciebus Eucharisticis materiam, & animam Christi per verba consecrationis, quod falsum est. 2. Nam anima rationalis non est actus *corporis* sumpti pro composito: ergo neque vlla alia anima. Antecedens probatur. Anima rationalis non est actus corporis completi, quia corpus completum constat materia, &

forma corporea, & anima rationalis non est corporea: non corporis incompleti, quia totum compositum homo non est corpus incompletum: ergo anima rationalis non est actus vllius *corporis* sumpti pro composito. Ad obiectionem respondeo negando antecedens: quia forma tàm est actus compositi, quàm materiæ; alitèr tamen, & alitèr, nam materiæ est actus informativus, & compositi constitutivus: & idem dicendum est de anima. Ad 1. confirmationem dico, hoc nomen *corpus* ex impositione hominum determinatè significat rem cum alia impenetrabilem; & cum impenetrabile sit tàm corpus completum, quam incompletum, vtrumque eo nomine significatur. Aristoteles hic particulam *corpus* vsurpat pro corpore completo, propter rationes datas num. 2. Cæterum hoc non verat, quod in institutione Sacramenti ea particula sumpta sit ad significandum Corpus Christi prout fuerit dum verba proferantur, sivè completum, sivè incompletum: sicut assumpta est ad significandum Corpus Christi vivũ, si fuerit vivũ, & mortuũ, si mortuũ fuerit. Ideòq; in triduo mortis, in quo corpus, resoluta vnione ad animam, mansit incompletum, ex vi verborum non venisset ad species anima Christi, sed materia corporea ipsius. Ad 2. Nego antecedens, & probationem. Quia homo licèt habeat partem spiritualem, est corpus completum, cum sit compositum impenetrabile non ordinatum ad componendum totum aliud substantiale: animaque rationalis est actus constitutivus corporis completi, & informativus incompleti.

6. His explicatis manet definitio essentialis, & communis omnibus animabus, quas defacto noscimus informantes materiam corpoream. Sed quia, vt constabit disp. 3. sect. 6. possibilem iudico materiam spiritualem, quæ cum forma spirituali componat totum substantiale spirituale vivens, ideò anima in communi sic definienda est: *Actus primus constitutivus compositi substantialis vitalis*: Vel sic *Forma substantialis vitalis.* Vtraque hæc definitio convenit omni animæ existenti, & possibili, & explicat genus omni formæ substantiali commune, & differentiam vitalitatis, qua anima secernitur à formis substantialibus non vitalibus.

7 Aliam definitionem animæ dedit Philosophus lib. 2. cap. 2. text. 24. per hæc verba: *Anima est id, quo vivimus, & sentimus, & movemur, & intelligimus.* Sed hæc non tàm est diffinitio animæ, quam eius divisio in proprias species. Itaque anima alia est vegetativa tantùm, & hæc constituit plantam: alia vegetativa, & sensitiva tantùm, & hæc constituit brutum: alia vegetati-

va,

va, sensitiva, & rationalis, & hęc constituit hominem. Hæc divisio à nobis data recta est (quidquid sit de divisione Philosophi, pro qua explicanda alij multum, & parum vtilitèr laborat) nam, in primis, est adæquata respectu animarum de facto existentium, quia, præter triplicem speciem assignatam, non est alia anima, quæ sit loco motiva, vt aliqui falso existimarunt, nam motus localis non est operatio vitalis, vt dicemus disp. 4. & ideò pro ea operatione alia species animæ assignanda non est. Est etiam divisio in membra dividentia realitèr inter se distincta: quia anima vegetativa tantùm, realitèr distinguitur à vegetativa simul & sensitiva: & vegetativa, & sensitiva tantùm etiam distinguitur realitèr à vegetativa, sensitiva, & rationali. Hoc certum: Sed est hic duplex quæstio facile dirimenda.

8 Prima difficultas est. An in homine detur triplex anima, alia vegetativa tantùm, alia sensitiva tantùm, & alia tantum rationalis? Et similitèr in bruto duplex, alia vegetativa, & alia sensitiva? Pro resolutione quæstionis, certum est 1. quemlibet hominem habere animam rationalem distinctam ab anima alterius. Ita definitum est in Concilio Lateranensi sub Leone X. ses. 8. contra Averroem asserentem, vnicam esse animam intellectivam in cunctis hominibus: qui error his verbis damnatur: *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, & vnicam in cunctis hominibus, & hanc in dubium vertentes: cum illa non solum verè per se, & essentialitèr humani corporis forma existat, verum, & immortalis, & pro corporum multitudine multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda sit.* Quod vlterius constat. Tùm quia pro diversitate subiectorum multiplicantur formæ in bona philosophia. Tùm quia si eadem anima intellectiva communis esset cunctis hominibus, quidquid vnus homo intelligeret, intelligerent omnes eodem tempore, & eodem modo; quo quid falsius? Tùm denique quia alter homo propter bona opera beatur, & alter propter mala damnatur: & id verum non foret, si vna, & eadem anima esset in vtroque, cum impossibile sit vnam, & eandem animam simul beari, & damnari. Mitto alia absurda quæ ex illo errore contra fidem inferuntur.

9 Certum est 2. In quolibet homine tantum esse vnicam animam rationalem. Constat etiam fide, & ratione: ex fide, quia est veritas definita in 8. Synodo generali, quæ est Constantinopolitana 4. Canon. 11. per hæc verba: *Apparet, quosdam in tantùm impietatis venisse, vt homines duas animas habere dogmatizent. Tales igitur impietatis inventores, & similia sapientes,*

cùm vetus, & novum testamentum, omnesque Ecclesiæ Patres vnam animam rationalem hominem habere asserunt, Sancta, & vniversalis Synodus anathematizat. A ratione. Tùm quia vnica anima rationalis sufficit ad omnes operationes hominis, vt rationalis: ad quid ergo secunda? Tùm quia; vt recta Philosophia docet, in eodem subiecto non datur ex natura rei duplex forma substantialis non subordinata. Difficultas est: an dentur tres animæ subordinatæ in homine, ita vt vegetativa subordinetur sensitivæ: & hæc rationali?

10 Dico. Vnicam tantùm esse animam in homine, quæ simul realitèr est vegetativa, sensitiva, & rationalis. Est contra Ocham, qui oppositum docuit quodlib. 2. quæst. 10. & contra Manicheos, qui duas animas in homine asserebant, aliam spiritualem a bono Deo immissam, aliamque animalem indi- tam à Deo malo quem illi fingebant, vt refert, & impugnat D. August. lib. de duabus animabus. Conclusio nostra, de qua dubitare non licèt, probatur 1. ex doctrina fidei. Nam lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 15. hoc traditur vt dogma certum: Ecce verba: *Neque duas animas esse dicimus in vno homine, sicut Iacobus, & alij Syrorum scribunt, vnam animalem, qua animetur corpus, & immissa sit sanguini, & alteràm spiritualem, quæ rationem ministret sed dicimus vnam esse; eandemque animam in homine, qua, & corpus sua societate vivicet, & semetipsam sua ratione disponat.* Secundò probatur ab absurdo, quod ex opposita sententia rectè infert Eximius Doct. disp. 15. Mataph. sect. 1. Nam si in homine datur duplex, aut triplex anima, alia vegetativa, alia sensitiva, & alia rationalis, in triduo mortis Christi quando eius anima rationalis fuit separata à corpore, quid erit dicendum de illa duplici anima materiali vegetativa, & sensitiva? Nam vel illa duplex anima destructa est, & absolutè defecit, vel mansit vnita corpori, vel mansit existens separate a corpore, sicut anima rationalis? Si primum: Ergo Christus moriens aliquam substantiam Verbo vnitam dimisit: quod est contra illud principium fide sanctum *quod semel assumpsit nunquam dimisit.* Si secundum: est hæreticum, quia corpus illud non mansisset mortuum, sed sentiret, cum ipsi maneret vnita anima illa duplex sensitiva, & vegetativa. Si denique dicas tertium dicis rem mirabilem, & inauditam nempe animam materialem conservari sine materia. Ergo neque in Christo, neque in vllo alio homine datur plusquam vnica anima, quæ simul est vegetativa, sensitiva, & rationalis.

11 Probatur 3. à ratione. Anima rationalis est verè, & realitèr vegetativa, & sensiti-

sitiva: ergo superflua est in homine illa duplex anima materialis alia vegetativa, & alia sensitiva. Antecedens probatur. Anima rationalis verè elicit operationes materiales vegetandi, & sentiendi: nam ad quid aliud exigit anima rationalis pro hoc statu vniri materiæ, nisi vt eas operationes materiales eliciat? Sed anima vegetativa est principium eliciens operationem materialem vegetandi, & principium eliciens operationem materialem sentiendi est anima sensitiva: Ergo anima rationalis verè, & realitèr est vegetativa, & sensitiva. Confirmatur 1. ab eversione contrarij fundamenti desumpti à diversitate specifica operationum. Tâm distinguuntur specificè volitio, & intellectio (imò intra lineam intellectionis non minus distinguuntur apprehensio, iudicium, & discursus) quam sensatio, & vegetatio: Sed illa diversitas operationum rationalium non arguit in homine duas animas rationales, aliam volitivam, & aliam intellectivam; neque tres intellectivas, quarum alia sit apprehensiva, alia iudicativa, & alia discursiva: ergo diversitas operationum vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi non arguit in homine diversitatem animarum, sed ab eadem indivisibili anima rationali poterunt hæ omnes operationes procedere. 2. Quia ex dictis in physic. non possunt naturalitèr existere, in eadem materia plures formæ substantiales, adhuc subordinatæ: ergo neque plures animæ, quæ formæ substantiales sunt. Confirmationes probant etiam non existere in brutis duas animas, alteram vegetativam, & alteram sensitivam.

12 Sed objicies 1. ex Sacra Scriptura illud Daniel 3. *Benedicite Spiritus, & animæ Iustorum Domino*: Vbi videtur in iustis distingui animam ab spiritu, ac proinde præter animam spiritualem dari in ipsis alteram animam. Nec non illud Pauli ad Galat. 5. *Anima concupiscit adversus spiritum*: id est, anima sensitiva contra rationalem: quod sine vtriusque distinctione stare non potest. 2. Objic. Aristotelem lib. 2. de Generat. animalium cap. 3. dicentem hominem *prius vivere vita plantæ, quam animalis*: ergo agnoscit tres animas successivè introductas in homine. Respondeo ad 1. quod in illo Danielis, & quoties alibi in Sacra Scriptura distinctè nominantur spiritus, & anima hominis, non denotatur aliqua distinctio vera, & realis vtriusque, sed sola distinctio per rationem nostram, ortum ducens ex diversis muneribus, quæ anima hominis exercet: vnde ea forma hominis realitèr vna, quatenùs vivificat hominem appellatur *anima*; & quatenùs immortalis, penetrabilis, intellectualis, & potens existere, & operari separata à materia appellatur *spiritus*.

tus. Per Danielem autem invitamur ad laudandum Deum omnibus nostris operibus, sivè materialibus, quæ ab anima vt informante materiam procedunt, sivè spiritualibus, quas anima exercere potest, etiam separata à materia. Ad aliud D. Pauli respondeo, Apostolum non significare oppositionem, nec distinctionem vllam animæ, & spiritus; sed oppositionem operationum materialium cum spiritualibus: nam illæ animam inclinant ad obiecta delectabilia, quæ percipiuntur per sensus, cum operationes spirituales tendant in bonitatem, oppositam, vt in plurimum, delectationi corporeæ. Ad 2. obiect. dico, Aristotelem non loqui de vita in actu primo identificata cum anima; sed de vita in actu secundò, quæ consistit in operatione: & sensus verborum est, hominem prius elicere operationes similes operationibus plantæ, nempè vegetationem, quam sensationem per quam vivit in actu secundò vita animalis: quod optimè stat cum vnitate animæ, quæ non debet simul elicere omnes suas operationes, cum non simul ad omnes, sed iam ad has, iam ad illas disponatur.

13 Secunda difficultas est. Quomodo anima rationalis compararetur ad vegetativam, & sensitivam? Quod idem est ac quærere. An anima rationalis contineat eminentèr, vel formalitèr vegetativam, & sensitivam? Dico primò, anima rationalis, non modo realitèr, sed etiam formalitèr est vegetativa, & sensitiva. Est certum. Nam de essentia animæ rationalis est esse principium sensationis, & vegetationis; sed hoc est esse formalitèr vegetativam, & sensitivam, cum anima vegetativa formalitèr sit *principium vegetandi*, & sensitiva sit formalitèr *principium sentiendi*, vt est notum: ergo anima rationalis est formalitèr vegetativa, & sensitiva. Maior probatur. De essentia hominis est esse principium vegetationis, & sensationis, cum eius essentia sit esse *animam rationalem*: sed præter animam rationalem non est assignabile in homine aliud, de cuius essentia sit esse principium sensationis, & vegetationis: ergo de essentia animæ rationalis est esse principium (effectivum, & elicitivum) sensationis. & vegetationis. Verum, diverso modo, ac planta est vegetativa anima rationalis: nam planta vegetatione acquirit novas partes materiæ, & formæ, ut infra constabit. Anima verò rationalis solum acquirit novam partem materiæ, & vnionis sui ad illam; non autem novam partem formæ, quia indivisibilis est, vt dicemus disp. 2. sect. 1.

14 Dico 2. Anima rationalis continet eminentèr animam vegetativam plantæ, & sensitivam, & vegetativam bruti. Est contra P. Alphons. disp. 2. sect.

sect. 3: Probatur conclusio. Anima rationalis verè elicit sensationem similem sensationibus brutorum, & vegetationem similem vegetationi plantarum; sed hoc sufficit vt eminentèr contineat animam vegetativam plantæ, & sensitivam bruti: ergo eas eminentèr continet. Dicit P. Alph. ad continentiam eminentialem requiri quod anima rationalis possit elicere sensationem propriam bruti, & propriam vegetationem plantæ, partemque plantæ sibi acquirere. Sed contra. Nam ad continentiam eminentialem sufficit vnum posse quidquid potest aliud, cum sit ordinis alterioris: sicut Omnipotentia eminentèr est virtus omnium causarum, & sicut in ordine ad vsus humanos aurum eminentèr est argentum. Quod verò anima rationalis non possit per nutritionem acquirere partem plantæ, nec elicere sensationem propriam bruti, quid refert, ne dicatur continere eminentèr operationes plantæ, & bruti? Sol enim non producit calefactionem propriam ignis & tamen eminentèr continet virtutem calefactivam ignis.

SECTIO. II.

An anima rationalis sit actus assistens, an informans?

15 Actus assistens dicitur illa entitas, quæ, cũ cõpleta sit, & adæquatè constituta in suo esse, alteri adest, non per physicam vnionem, vi cuius vnum cum ea constituat, sed solum per propinquitatem sufficientem ad eam movendam, dirigendam, aut gubernandam: vt Angelus adest orbi cœlesti, quem movet, & Nauclerus navi, quam dirigit. Actus informans est entitas incompleta, quæ vnita alteri, vt subiecto, vnum compositum cum ea constituit: vt forma lapidis, & forma ignis. Hoc posito. Certum est apud omnes, animas materiales plantarum, & brutorum esse actus informantes, & non purè assistentes. Tùm quia sunt entitates incompletæ natura sua ordinatæ ad componendum totum substantiale, quod non alitèr præstare possunt, quam media informatione, & vnione sui cum materia. Tum quia non possunt operari, imò nec conservari separatæ à materia; possent tamen si natura sua non essent illi vnitæ, sed puræ assistentes: sicut potest Angelus assistens motui cœlorum ab eis separari, & separatus naturalitèr operari. Iam ad quæstionem propositam.

16 Dico. Anima rationalis est vera forma corporis, & non actus purè assistens. Est conclusio de fide definita in Concilio Viennensi sub Clemente V. in clementina vnica de Summa Trinitate: Ibi enim habetur. *Doctrinam, seu positionem* (errorem scilicet, Platonis) *teme-*

re asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, seu intellectivæ, verè, ac per se humani corporis non sit forma, vt erroneam, & veritati Catholicæ inimicam, prædicto approbante Concilio, reprobamus: Vt quisquis deinceps asserere, defendere, aut tenere pertinaciter præsumpserit quod anima rationalis non sit forma corporis, tanquam hæreticus sit censendus. Idem docet Concilium Lateran. sub Leone X. cuius verba dedimus supra n. 8. hic iterum legenda. Et etiam constat ex Symbolo D. Atanas. *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, &c.* cuius veritas non stat, quin anima carnem informet.

17 A ratione probatur conclusio. Homo est verum compositum ex materia, & anima rationali: ergo anima rationalis verè informat materiam. Probatur consequentia. Ex materia, & anima rationali purè assistente, & non informante materiam non potest resultare verum compositum, & vnum per se; sicut ex Angelo movente cœlos, & cœlos ipsis vnum per se non resultat: ergo nequit homo esse verum compositum ex materia, & anima rationali, quin hæc verè informet materiam. Secundò probatur. Anima rationalis in homine elicit plures operationes materiales immanentes, scilicet, sensationes materiales, & vegetationes. Sed omnes operationes immanentes debent manere receptæ, vel in suo principio elicitivo, vel in alio constituente vnum compositum cum ipso: ergo illæ operationes materiales immanentes, quas elicit anima rationalis, debent manere receptæ vel adæquatè in ipsa anima, vel in alio constituente vnum compositum cum ipsa. Sed operationes materiales non possunt manere adæquatè in anima rationali spirituali: nam alias non materiales, sed spirituales essent, vt constabit disp. 3. Ergo prædictæ operationes, inadæquatè ad minus, recipiuntur in materia: ergo materia componit, & constituit vnum compositum cum anima rationali. At impossibile est materiam vnum compositum constituere cum anima rationali, quin hæc vniatur illi, & eam informet: ergo anima rationalis non est actus purè assistens, sed verè informans materiam.

18 Sed objicies 1. Anima rationalis est per se subsistens, & independens à corpore, à quo separata valet existere, & operari: ergo non informat corpus. Probatur consequentia. Tùm quia non ob aliam rationem Angelus non informat cœlos, quibus assistit, nisi quia Angelus est subsistens per se, potensque existere, & operari separatus à cœlis. Tùm quia quantitas in Eucharistia ideò non informat subiectum, quia producitur per creationem, & per ipsam

sam constituitur existens independentèr à subiecto: ergo anima rationalis, quæ etiam per creationem producitur independenter à corpore, non informat corpus. Respondeo, animam rationalem esse per se subsistentem, non subsistentia completa, sed incompleta; esseque independentem à corpore independentia receptionis, non verò vnionis: aut alitèr, est independens independentia non indigendi corpore, vt naturalitèr conservetur, & eliciat plures operationes spirituales: non verò independentia non exigendi vnionem cum corpore, pro hoc statu, ad alias operationes materiales & spirituales eliciendas: & hoc non stat sine informatione. Quare distincto antecedenti, ad consequentiam dico, Angelum esse completè subsistentem, & ideò non esse actum informantem: Anima autem rationalis informat, cum solum incompletè subsistat. Quantitas in Eucharistia, adhùc dùm creata est, est actus informans in actu primo, quia adhùc creata exigit corpori vniri, & nisi fides oppositum doceret, diceremus vnitam esse materiæ: quia creatio non opponitur cum vnione formæ ad materiam, sed cum eius receptione. Illa ergo quantitas panis ideò non informat materiam, quia, vt fides docet, ibi non est materia panis, quam informet; non autem propter rationem quam assignat arguens, nempè, propter creationem quantitatis. Vndè similitèr creatio animæ rationalis non cum eius vnione ad materiam, sed cum eius receptione opponitur.

19 Objicies 4. Anima spiritualis non potest informare, subiectum materiale; sed anima rationalis spiritualis est vt dicemus sect. 4. ergo non potest informare materiam corpoream. Maior probatur, illo duplici axiomate: *actus, & potentia debent esse in eodem genere: vnumquodque recipitur ad modum recipientis.* Confirmatur. Anima rationalis non communicat materiæ prædicatum rationalis: ergo eam non informat. Instatur argumentum. Ergo forma accidentalis recipi non potest in subiecto substantiali: neque charitas, gratia, aut aliud donum supernaturale in anima naturali. Negabis, & benè quia inter actum, & subiectum, inter receptum, & recipiens ea solum proportio desideratur, qua subiectum capax sit recipere actum, vel eius vnionem, & actus etiam capax sit esse in subiecto vel per vnionem, vel per receptionem: & in hoc solùm sensu vera sunt proloquia, quæ negari debent, si aliud significent. Ecce solutionem tui argumenti. Confirmatio etiam instatur. Anima materialis non communicat materiæ esse formæ, esse animæ, neque prædicatum sensitivæ, aut vegetivæ: ergo eam non informat? Mala conse-

sequentia. Itaque respondeo: vt anima informet materiam non requiritur quod ipsi communicet omnia sua prædicata, ita vt materia evadat rationalis, si anima rationalis est, & sensitiva, si anima sit sensitiva, cum materia, quæ nullius est efficientèr activa, incapax sit eorum prædicatorum. Sicut Verbum Divinum æternum, & immensum vnitum humanitati eam non cõstituit æternam, aut immensam, cum horum prædicatorum sit incapax humanitas. Quare vt anima informet materiam sufficit quod hæc sit capax vt ab anima compleatur, & cum ipsa constituat compositum, quod evadet rationale si anima rationalis sit, & sensitivum ab anima sensitiva.

2 Sed rogabis 1. An anima rationalis, etiam vt rationalis, informet materiam? Et quidem, si ly *vt* reduplicet sensum realem, nulla est difficultas: Nam anima rationalis realitèr, est vegetativa, & sensitiva; sed anima vegetativa, & sensitiva hominis verè informat, vt nullus hucusque dubitavit: ergo etiam rationalis, cum impossibile sit vnionem physicam præscindere in anima prędicata identificata vniendo gradum sensitivæ, & non rationalis. In sensu formali negat Cayetanus 1. p. q. 46. art. 1. in responsione ad 1. Affirmat communis sententia cum D. Thoma 1. p. q. 76. art 1. quem omnes AA. nostri sequuntur. Et quidem si Cayetanus solum velit, animam sub conceptu rationalis non dicere exigentiam vnionis ad materiam, verum est quia anima sub conceptu rationalis non diffinitur sic: *exigens vnionem ad materiam*; sed sic: *principium ratiocinandi*. At hoc idem dicere potuit de anima, vt sensitiva, quæ vt talis solum est *principium sentiendi*. Si velit, animam adhùc sub hoc conceptu, *principium potens ratiocinari*, non dicere vnionem, etiam est verum: quia in statu separationis sine vnione ratiocinatur. Si autem velit, quod vult Ferrara 2. contra Gent. cap. 58. animam rationalem solùm informare corpus quatenùs continet sensitivam, & vegetativam, adeò vt si distingueretur à vegetativa, & sensitiva non esset actus corporis, est apertè falsum, & nescio qua ratione id cohærere possit cum diffinitione Concilij Vienn. relata n. 16. vbi docetur animam rationalem *per se, & essentialitèr* esse formam corporis, Sed quidquid sit de hoc.

21 Dico, cum communi, & vera sententia, animam rationalem, vt rationalem, informare. Ratio est. Nam homo, vt homo, elicit risum, & fletum: ergo has operationes elicit homo, vt rationalis. Patet consequentia: nam homo, vt homo reduplicat distinctivum formale sui ab alijs animalibus, & distintivum hoc rationalitas est. Tunc

sic:

sic: ergo anima vt rationalis informat. Probat. hæc consequentia. Hominem, vt rationalem elicere illas operationes est animam ad eas concurrere media cognitione obiecti, & medio imperio voluntatis; sed ad eas nequit anima sic concurrere quin sit vnita materiæ, à qua prædictæ operationes materiales dependent: aliàs non esset cur media cognitione, & imperio voluntatis non moverem Petrum me cum penetratum ad similes actus eliciendos: ergo anima etiam vt rationalis informat. Vno verbo. Risus, & fletus sunt operationes propriæ hominis, vt rationalis, & vt distincti à brutis: ergo istæ operationes exigunt procedere ab anima, non præcisè vt sensitiva, in quo convenit cum anima bruti; sed ab ipsa vt rationali. Sed prædictæ operationes non possunt procedere ab anima non vnita materiæ, quia animà à materia separata nec flere, nec ridere potest: ergo exigunt procedere ab anima, vt rationali vnita materiæ: ergo anima vt rationalis vnitur, & informat materiam.

22 Rogabis 1. An anima rationalis producatur prius, quam informet? Procedit quæstio de prioritate temporis: in qua supponitur ab omnibus tanquam certum, formas omnes materiales non produci ante informationem. Tùm quia hæ formæ producuntur per reductionem dependenter à materia, quare non producuntur quousq; materia sit vltimo disposita ad talem formam recipiendam & ad ipsius introductionem: vltima autem dispositio vt forma introducatur, est vltima dispositio vt informet. Tùm quia forma materialis ex prædicato entitatis incompletæ natura sua ordinatur ad suum complementum quod solùm assequitur in compositione totius: ergo non producitur nisi in instanti in quo componit: ergo non producitur antequam informet, nam compositio totius, & informatio materiæ idem sunt.

23 Etiam de Anima rationali tenendum est, eam non produci ante quam informet. *Primo* probatur. Quia est veritas expræssè definita à Leone I. epist. 31. contra Priscillian. & in Concilio Constantinopolitano 5. act. 11. *Secundo* à ratione. Quia nihil est in natura, quod petat animam rationalem produci prius quam informet; Sed Deus vt author naturæ nihil defacto producit aliter quam motus ab exigentia naturæ: ergo defacto, & ex natura rei animam rationalem non producit antequam informet. Maior probatur. Materia prima non exigit animam ante informationem produci: nam materia ideò petit animam, vt per eam compleatur in compositione totius: patet autem materiam non compleri ante infor-

informationem, media qua componit totum cum anima; atque adeò non prius animam, quam eius informationem exigit. Non ipsa Anima. Tùm quia ipsa, antequam existat, nihil potest petere. Tùm quia cum ipsa ex sua natura sit forma corporis per se ordinata ad componendum hominem, solum exiget produci pro casu, quo possit componere. Si autem dicas, quod sicut anima ex se, & iuxta suam naturam conservatur post vnionem ad corpus, ipsa vnione dissoluta, ita similitèr poterit ex se, & iuxta suam naturam produci ante vnionem. Contra est, propter apertam disparitatem. Nam anima rationalis semel producta æterna, & immortalis est, & se ipsa exigens semper durare. Cæterùm, priusquam anima existat, ipsa non exigit produci antequam vniatur: aliundè id non exigit materia, nec est assignabile aliud habens talem exigentiam: ergo ex natura rei non potest anima rationalis produci ante informationem.

SECTIO III.

Quæ partes viventis informentur anima.

24 SVppono 1. Partes, quæ in homine informantur anima, informantur anima rationali: patet ex dictis, quia præter rationalem nulla alia anima datur in homine. Informantur itaque anima rationali omnes partes viventes, licèt non in omnibus eliciat omnes operationes, quas potest, dissimiles enim operationes elicit in pede, ac in capite, & in corde: verum hæc diversitas non provenit ex diversitate, aut ex impotentia animæ; sed ex diversitate dispositionum, & organorum, quæ in diversis partibus materiæ inveniuntur. Suppono 2. In quovis vivente alias esse partes essentiales, nempè, materiam, & animam: alias integrales primarias, illas videlicèt, in quibus anima elicit aliquas operationes vitales, tales sunt partes materiæ existentes in cerebro, in corde, &c. Aliæ sunt partes integrantes secundariæ, illæ scilicèt, in quibus anima non elicit operationes vitales; necessariæ tamen sunt, vt anima eas operationes eliciat in alijs partibus: huius conditionis est sanguis, in sententia docente sanguinem non animari.

25 Suppono 3. Si in homine dantur aliquæ partes non informatæ anima, illæ distinguuntur adæquatè ab homine sumpto secundum partes essentiales præcisè, & inadæquatè ab ipso sumpto secundum omnes suas partes essentiales, & integrales: ac proindè homo sic sumptus nõ erit vnũ per se, sensu significante constare omnibus partibus, quas habet, anima informatis. Erit autem vnum per se, sensu sig-

significante; omnes partes hominis sivè viventès, sivè non viventes inter se aliquo modo vniri, & connecti. Rursus: non ideò, quia aliqua pars hominis nullam exerceat operationem vitalem, & non animetur, homo debet dici inadæquatè vivens sensibile, & inadæquatè insensible: quia vt absolutè, & adæquatè vivens sensibile sit, sufficit omnes partes hominis aut vivere, aut ad operationes vitales deservire.

16 Suppono 4. Carnes ossa, & nervos animalium informari anima. Nam hæc omnia vivunt vita vegetativa, augenturque per intussumptionem attrahendo alimentum per venula, & poros, ipsumque convertendo in propriam cuiusque substantiam, quia crescunt versus omnem differentiam loci vsque ad debitam magnitudinem. Deinde hæc omnia vivunt vita sensitiva, nam, si lædantur, dolorem percipiunt, & sentiunt, vt experientia notum est: ergo hæc omnia informantur anima. Idem dico de dentibus: quia paulatim crescunt versus omnem differentiam loci, & crescunt per intussumptionem, & non per iuxtapositionem: nulla enim materia applicatur dentibus versus latitudinem. Sciendum autem est, dentes habere terminum naturalem magnitudinis; sed ad eum non perveniunt quia continuo exercitio commedendi atteruntur, & minuuntur. Quod autem aliquando sponte decidant, provenit ex eo, quod circa ipsorum radices introducitur prava dispositio opposita vnioni eorum cum carne. Suppono 5. Cornua, rostra avium, & plumas anima informari. Nam hæc omnia assimilantur ossibus, & constat experientia crescere per intussumptionem, habent enim suas quasi venulas, per quas anima ibi existens materiam alimenti attrahit, & in substantiam earum rerum convertit. Positis his, certis apud omnes, est difficultas, an sanguis & reliqui humores, item lac, & semen, vngues, & capilli animentur?

27 Dico 1. Sanguis (idem dicito de reliquis humoribus) non informatur anima. Est hæc sententia Arist. infra citandi, & expressa D. Thomæ 1. p. quæst. 119. art. 1. quos sequuntur magni nostri DD. Suarez, & Vazquez ille tom. 1. in 3. p. disput. 15. sect. 6. hic ibidem disp. 39. num. 2. PP. Conimb. 3. de Gen. cap. 4. q. 24. art. 2. & P. Alphons. disp. 2. sect. 5. & est sententia inter Theologos, & Medicos communior. Oppositam tenent ex Thomistis, Caietan. & ex nostris, Hurt. & Arriaga, quos citat, & sequitur P. Oviedo controv. 1. punct. 4. quibus adde Valent. Tolet. & Lince, quos citatos sequitur Quiros disp. 77. sect. 2. Conclusio nostra probat. 1. Nam Aristoteles lib. 2. de part. anim. cap. 10. ait: *Neque ipse sanguis sen-*

su prædictus est, quippè qui nulla pars sit animalium. Sed omnes partes informatæ anima in nullo verò sensu possunt dici non esse partes animalium: ergo sanguis non est informatus anima, & in hoc sensu vnicè possunt intelligi verba, Philosophi, nempè, sanguinem nullam esse partem animatam in animalibus. *Secundò*. Sãguis non continuatur cum corpore: ergo non informatur forma corporis. Antecedens constat, tùm ex Arist. supra cap. 3. vbi ait: *Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est, sed in corde, ac venis, quasi in vasis continetur*. Tùm quia facillimè sanguis per corpus discurrit, subitoque timore ad cor confugit, & reliquas partes deserit. Tùm denique quia caro solida est, & sanguis fluidus: quomodo ergo hæc stabunt cum vnione physica sanguinis ad corpus? Iam probatur consequentia. Vna, & eadem anima nequit informare duplicem materiam discontinuatam, vt fatentur omnes: ergo sanguis discontinuatus à corpore non potest informari forma corporis.

28 *Tertio*. Nam iuxta Philosphum eodem cap. 3. sanguis est alimentum viventis; sed alimentum per nutritionem transit ad habendam denuò formam viventis, qua prius carebat: ergo sanguis, dum sanguis est, & vivens ipso non nutritur, caret forma viventis. *Quartò*. Anima in sanguine nullam exercet operationem vitalem: ergo non informat, sanguinem. Antecedens probatur. Non exercet sensationem, vt constitit ex Arist. & est apud omnes certum. Non vegetationem, quod facile suadetur. Sanguis non crescit per intussumptionem, sed per iuxta positionem vnius partis ad aliam, non alitèr ac aqua crescit in vase: ergo non exercet vegetationem. Antecedens probatur 1. Crementum per intussumptionem fit dum vivens per venas, & poros attrahit alimentum, vt ipsum sibi vniat, & in suam substantiam convertat, sed sanguis nulla habet venas, & poros, vt vivens attrahat alimentum, vt experientia apparet: ergo non crescit per intussumptionem. Secundò à paritate lactis, & seminis, quæ communitèr censentur non viventia, quia non se augent per intussumptionem; sed eodem modo ac ista augetur sanguis: ergo non vivit.

29 Dices cum P. Hurtado: ex eo quod anima nullam in sanguine exerceat operationem vitalem, male à nobis inferri non informare sanguinem: sicut ex eo quod anima rationalis non eliciat in pede operationes rationales, male infertur animam rationalem non informare pedem hominis. Sed contra 1. per instantiam in lactè, & semine, quæ iuxta P. Hurt. non informatur anima. Deindè: in sententia huius Authoris (defen-

den-

demtis partes animæ diuisibilis esse hætherogeneas) pars animæ bruti, quæ simul elicit vegetationem, sensationem, simul est vegetatiua, & sensitiua; illa verò pars quæ solum elicit vegetationem, solùm est vegetatiua. Nunc sic. Ergo illa pars animæ bruti, quæ neque sensationem, nec vegetationem eliciat, nec sensitiua est, nec vegetatiua; ac proindè non est viuens vllo genere vitæ. Sed, per te, pars animæ bruti existens in sanguine nec elicit sensationem, nec vegetationem: ergo nullo genere vitæ viuens est: ac proindè est anima, quæ non est anima; cum de ratione animæ sit esse principium viuens. Contra 2. Nam licèt ex eo quod anima nullam operationem vitalem eliciat in sanguine, rectè inferatur non informare sanguinem: at ex eo quod anima rationalis non ratiocinetur in pede, ineptè argueretur non informare pedem. Discrimen appertum est. Nam homo elicit in pede vegetationem, & sensationem: ergo pes informatur anima vegetatiua, & sensitiua; Sed anima vegetatiua, & sensitiua hominis est rationalis: ecce ergo manifestè, infertur animam rationalem informare pedem licèt in eo non ratiocinetur. At si anima, vt fateris, nullam operationem vitalem elicit in sanguine, non ineptè infertur non informare sanguinem: nam argumentum validiùs ad probandam existentiam, & informationem animæ desumitur ex operationibus quas viuentia eliciunt: proindeq; vbi operationes vitales deficiunt, neganda est informatio animæ, nisi oppositum efficacitèr probetur, quod non præstant aduersarij.

30 Alitèr probatur *Quintò* Conclusio. Quia in eadem materia nequit dari mutatio substantialis vnius formæ in aliam omninò similem; sed daretur talis mutatio, si sanguis esset animatus: ergo animatus non est. Maior est certa: quia si formæ sunt omninò similes, cur dispositiones ad nouam formam introducendam, non disponent ad conseruationem præcedentis? Profectò si formæ omninò similes sunt, omninò etiam similes, & eiusdem rationis sunt dispositiones ad vnam conseruandam, & ad aliam introducendam. Minor probatur. Corpus Christi D. iuxta veram sententiam, factum fuit ex sanguine Beatæ Virginis, & in illud corpus introducta est anima rationalis Christi: ergo, ne maneat in Christo duplex anima, altera propria, & altera Matris, desinit esse in illo sanguine anima B. Virginis, & transit ipse sanguis ab habendam animam Christi, eiusdem rationis cum anima Matris: ergo si sanguis animatus esset daretur in eadem materia mutatio substantialis vnius formæ in aliam omninò similem. *Sexto*, & vltimò.

 Quia

Quia sanguis non est præcipua pars corporis humani: ergo non est animatus Consequentia est certa. Antecedens probat. Nam, iuxta fidem, sanguis Christi non ponitur in Eucharistia sub specie panis ex vi verborum consecrationis, sed solùm per concomitantiam: At si sanguis esset præcipua pars Corporis Christi, vi verborum poneretur, sicut ponitur ipsum corpus, sub speciebus Sacramentalibus panis: ergo non est præcipua pars corporis.

31 Sed objicies 1. Sanguis est vera pars hominis: sed omnes partes hominis informantur anima: ergo, & sanguis. Maior probatur ex. Tridentino sess. 13. can. 3 vbi ait, quod in consecratione Calicis venit cum sanguine anima, *vi illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini inter se copulantur:* ex quibus verbis planè colligitur sanguinem esse veram partem Corporis Christi. Respondeo ex dictis n. 24 Sanguinem esse veram partem integralem hominis secundariam, & maximè deservientem ad operationes vitales: Tùm quia alimentum viventis est, & quid magis necessarium ad vitam quam alimentum? Tùm quia sanguis suo calore fovet spiritus vitales deservientes ad vitalitèr operandum. In hoc sensu concedenda est maior cum probatione ex Concilio, & minor neganda. Anima enim non informat omnes omninò partes integrales hominis; sed solùm illas, in quibus aliquam vitæ operationem exercet, & quæ ideò appellantur primariæ; sanguis verò pars primaria non est, cum in eo nulla operatio vitalis exerceatur, ac proindè non informatur anima.

32 Instabis 1. Ergo accidentia componentia temperamentum compositi, nempè calor, frigus, humiditas, & siccitas; nec non aër per respirationem attractus, sunt partes integrales secundariæ hominis, sicut sanguis: nam hæc omnia maximè deserviunt ad vitalitèr operandum. Nego consequentiam. Discrimen est. Nam aër, cum ingrediatur, & egrediatur è composito continuo motu, neque in eo permanentèr sit; non potest dici pars viventis: oppositum accidit in sanguine. Accidentia autem ex ipso prædicato accidentium excluduntur à ratione partium integralium viventis, cuius, omnes partes integrales debent esse substantiales, Ideòque sanguis licèt non informetur anima viventi, alia forma substantiali informatur. Instabis 2. Deficiente sanguine deficit vivens: ergo sanguis animatur, & vivit. Nego consequentiam. Nam vivens non deficit formalitèr defectu sanguinis; sed illativè, quatenus adeò necessarius est sanguis ad operationes vitales in partibus primarijs exercendas vt absque eo tales operationes exerceri nequeant;

ant: & pro casu quo anima nullas operationes vitales exercere potest deficit ex natura rei, & eo pacto deficit vivens. Ex his autem vndè infertur sanguinem animari? Cur similitèr non infers vnionem animæ cum materia, & eius actionem productivam animari? Nam ad defectum illarum deficit vivens.

33 Objicies 1. Illud Levitici cap. 17. *Anima carnis in sanguine est.* Quod exponens D. August. q. 57 in Levit. ait: *aliquid vitale est in sanguine.* Respondeo: sensum verborum non esse, quod anima formalitèr sit in sanguine per informationem; sed quod sit in sanguine per dependentiam, nam ab eo ita dependet, vt deficiente sanguine non vltra præsistat anima in materia. Sicut nostra vita dicitur esse in manu Dei, & in eius voluntate, non formalitèr, sed per dependentiam à Deo. Hæc est mens D. August. qui loco citato ait: *ideò anima tenetur in sanguine, nam si fuerit effusus abscedit.* Quid clarius pro nostra explicatione? Verba Sanct. Doctoris relata ab adversarijs non sunt fidelitèr transcripta, vt videre est apud ipsum non asserentem, sed interrogantem sic: *An aliquid vitale est in sanguine?* Quæ interrogatio non est contra nos, nec in tota quæst. citata habet verbum, quod oppositæ sententiæ faveat. Objicies 3. Verbum Divinum assumpsit sanguinem cum humanitate; ergo sanguis animatus est. Consequentia probatur: Tùm quia Verbum non assumpsit naturam irrationalem; si autem sanguis informaretur alia forma substantiali, & non anima rationali, natura irrationalis esset. Tùm quia si assumpsit naturam substantialem sanguinis, sicut verè dicitur, *Verbum est homo*; ita dici posset, *Verbum est sanguis.* Respondeo negando consequentiam: & ad primam probationem dico, quod Verbum Divinum assumendo sanguinem nō animatum, & si informatum non assumpsit naturam irrationalem completam in esse naturæ; sed incompletam, pertinentemque ad integritatem naturæ rationalis. In quo nihil absurdi, vt fatentur plures ex Adversarijs, qui hoc argumento non vtuntur iudicantes ipsum valdè inefficax. Hinc ad secundam probationem dico: Verbum nequit dici *esse sanguinem*, sicut nequit dici *Verbum esse pedes*, aut *esse caput*, quamvis Verbum assumpserit pedes, & caput. Quod vt clarius percipias, observa hæc duo.

34 *Primum* est, verbum vnitum sanguini non constituere illum suppositum, aut personam: non suppositum: Tùm, quia ex dictis in physicis disp. 6. sect. 2. subsistentia quæ est personalitas, qualis est subsistentia Verbi, non potest cum natura irrationali constituere suppositum. Tùm quia sanguis, adhuc post assumptionem eius à Verbo, manet ordina-

dinatus natura sua ad complementum, & integritatem humanitatis, quod est contra rationem suppositi. Non personam: quia Verbum solum constituit personam naturam rationalem: ideò que si Verbum vniretur naturæ viventis irrationalis, v. g. equi, non constitueret eam in esse personæ. *Secundum* est, veram esse hanc prædicationem, *homo est Deus*, & è contra, vi vnionis ad naturam humanam: non tamen est vera hæc, sanguis est Deus, aut è contra, vi vnionis ad sanguinem. Quia prædicationes similes solum sunt veræ, quando sunt de naturis integris vnitis in eadem persona, & non ordinatis natura sua ad componendum aliud: At sanguis, licèt vnitus personæ Verbi, neque est natura integra, neque non ordinata natura sua ad complementum alterius: quod idem dicendum esset, etiam si anima informaretur. Propter eandem rationem in triduo mortis Christi separata anima à corpore, & vnita Deitati, non erat verum dicere, *anima est Deus*, aut è contra: neque *corpus est Deus*, aut è contra. Item, dum Evangelium dicit, *Verbum caro factum est*, per ly *caro* intelligitur caro animata, seu corpus complexum.

35 Dico 2. Lac, & semen non informantur anima. Quod probatur. Tum quia non augentur per intussumptionem, cum non habeant tubulos, aut venulas, per quas alimentum attrahant; sed crescunt per iuxta positionem, qua ratione crescit sanguis, & aqua in vase. Tùm, quia partes informatæ anima sunt partes principales viventis: semen autem, & lac non sunt partes principales viventis, cum ea non habeat pro perfectione intrinseca sui, sed pro generatione prolis, & huius nutritione. Tùm, quia sunt excrementa viventis, quod patet ex eo, quod sæpè natura ipsa à vivente ea expellit, tanquam quid nocens ipsi viventi, non alitèr ac alios humores superfluos expellit per sudorem: Tùm denique, quia neque puella absque lactè, neque puer absque semine dicuntur mutila in principalibus eorum partibus pertinentibus ad primam integritatem naturæ. Sed dices: cur spadones defectuosi in natura dicuntur, si semen non est de prima naturæ integritate? Respondeo, id non esse formalitèr ex defectu seminis, sed illativè, quatenùs in eis ex defectu seminis arguitur defectus partium vitalium, & membrorum, nervorumque deservientium ad elaborandum semen.

36 Rogabis: An idem sit dicendum de semine plantarum, vel an hoc vivat saltem dum est in ipsa arbore? Respondeo: Semen hoc vitam habere dum in arbore est. Nam augetur versus omnem differentiam, loci vsque ad debitam magnitu-

nitudinem, qui modus augmenti per intussumptionem proprius est viventis. Dum autem venulæ illæ per quas attrahit materiam alimenti arescunt, vel pereunt contrarijs qualitatibus, semen emoritur. Neque iudicandum est vivens separatum à planta, ex eo quod iterum in terram coniectum generat aliud vivens simile: quia non generat illud vt causa physica, sed solum vt causa moralis, disponendo, vidclicèt, suam materiam, vt in ea forma viventis introducatur, vel à solo Deo authore naturæ, vel à Deo, & à terra quæ communis mater plantarum appellari solet. Non enim requiritur quod quælibet causa inadæquata effectus viventis sit vivens, cum perfectio effectus non sit metienda cum causa inadæquata ipsius, sed cum adæquato principio ipsum continente: ideòque diximus tract. 2. de Gener. disp. 2. sect. 5. in generationibus brutorum semen maris, non animatum, nec vivens, concurrere inadæquatè cum anima matris ad productionem formæ prolis viventis.

37 Dico 3. Vngues non vivunt. Probatur: Quia non augentur per intussumptionem; sed per iuxta positionem excrementorum viventis, quæ pulsa à facultate expultrice ad exteriores partes viventis, ad extrema, scilicèt, digitorum, ibi calore, & siccitate cocta disponuntur, & acquirunt formam vnguis. Quod non crescant per intussumptionem, indicium est. 1. quia nullas venas, aut poros habent, vt attrahant alimentum. 2. quia si per intussumptionem crescerent, linea facta in vngue, crescente vngue, cresceret; vt videre est in lineis factis in corticibus arborum, quæ ad incrementum arborum crescunt versus omnem partem; & etiam in cicatrice vulneris accepti in pueritia, quæ etiam crescit ad incrementum carnis. Alitèr accidit in vngue, in quo si linea fiat, vel cito deletur, vel si fiat in radice vnguis paulatim ascendit, & provehitur vsque ad vnguis extremum sine vllo augmento, pulsa ab alijs partibus vnguis denuo per radicem ad venientibus. Hęc signa suadent non animari.

38 Dico 4. Capilli non vivunt. Quod probatur eadem ratione, qua conclusiones pręcedentes probavimus. Sed rogas. Quomodo crescunt? Respondeo, sicut supra de vnguibus, ideò crescere, quia excrementa ex nutritione relicta projiciuntur à facultate expultrice ad exteriores partes corporis, ibique aliquatenùs sua gravitate detenta calore coquuntur, & radicibus capillorum adiuncta, & vnita admittunt formam capilli: & quia continua nutritione continuò excrementa projiciuntur, illæ partes, quæ postea succedunt, impellunt præcedenres iam in capillos conversas, & sic capillus

extra perveniens amplius, & amplius protenditur. Sed objicies *primò* cum P. Arriaga. Aliqui homines metu mortis, vel fortuito alio casu repente incanuerunt: ergo capilli poros habent per quos attrahant qualitates ad eum colorem: ergo augentur per intussumptionem. *Secundò* cum RR. capilli in homine se habent sicut plumæ in avibus; sed plumę, per nos, animantur, & crescunt per intussumptionem: ergo, & capilli. *Tertio* cum eiusdem. Capilli quo magis abscinduntur eo magis crescunt, vt patet in tontione barbæ: ergo non crescunt per iuxta positionem. Consequentia probatur. Quia abscisio non conducit vt plus excrementi à vivente attrahatur circa partes extimas, & hac solum ratione capilli possent crescere per iuxta positionem.

39 Ad *primum* respondeo, permisso enthimemate, negando vltimam consequentiam: quia etiam spongia, & lignum aridum habent poros, per quos attrahunt aquam, & nihilominus non crescunt per intussumptionem. Deindè ad quid requiruntur poti? Nam capilli dum canescunt non sugunt aliquam novam substantiam, per quam crescant; sed solum suscipiunt novam qualitatem, qua alba fit ipsa substantia capillorum, quæ prius erat nigra, vel rubra. Indè autem oritur quod capillorum color mutetur, & quod repente accid it canicies, quia subito illo timore plurimum immutantur humores, & dispositiones ad temperamentum viventis per qualitates contrarias, & ipsi non congruentes: ne autem cordi, aut partibus internis noceant illę qualitates, à natura pro vida expelluntur circa exteriores partes viventis, & ab eis qualitatibus fit iam repentinus pallor in ore, iam rubor, iam fletus, pro diversitate illarum: ab eisdem autem apulsis, & pervenientibus ad radices capillorum, & cito diffusis per capillos provenit illa canities, & mutatio coloris. Etenim si ex alteratione temperamenti provenit, quod decursu temporis nix admittat albedinem, & rubra, aut viridis fiat, cur ex diversis qualitatibus excrementorum non orietur subita canities, aut alius capilloaum color? Ad *secundum*. Capilli se habent in homine quoad eius ornatum, sicut plumæ in avibus; non verò quoad omnia, nam in plumis dantur venulæ, per quas alimentum posit communicari ad incrementum per intussumptionem; secus in capillis. Ad *tertium*. Sicut calore maiori, vel minori corporis, plus, aut minus sudoris expellitur, ita intensione barbæ partes extimæ carnis confricatæ maiorem calorem concipiunt, quo calore, & citius excrementa coquuntur, & aperiuntur pori, patetque via, vt celerius ea excrementa ascendant,

dant, & in maiori quantitate, cumque hæc sit capillorum materia; inde eorum incrementum provenit.

SECTIO. IV.

Vtrùm Anima rationalis, immortalis, sit & spiritualis?

40 SVppono 1. cum communi omnium sententia, animam plantarum, nec non brutorum sivè perfectorum, sivè imperfectorum mortalem esse. Nam vt omnes fatentur, hæ animæ, vtpotè materiales, non possunt existere ex natura rei sine concursu passivo materiæ; sed hic concursus ex natura rei potest deficere destructa vnione vi agentium naturalium: ergo hæ animæ possunt naturaliter destrui, ac proindè sunt natura suà mortales. *Secundò*: quia formæ materiales nullas habent operationes non materiales, & independentes à corpore: ergo se iunctæ à corpore nequeunt operari: ergo neque existere, quippè deficit titulus ad naturalem conservationem vbi deficit potestas naturalitèr operandi. Hoc posito.

41 Dico 1. Anima rationalis est natura sua immortalis. Conclusio est de fide, vt constat ex pluribus locis Scripturæ Sacræ in vtroque testamento. Seligam pauca testimonia. Inprimis constat ex illo Ecclesiastes 12. *Ibi homo in domum æternitatis suæ*: & ex illo Sapientiæ 5. *Iusti autem in perpetuum vivent*: quæ clarè docent animam esse æternam, ac proindè immortalem. Clarius id docuit Christus D. Mathæi 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Accedit decretum Concilij Lateranensis sub Leone X. sect. 8. *Damnamus, omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse*. Quod autem hæc immortalitas animæ ex sua natura conveniat, prætèrquàm quod satis clarè constat ex Verbis Christi D. exprese traditur à Concilio paulo infra vbi ait, *animam non solum esse verè, per se, & essentialitèr humani corporis formam, verùm, & immortalem*. Quid autem est animam esse immortalem per se, & essentialitèr, nisi per suam naturam immortalitate gaudere?

42 A ratione desumitur probatio ex recta gubernatione, & providentia Dei in hunc modum. Anima rationalis vnita corpori natura sua est capax benè, vel male operandi vsque ad vltimum instans vitæ. Deindè Deus, vtpotè rectus rationalis reipublicæ gubernator, debet male operantes punire, & rectè operantes præmiare: ergo cum sæpè in hac vita improbus in culmine honoris, & summa fœlicitate vivat & iustus summa ægestate, & miserias & neque hic acquirat præmium virtutis, neque ille flagitiorum supplicium ser-

seruat à fortiori. Deus supplicium, & præmium vnicuique debitum vsque ad aliam vitam. ergo est alia vita post hanc, in qua perseueret anima. Hac ratione vtitur S. Job. cap. 21. Vbi cum inæqualitatem prædictam sæpius in hac vita videret inter bonos, & malos subiungit: *In diem perditionis seruatur malus, & in diem furoris ducetur.* Ex quibus arguitur sic. Anima rationalis vnita corpori natura sua est libera benè, vel male operandi vsque ad vltimum instans vitæ? Ergo natura sua est capax durandi vltra hanc vitam, vt suorum operum præmium, vel pœnam accipiat: ergo natura sua potest durare dissoluta vnione: ergo natura sua durat in æternum. Probatur hæc vltima consequentia. Semel statuto animam natura sua perseuerare vltra hanc vitam, non est assignabile caput, vt per æternitatem naturalitèr deficiat: ergo si natura sua durat dissoluta vnione, debet ex sua naturâ in æternum durare. Antecedens probatur. Anima perseuerans vltra hanc vitam non potest per æternitatem deficere ex defectu subiecti; siquidem naturalitèr existit dissoluta vnione ad subiectum: non potest deficere ob maiorem vim contrariorum; quia omnis contrarietas exercetur per ordinem ad subiectum commune, & hoc subiectum non habet anima separata à materia: non ex defectu finis operandi; quia in co-statu operationes intelligendi, & volendi naturalitèr producit: non ex defectu conseruantis; nam hic est solus Deus immortalis: ergo nullum est caput vt anima per totam æternitatem naturalitèr deficiat. Est ergo naturalitèr ex se immortalis, cum per se exigat suam conseruationem, quam nulla res naturalis potest impedire.

43 Sed Objici solet Sacra Scriptura. *Primò*: nam Ecclesiastes cap. 3. ait: *Vnus interitus est hominis, & iumentorum: Nihil habet homo iumento amplius*, & infra cap. 9. dicit: *Mortui verò nihil nouere amplius, neque habent vltra mercedem.* Quæ significare videntur animam cum vita finiri. *Secundò.* Nam Sap. 2. dicitur. *Post hoc erimus, quasi non fuerimus:* Et Iob. cap. 14. *Lignum habet spem resurgendi; si præcisum fuerit rursum virescit. Homo cum dormierit non resurget, donec atteratur Cœlum non euigilabit, neque consurget de somno suo.* Quæ etiam innuere videntur mortalitatem animæ. *Tertiò* Quia in epist. Sophronij approbata à Sexto Synodo act. 1. dicitur: *Intellectualia non sunt immortalia per naturam, sed per gratiam.* Quod etiam apparet immediatè oppositum nostræ conclusioni.

44 Attàmen hæc non vrgent. Non *primum*: quia solum dicit, compositum hominis mori, sicut iumenta; neque animam vltra operaturam: ope-

ratio;

rationes compositi; neque quidquam dissoluta vnione cognoscerè dependentèr à sensibus, sicut cognoscit nunc; neque vltra posse mereri, licèt rectè operetur, quia tempus merendi, aut demerendi clauditur terminis huius vitæ. Hæc omnia verissima sunt, sed non contra nos. Non *secundum*. Quid illud *erimus, quasi non fuerimus* est blasfemia impiorum in quorum nomine loquitur Sapientiæ Author nam caput incipit per hæc verba: *Dixerunt cogitantes apud se non rectè*: ex quibus confirmatur clare veritas nostræ conclusionis. Lignum abscissum naturalitèr potest virescere vita compositi: homo autem id non potest naturalitèr, neque anima divissa à corpore potest elicerè operationes compositi, sed solum vivit vita rationali nec de morte compositi vltra evigilavit homo natura sua, sed per miraculum, quod non fiet, vt inquit S. Iob, *quousque atteratur Cœlum*, stellis cadentibus propè diem iudicij. Non *tertium*: nam ibi solum docetur intellectualia, nempè, Angelos, & Animas rationales, non esse immortalia natura sua, idest, essentialitèr, & omninò absolutè, ea ratione, qua Deus immortalis est per essentiam, quin vlla potentia destrui posiit; immortalitas, autem animæ rationalis (idem dic de Angelis) non est omninò invincibilis, quia Deus vtens suo absoluto dominio potest animam anihilari, & ideò gratiosè conservatur à Deo. Dicitur autem anima natura sua immortalis quatenus semel existens habet ius vt nunquam destruatur à Deo vt authore naturali, cum quo iure non opponitur gratia, quæ à Deo ipsi fit in eius conservatione, quam Deus vt supernaturalis causa potest citra iniuriam impedire. Potest, etiam anima dici immortalis gratia antecedenti, quia gratiosè producta est à Deo: non consequenti, quia semel producta habet naturale ius in perpetuum durandi.

45 Dico 2. Anima rationalis spiritualis est. Hæc conclusio etiam est de fide, definita in Concilio Lateran. sub Innocentio III. cap. *Firmitèr*. de Summa Trinit. vbi ait: *Deus, sua omnipotenti virtute ab æterno, vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corpoream, Angelicam, videlicèt, & mundanam, & deindè humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constantem*. Constat hæc veritas ex inumeris testimonijs Sacræ Scripturæ, in quibus anima rationalis promiscuè spiritus, & anima nominatur. Sufficiant illud Lucæ 1. vbi B. Virgo ait: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo, &c.* & illud Math. 15. vbi ait Christus D. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: & cap. 27. sic explicat mortem Christi: *emisit spiritum*, nempè, ani-

animam. Ratione probatur *primo.* Anima rationalis natura sua potest perseverare absque unione ad materiam quantam, & sic separata naturaliter operari, ut constat ex prima conclusione: ergo non connectitur intrinsecè cum materia quanta. Sed quod sic non connectitur spiritus est, ex dicendis disp. 3. ergo anima rationalis est spiritus. *Secundò.* Anima rationalis excedit in modo operandi omnes substantias materiales adhuc sensitivas: nam potest reflectere supra suas operationes, & de earum rectitudine iudicare, potest unum ab alio per discursum deducere, & eligere pro suo arbitrio inter bonum, & malum; quæ omnia longe aliena sunt à brutis etiam perfectioribus: Ergo anima rationalis est in gradu sublimiori supra omnes substantias materiales: Ergo est in gradu, & ordine rerum spiritualium: quia defacto non agnoscimus entitatem mediam inter corpus, & spiritum, & quæ neque corporea, neque spiritualis sit.

46 Præter alia argumenta, quæ commodius solventur disp. 3. solent hic objici Sancti PP. qui sæpè animam vocant corpoream. Sed respondetur facile, PP. non docere, animam esse corpoream formalitèr, aut *entitativè*; sed solum *constitutivè*, hoc est, esse formam constitutivam hominis corporei. Etiam objicitur Concilium Nicenum 2. act. 5. ubi approbata est doctrina Ioannis Thessalonici dicentis, Angelos, & animas Beatorum esse tangendos, & adorandos, idque inferebat ex hoc antecedenti, scilicèt, quia sunt corporei. Respondeo: Concilium, omisso antecedenti, de quo tunc non erat disputatio, tantùm approbavit consequens contra hæreticos tunc impiè asserentes, Angelos, & animas Beatorum non esse adorandos, neque ipsorum imagines veneratione tangendas.

DISPUTATIO II.

De Compositione animarum.

Quemlibet animum metaphysicè componi ex genere, & differentia, sine dubio est. De compositione physica est tota controversia; & hæc compositio potest esse duplex: alia ex partibus essentialibus physicis, quarum una se habeat, ut subiectum; & altera ut forma: alia ex partibus physicè integralibus, quæ inter se non comparentur, ut materia, & forma, licèt aliqua ratione uniantur: qua ratione aqua vasis componitur ex plu-

pluribus guttis, & acervus tritici ex pluribus granis. De vtraque compositione sermo est.

SECTIO. I.

Anima rationalis omninò indivisibilis est.

1 PRimo: est indivisibilis in partes physicè essentiales: id est non componitur ex materia, & forma. Est conclusio omnibus Authoribus indubia, & probatur 1. Nam si anima composita ex materia, & forma ordinatur ad componendum totum cum materia hominis, cur homo compositus ex materia, & anima non ordinabitur rursus ad componendum aliud totum cum alia materia, & iterum hoc tertium compositum cur non ordinabitur ad aliud sine fine? Difficile assignabitur disparitas. Ergo vel anima rationalis non componitur ex materia, & forma, vel, si ita componatur, est totum per se completum, & per se non ordinatur ad informandam materiam hominis, quod est contra fidem ex disp. 1. sect. 2. num. 16. Probatur 2. à priori. Nulla forma potest componi ex materia, & forma; sed anima rationalis, iuxta fidem, vera forma est: ergo non potest componi ex materia, & forma. Maior probatur. Omnis forma qua talis debet habere rationem *actus primi*, vt constat ex eius definitione. Sed nulla forma composita ex materia, & forma potest habere rationem *actus primi*, cum ante se supponat alium actum *primum*, nempè, alteram formam, ex qua componitur ipsa: ergo nulla forma, quæ verè talis sit, potest componi ex materia, & forma. 3. Neque illa materia, ex qua componeretur anima, haberet rationem materiæ, neque illa forma rationem formæ: ergo chymærica est talis compositio. Antecedens probatur. Nam de ratione materiæ est esse *primum subiectum*, quod prout terminatum, & completum sua forma non maneat per se ordinatum ad aliud compositum constituendum cum alio subiecto, & materia: item de ratione formæ est ita materiam complere, vt compositum, quod cum ea constituit non maneat per se ordinatum ad aliud compositum. Sed tàm materia, quàm forma constituentes animam rationalem, eam relinquunt incõpletam, & per se ordinatam ad constituendum aliud compositum, nempè hominem cum huius materia prima: ergo neque materia ex qua componeretur anima haberet rationem materiæ, neque forma rationem formæ.

2 4. Nam illa materia neque esset corporea, neque spiritualis: ergo implicat talis materia, ex qua componatur anima. Probatur antecedens non corporea:

rea; alioquin anima non esset absolutè, & adæquatè spiritualis cōtra dicta disp. præced. sect. 4. sed esset corporea, non alitèr ac homo constans ex materia corporea, & anima spirituali, est compositum absolutè corporeum. Non spiritualis: tùm quia licèt posibile sit compositum spirituale constans ex materia, & forma spiritualibus, vt dicemus disp. 3. sect. 7. at tale compositum ab omnibus negatur existere de facto, tùm quia facto existeret tale cōpositum, illud non esset anima: nam hęc est entitas incompleta ordinata natura sua ad constituendum hominem; illud autem compositum adæquatè spirituale esset vnum per se completum, & non ordinatum ad illud compositum: ergo illa materia ex qua cōponeretur anima neque corporea, neque spiritualis esset, aç proindè imposibilis. 5. Nam vel illa forma ex qua componitur anima est composita ex materia, & forma, vel non? Si hoc secundum, cur anima, quæ etiam est vera forma non erit etiam indivisibilis essentialitèr, & non composita ex materia, & forma. Si primum: de illa secunda forma interrogo. Vel est composita ex materia, & forma, vel non? Si secundum redit argumentum, cur non prima, anima rationalis. Si primum. Vel teneris concedere processum in infinitum formarum, quarum quælibet sit composita ex materia, & forma, vel tandem devenienduni est ad aliquam non compositam ex partibus essentialibus. Cur ergo id negas de anima rationali? Hæ autem rationes ferè omnes eodem modo probant indivisibilitatem essentialem animarum materialium.

3 *Secundò*. Anima rationalis est indivisibilis in partes integrantes. Hæc est etiam communis sententia, quæ à nullo catholico negatur. Probatur: si anima rationalis constat diversis partibus existentibus in diversis partibus subiecti, vel quando minuitur homo, aut abscinditur aliqua eius pars v. g. brachium, corrumpuntur partes animæ ibi existentes, vel non? Si primum: ergo anima rationalis non est absolutè immortalis quod est contra fidem. Si secundum: ergo si illæ partes separentur ab homine existente in peccato mortali damnabuntur: & aliæ in ipso permanentes salvabuntur, si cum eis homo moriatur in gratia: ergo accidere posset, quod aliæ partes eiusdem animæ damnarentur, & aliæ salvæ fierent. Hoc autem quis audeat dicere? Dices 1. Partes animæ brachij abscisi manere intra hominem vsque ad finem vitæ expectantes decessum hominis, vt vel omnes damnentur, vel salventur omnes: quo vitantur absurda. Sed contra: ergo in eadem parte materiæ naturalitèr daretur duplex pars animæ: si quidem manerent omnes partes ani-

animæ anteà existentes distributione accommoda in pluribus partibus materiæ, & sine nova additione materiæ adderentur illæ partes animæ prius informantes brachium abscissum. Ergo duplex anima adæquata potest naturaliter informare eandem materiam, patet hæc consequentia satis absurda. Quia sicut se habet pars animæ ad partem materiæ, ita se habet tota anima ad totam materiam.

4 Dices 2. Eas partes animę brachij abscissi non informare partes materiæ, iam prius informatas ab alijs partibus animæ; sed tantum vniri partibus animæ in eis partibus materiæ existentibus. Sed contra primo: ergo in infante recenter nato, habenteque omnes partes animæ, quas habiturus est per totam vitam, plures sunt partes animę non informantes, quam informantes. Patet consequentia, quia iuxta te, cuilibet parti materiæ tantùm correspondet vnica pars animæ eam informans, & ille infans vix habet vigessimam partem materiæ, quam habiturus est dum fiat vir, proindeque sine informatione manent omnes illæ partes animæ, correspondentes illis partibus materiæ, quæ per nutritionem advenient puero vsque ad statum virilem. Nunc sic: Ergo omnes illæ partes naturaliter existerent sine informatione: ergo existerent in statu verò, & reali separationis, possentque proinde operari, independenter à corpore, & perfectè intelligere, amare; quod quis dicat? Contra secundò. Quia hæc non rectè cohærent cum doctrina fidei supra data de informatione animæ rationalis, scilicet esse actum per se informantem, & veram corporis.

5 Ideò Dices 3. Omnes, & singulas partes animæ informare omnes, & singulas partes materiæ; sicut iuxta nos tota anima indivisibilis est in omnibus partibus materiæ, & in qualibet earum tota: Indeque fit, quod dum pars materiæ deperditur aut per abscisionem, aut per diminutionem, pars animæ ipsi vnita, vnita manet alijs partibus materiæ. Sed contra primò, Quia vel quælibet pars animæ, capitis, v. g. sufficit ad informandam materiam capitis, vel non? Si sufficit, cur pars animæ pedis informabit etiam materiam capitis. Si non sufficit: ergo imperfectior est forma hominis, quam forma ligni. Patet: Quia quælibet simplex pars formæ ligni sufficit ad informandum, & defacto informat suam partem materiæ sine consortio alterius partis formæ. Contra secundò: Nam per te quævis pars animæ informat omnes, & singulas partes materiæ: ergo eadem indivisibilis anima potest simul informare omnes, & singulas partes materiæ: ergo anima rationalis est integraliter indivisibilis. Patet

hæc

hæc consequentia: Nam si aliquid posset obstare huic indivisibilitati, valeret est, quod eadem indivisibilis forma non possit simul informare materiam divisibilem, seu plures partes materiæ: sed hoc planè concedis, de qualibet parte animæ rationalis divisibilis: ergo ex tua solutione infertur non divisibilitas, sed potius indivisibilitas integralis animæ rationalis.

6 Sed contra hanc conclusionem, objicies primo: Eadem indivisibilis anima potest per nos esse in pluribus partibus materiæ continuis eas informando: ergo etiam poterit esse in pluribus partibus materiæ discontinuis. Respondet Pater Oviedo, controversia prima, puncto quinto, negando consequentiam, & eius ratio est: quia anima in qualibet parte existens petit existere in subiecto iam deorganizato pro toto homine, cumque in vna parte materiæ divisa ab alia, & ab ea discontinua non sit tota organizatio, ideò in duplici parte discontinua nequit anima informativè existere. Sed contra displicèt solutio; quia ex ea infertur negandam possibilitatem præsentiæ Angelicæ integraliter divisibilis, vt ipse Oviedo fatetur. Nã cum præsentia illa Angeli eam organizationem non petat, possit præsentia occupans spatium divisibile continuum, discontinua spatia occupare quod est cui denter falsum, cum essentialiter sit afixa spatio continuo cui correspondet. At possibilitas, aut impossibilitas illius præsentiæ aliunde probanda est, quam ex hoc capite: & aliundè gratis adstruitur à Patre Oviedo illa exigentia animæ. Alia ergo via debet responderi. Nego consequentiam, quia nequit eadem forma naturalitèr existere in duplici loco adæquato; anima autem informans duplicem materiam discontinuam in duplici loco sibi adæquato existeret: quia locus adæquatus animæ est ille, in quo ita est tota anima, vt ipse non continuetur cum alio.

7 Objicies secundo. Si anima rationalis esset indivisibilis, eadem indivisibilis anima moveretur motibus contrarij, siquidem tempore quo vna manus movetur sursum, altera sæpè movetur de orsum; hoc est absurdum minimè concedendum: ergo anima rationalis est divisibilis. Respondeo iuxta duplicem sententiam, quarum altera ait præsentiam animæ esse entitativè divisibilem, & altera esse omninò indivisibilem: & dico quod si præsentia animæ sit entitativè divisibilis, anima tunc moveretur duplici motu contrario inadęquato, seu duplici parte motus: quia per illum motum acquiritur duplex pręsentia inadæquata animæ componens vnam præsentiam totalem, quia to ti spatio corporis correspondet. Neque absurdum est, quod anima indivi-

si-

sibilis sic moveatur in diversis partibus corporis. Si verò præsentia sit entitativè indivisibilis, cùm motus solum habeat pro termino pręsentiam, motus etiam erit omninò indivisibilis, ideòque eodem indivisibili motu moveretur anima dum manus vna movetur sursum, & altera deorsum, & anima per eum motum acquirit præsentiam indivisibilem distinctam adæquatè, à præcedenti, qua præsentia adæquatè correspondet anima spatio, cui iam correspondet totus homo. Hinc si reliquo homine immoto sola manus moveatur, præsentiam acquirit anima adæquatè distinctam à præsentia pręcedente, quam habebat ante motum. Cæterum quia hoc vel illo motu diversum locum occupant manus, vel pedes, anima dicitur distinctum occupare locum; non quia per vnam præsentiam constituatur in vna parte loci, & per aliam in aliàs sed quia quocumque moveatur qualibet pars materiæ, anima acquirit præsentiam indivisibilem adæquatè distinctam à præcedente, qua iam correspondet anima toti spatio divisibili, à corpore occupato.

SECTIO. II.

De Animis plantarum, perfectorumque, & imperfectorum animalium.

8 Dico primò anima plantę est divisibilis in partes integrantes. Ab hac conclusione nullus Philosophus recedit; & probatur quia si ramus abscindatur ab arbore emittit ramos, vt experientia constat, & alibi plantatus fit magna arbor, florescit, & fructificat: sed anima permanens in arbore, a qua ramus fuit abscisus, non facit hæc, quia non est in duplici loco discontinuo: ergo hos effectus præstat pars animæ perseverans in ramo absciso: habet ergo partes illa anima, & est divisibilis. Sed dices. Ramum abscisum amissa prima anima indivisibili aliam indivisibilem induere in terra. Sed contra 1. quia etiam si in terra non plantetur vivit, folia, & ramos emittendo. 2. quia neque terra, neque vllum aliud agens est, à quo ea materia arboris separata possit recipere, aut animam indivisibilem, aut vltimam dispositionem ad ipsam: siquidem adhuc ipsa arbor non potest iterum vivificare partem, & ramum semel mortuum, licèt maneat ipsi vnitus; multo ergo minus vivificabit ramum à se separatum.

9 Dico 2. Animæ imperfectorum animalium divisibiles sunt integraliter. Ea dicuntur animalia imperfecta, vt loquitur Arist. quæ in partes divisa, in qualibet eliciunt, & a nobis videntur elicere operationes vitales. Conclusio inter nostros communis contra plures Thomistas quibus adhæret P. Quiros. Disp. 18. sect. 2. Probatur iacerta

certa, & Vermis in partes divisa non solum moventur in quali bet parte, sed sensationem eliciunt, quod indè constat, quia si quælibet pars pungatur, aut contrahitur, aut fugit: ergo in qualibet parte manet aliqua forma vitalis;sed non forma existens in altera parte, ne dicamus eam formam existere in duplici loco, & recipi in duplici subiecto discontinuo, & separato: ergo diversa est: ergo anima lacertæ divisibilis est in partes quarum quælibet sufficit elicere operationes vitales. Dices 1. perire formam indivisibilem antecedentem, & duplicem aliam indivisibilem produci, quarum vna in vna parte materiæ, & alia in alia introducitur. Sed contra 1. nullum est agens productivum illius duplicis formæ indivisibilis in duplici parte divisa, vel assigna tale agens 2. Eodem iure posses dicere indivisibilem esse formam lapidis, producique duplicem formam indivisibilem quando lapis in duas partes dividitur. Dices 2. totam animam lacertæ perijsse, & illum motum causari ab spiritibus vitalibus. Sed contra, quia motus progresivus, & sensatio nequeunt præcisè ab spiritibus vitalibus causari: at partes animalis abscissæ, & moventur progresivè, vt vidimus aliquando in vermibus habentibus pedes, & sentiunt, vt etiam apparet dum percussæ contrahuntur: ergo hæ operationes non proveniunt præcisè ab spiritibus vitalibus; sed à forma substantiali vivente.

10 Objicies. D. Aug. lib. de quantitate animæ cap. 31. vbi loquens de verme, qui divisas in duas partes in contraria spatia magna velocitate fugit motu progresivo clarè, vt videtur, ait, animam illius vermis non esse divisam, licet partes materiæ divisæ viverent, vel viderentur vivere: ergo anima hæc indivisibilis est. Respondeo: ex contextu constat, animam illam sectam esse, non ita tamen, vt quælibet pars esset anima, sed pars animæ; quia quælibet non manet actus corporis organici; sed actus vnius partis corporis. Nec aliud potest rectè intelligi, cum Aug. ibi fateatur, quamlibet partem lacertæ motu progresivo ab alia discessisse, atqui motus progresivus supponit animam à qua oriatur: ergo pars animæ est in qualibet ex illis partibus, Dices: si sunt distinctæ partes, & aliæ possunt conservari separatæ ab alijs: ergo etiam poterunt in prima generatione produci aliæ sine alijs. Nego consequentiam: quia nulla potest introduci quousque possit operari, & quælibet ad operandum indiget fomento aliarum; at quando dividuntur non est cur per aliquod tempus non maneat in parte divisa dispositio orta ex fomenro aliarum, vt aliquid operentur: ac proinde poterunt conservari separatæ ab alijs, licèt

in

in prima generatione omnes debeant simul introduci.

11 Circa divisibilitatem integralem animarum perfectorum brutorum est maior difficultas. Esse indivisibiles affirmant Thomistæ, & ex nostris. P. Quiros disp. 81. & Carleton disp. 8. citatur etiam pro hac sententia P. Suar. lib. 1. de Anima cap. 13. sed hoc opus postumum est, & contrariam sententiam tradidit disp. 15. Metaphysicæ sect. 10. præterquamquod eodem lib. de Anima ait, probabilissimum esse, omnes animas præter animam hominis esse divisibiles. Secunda sententia divisibilitatem animarum perfectorum brutorum defendit Ita Subtilis Doctor in 4. disp. 4. quæst. 1. art. 1. cum omnibus Scotistis: eandem sequuntur omnes Authores nostri præter relatos pro prima sententia: nec non Aversa tom. 1. metaph. quæst. 46.

12 Dico ergo 3. cum secunda sententia. Animæ perfectorum brutorum de facto sunt divisibiles in partes integrantes. Bruta perfecta vocantur ea, quæ in partes divisa nullam operationem vitalem eliciunt. Conclusio probatur 1. ad hominem contra Thomistas. Per vos, nulla forma materialis potest transire de subiecto in subiectum; sed forma materialis equi v. g. si indivisibilis est transit de subiecto in subiectum: ergo non est indivisibilis. Minor probatur: forma equi subiecta, & recepta in materia fetus in prima generatione postea quando equus augetur per nutritionem, transiret ad informandam materiam alimenti, & in ea subiectaretur; sed hoc subiectum est realiter distinctum à primo, quia materia alimenti non est materia primigenea, vt certo certius est: ergo forma indivisibilis equi transit de subiecto in subiectum. Maior est certa, quia forma elicit operationes vitales non solum in materia, quam in prima generatione informavit; sed etiam in materia nova, quam per nutritionem acquirit; quod non stat, quin ipsam informet, & in ipsa recipiatur.

13 Dices totum hoc esse verum; sed non absurdum: quia liceat ea forma transiret de vna parte subiecti ad aliam informandam; non tamen transit de subiecto adæquato, ad subiectum adæquatum, quia vtraque pars vnum subiectum adæquatum constituit. Sed cōtra ergo accidentia recepta in composito corrupto tanquam in subiecto adæquato, possunt manere in alio composito denuo genito resultante ex eadem materia, & nova forma. Patet illatio, quia tunc ea accidētia solum mutarent subiectum inadæquatum, & solum transirent de subiecto inadæquato ad subiectum inadæquatum; sed iuxta vos, non est absurdum; quod forma materialis indivisibilis equi transeat

de subiecto inadæquato, ad subiectum inadæquatum: ergo neque absurdum erit, quod accidentia subiectum inadæquatum mutent, & transeant à subiecto inadæquato, ad aliud inadæquatum subiectum.

14 Probatur 2. à ratione cum P. Oviedo controversia 1. punct. 6. Forma equi in prima generatione adæquatè dependet in genere causæ materialis à materia minimi naturalis requisiti ad eius introductionem: ergo dum per nutritionem acquirit equus novam partem materiæ, forma præcedens non informat eam novam partem, sed alia pars formæ denuo producta. Ecce duas partes formæ equi, ac proinde talis forma est divisibilis. Consequentia probatur: forma præcedens non potest dependere tanquam à subiecto receptionis à nova parte materiæ acquisitæ per nutritionem: ergo forma præcedens non informat eam novam partem materiæ. Consequentia patet, quia subiectum informationis formarum materialium est indistinctum à subiecto receptionis. Antecedens probatur. Forma præcedens non potest dependere à nova parte materiæ per eandem actionem, qua pendebat à materia minimi, quia ea actio non est modus materiæ denuo acquisitæ per nutritionem, vt est certum; sed neque dependet ab ea nova parte materiæ per novam actionem: ergo nullo modo potest dependere forma præcedens à nova parte materiæ acquisitæ per nutritionem. Minor probatur 1. quia si adæquatè dependet à materia minimi per prima actionem, & à nova parte materiæ acquisitæ per nutritionem dependet adæquatè etiam per actionem secundam, eadem forma indivisibilis in eodem instanti reali dependet à duplici subiecto duplici dependentia adæquata educiturque duplici eductione, quod repugnat 1. Quia illa forma præcedens, & dependens per primam actionem à materia minimi est causa eductionis, qua postea dependet à nova parte materiæ alimenti denuo acquisita per nutritionem: ergo illa forma est prior ea eductione, & termino per ipsam producto: atqui terminus illius eductionis est ipsamet forma: ergo ea forma est prior se ipsa, & se ipsam naturalitèr producit, educitque se ipsam à nova parte subiecti, quod implicat.

15 Respondent. 1. adveniente nova parte materiæ per nutritionem destrui primam actionem, qua illa forma dependebat à sola materia minimi, & advenire aliam actionem novam, qua ea forma adæquatè dependet indivisibilitèr à materia minimi, & à materia alimenti.

Sed

Sed contra per te; illa forma per actionem adæquatè à se procedentem tanquam a causa efficiente dependet immediatè, in instanti nutritionis à materia minimi, & alimenti, tanquam à causa materiali adæquata: ergo forma in eo instanti pro priori naturæ ad eam actionem præcedit existens; sed non existens per actionem, quam ipsa causat, & qua dependet indivisibilitèr à materia minimi, & alimenti: ergo præcedit existens per primam actionem, qua dependet à sola materia minimi: ergo existit in eodem instanti reali duplici actione adæquata. Neque vitat solutio absurdum stans in eo, quod illa forma se ipsam materialitèr producat: quia ea forma, vt propriori existens dependens à sola materia minimi est causa novæ eductionis, qua indivisibilitèr dependet à materia minimi, & alimenti, ac proindè est causa termini per eam novam eductionem producti: atqui terminus illius eductionis est ipsamet forma: ergo ea forma causat se ipsam.

16 Respondent 2. eam formam equi non educere seipsam dependentèr à materia alimenti, sed solum disponere talem materiam, qua vltimo disposita Deus illam formam educit ex ea nova materia ipsam tamen animam producere vnionem sui cum ea nova parte per nutritionem acquisita, quod sufficit, vt equus, & quodlibet aliud vivens dicatur se nutrire. Sed contra. Per te anima illa disponit materiam alimenti, vt Deus ipsam animam educat ex tali materia: ergo anima est vera causa vltimæ dispositionis ad eam eductionem novam: ergo est vera causa ipsius eductionis. Sed ea eductio habet pro termino ipsam animam: ergo anima illa est causa, saltem mediata sui ipsius, & naturalitèr prior, & posterior se ipsa. Dices animam non esse causam vltimæ dispositionis, quia hæc adæquatè producitur à temperamento qualitatum, quæ comitantur materiam minimi. Sed contra, quia forma in materia minimi conservat eam partem temperamenti, quæ disponit materiam alimenti, vt forma educatur ex ipsa: nam partes temperamenti vltimo disponentes materiam alimenti, non occupantur in conservanda forma, & aliundè quælibet forma conservat temperamentum non occupatum in conservatione ipsius formæ: ergo forma est causa effectus producti ab illo temperamento; sed per vos, effectus immediatus illius temperamenti est vltima dispositio ad eductionem novam, & effectus mediatus est ipsa eductio: ergo semper forma esset causa, saltem remota illius eductionis novæ, & termini per eam producti, qui est ipsamet forma, quæ proindè causat se ipsam, & est prior, & posterior se.

17 P. Alphonsus disp. 3. sect. 3. & ex parte P. Arriaga dicunt posse responderi 3. nostro argumento, dicendo, animam equi in nutritione non educi ex materia alimenti, quam denuo acquirit, sed solum illi vniri, quod sufficit ad rationem nutritionis, vt patet in homine, in quo anima non educitur ex materia alimenti, sed solum illi vnitur, & nihilominus verè, & propriè dicitur nutriri; sufficitquè etiam vt anima equi informet illam partem materiæ denuo acquisitam, vt patet etiam in anima rationali, quæ sola vnione ad materiam eam informat. Deindè, quia cum ea forma equi dependeat à minimo naturali, tanquam à causa materiali, id sufficit, vt talis forma dicatur materialis, & à materia dependens in suo esse, & conservari: ad quid ergo requiritur dependentia talis formæ à materia alimenti, tanquam à causa materiali? Postea verò quãdo per diminutionem actione, & reactione deperditur aliqua pars materiæ minimi, dicunt, Deum educere illam formam indivisibili actione dependenti, simul à materia minimi, & ab illa parte materiæ alimenti, quam substituit loco partis minimi naturalis deperditæ per diminutionum. Sed hæc solutio quamvis videtur benè excogitata multum displicèt. Contra ipsam argumentor 1. Per vos forma equi disponit eam partem materiæ alimenti substitutæ loco partis deperditæ materiæ minimi, vt ex ipsa simul cum materia minimi remanentis Deus educat eam formam in instanti nutritionis: ergo illa forma est vera causa immediata vltimæ dispositionis ad sui eductionem, & mediata ipsius eductionis, & termini per illam producti: atqui talis terminus est ipsamet forma: ergo per prædictam solutionem non vitatur absurdum duplicis actionis totalis, & causalitatis formæ in se ipsam à nobis illatum num. 14.

18 Contra 2. quia contra veram, & communem Philosophiam dicis formam materialem non dependere materialitèr à subiecto quod informat: siquidem in eo communitèr distinguitur forma materialis ab spirituali, quod illa nequit componere sine concursu passivo subiecti in ipsam, secus spiritualis. Contra 3 ergo forma materialis non magis connectitur cum corpore, quam forma spiritualis. Probatur consequentia ex tua solutione. 1. Quia forma materialis per te connaturalitèr existit informando præcissè subiectum, absque sui receptione, vsque ad tempus diminutionis viventis; sed forma materialis non exigit ab intrinseco eam diminutionem provenientem ab extrinsecis agentibus. Imò exigit quantum est ex se nullam partem minimi deperdi, sed melius patietur deperdi per diminutionem partem

tem; aut partes materiæ alimenti, à quibus per te non dependet talis forma, quæ per te etiam dependet à materia minimi: ergo potest ea forma connaturalitèr existere præcisse informando materiam alimenti, quin vnquam in ea recipiatur: ergo hæc forma non magis dependet à materia, vt eam informet, quam anima rationalis, ac proindè non magis cōnectitur forma materialis cum corpore, quam forma spiritualis.

19 Explicatur hæc ratio. Forma equi per te, potest tres, aut quatuor, aut plures partes materiæ informare, quin vnquam in illis subiectetur: ergo potest produci connaturalitèr dependentèr à materia minimi dependentia solius informationis præcisè. Probat. conseq. forma materialis, quia entitas incompleta, primario ordinatur ad cōpositionem totius: ergo primario solum petit produci modo sufficienti, vt cum materia componat: sed componit cum sola vnione ad materiam minimi, quin in ea recipiatur, sicut per vos cōponit cum sola vnione ad materiam alimenti absque vlla receptione in ipsa: ergo solum petit produci dependentèr à materia minimi, vt à subiecto informationis, & non dependentèr ab illa, vt à subiecto receptionis. Cur ergo dicemus formam materialem petere educi, si compositionem ad quam ordinatur, natura sua exercere potest cum sola vnione? Dices. Ideò petere, quia materialis est. Sed contra, quia hoc est petere principium, nam intendimus ex tua solutione inferri non esse materialem: nam materialis non erit si non petat, educi; sed ea non petit educi, vt probavimus ex tua doctrina: ergo non erit materialis. Hac solutione non possunt vti Thomistæ, quia in opinione ipsorum forma materialis non alitèr informat materiam, quam per dependentiam passivam ab ipsa, vt à causa materiali.

20 Hinc probatur 3. nostra conclusio, quia absque dubio conceditur defacto formæ materiali perfectio indivisibilitatis contra rectam Philosophiam: tùm quia ea indivisibilitas nequit stare, quin aut forma præcedat, ad se ipsam, aut adæquatè dependeat à subiecto dupplici actione totali, aut connaturalitèr capax sit informare subiectum absque passione, & receptione. Tùm quia recta Philosophia petit formam informantem subiectum divisibile esse divisibilem, nisi aliud clara ratione, aut vrgenti fundamento constet, vt constitit de anima rationali; sed forma materialis informat subiectum divisibile, nec fundamentum pro eius indivisibilitate, vt statim videbimus solventes argumenta: ergo anima materialis, quæcumque illa sit, est divisibilis integralitèr.

21 Objic. 1. Si anima equi constat partibus integralibus poterunt alię partes prius alijs introduci in materia fœtus in prima generatione: sed hoc est falsum: ergo non est divisibilis. Probatur maior, partes materiæ proximiores generanti prius disponuntur ad formam, quam remotiores: ergo partes animæ correspondentes illi materiæ proximiori prius introducuntur, quam aliæ. Respondeo, maiorem argumenti esse falsum, & ad eius probationem dico non esse vltimam dispositionem in materia ad vllam partem formæ quousque in omnibus partibus materiæ sit vltima dispositio ad omnes partes formæ, quæ introducuntur in prima generatione: nam quælibet petit non introduci, nisi dum possit operari, & aliæ dependent in operari ab alijs, quia ad operationes indigent spiritibus vitalibus, & alijs fomentis reliquarum partium, quo fit mutuo dependere inter se ad informandum dependentia à comitanti. Objic. 2. anima bruti est indivisibilis in informando: ergo in essendo. Distinguo antecedens, est indivisibilis in informando indivisibilitate temporis, quo informat concedo, quia informat in instanti: indivisibilitate ipsius formæ, aut vnionis nego antecedens, & consequentiam.

22 Objic. 2. D. Thomam 1. part. quæst. 76. art. 7. vbi docet animam esse in toto corpore, & in qualibet eius parte, & animam non dividi adhuc per accidens, sicut dividitur albedo ad divisionem quantitatis: ergo iuxta D. Thomam anima non est divisibilis. Respondeo hæc verba, & alia, quæ sequuntur loco citato æquè esse contra Thomistas, ac contra Nos: nam ibi appertè loquitur S. Doctor de omnibus animabus brutorum, etiam imperfectorum quæ apud Thomistas sunt divisibiles: ergo intelligenda sunt indivisibilitate communi omnibus animabus materialibus brutorum sivè perfectorum, sivè imperfectorum. Pro omnibus respondeo D. Thomam præcisè asserere, animam non dividi eo modo, quo dividitur albedo: nam hæc ita dividitur, vt quævis eius pars post divisionem, sit formaliter albedo, vt diu perseveret divisa ab alia: at verò anima non ita dividitur, vt quævis eius pars diu perseveret divisa ab alijs, neque pars divisa ab alijs est anima, sed pars animæ, eo modo quo explicuimus D. August. sup. num. 10. si autem aliquando dixit D. Thomas *formam bruti esse simplicem*, mens S. Doctoris est, non esse plures formas in quovis bruto, sed plures partes ex quibus vnica forma componitur: Vel intelligendus est de simplicitate essentiali, non de integrali.

23 Objicies 4. si equus feriatur in capite totum corpus dolet, nam vel contrahitur, vel fugit: ergo eadem anima est.

est in toto corpore 5. equus divisus in partes in nulla nec per breve tempus conservat vitam, neque elicit vllam operationem vitalem: ergo non constat forma divisibili: siquidem ex opposita ratione probabimus divisibilitatem lacertæ. 6. Quia dum equus intensius incumbit operationi vnius partis remissus operantur reliquæ: ergo eadem forma est in omnibus; alioquin cur intensa operatio vnius partis impediret, quod intense operetur in alijs? Ad 4. Respondeo instando argumentum lacerta si pungatur toto corpore dolet, & contrahitur, aut fugit: ergo constat forma indivisibili, quod negas. Deindè dico omnes partes ab invicem dependere ad suum statum connaturalem, & ad suam conservationem: Vndè damnum illatum cuilibet infertur omnibus, quid ergo mirum, quod omnes doleant propter hanc mutuam dependentiam quam habent inter se. Quare res ita se habet: dum sensus internus habet speciem doloris capitis, imperat alijs partibus, vt in remedium eant, vel fuga vel contractione, vel vindicta, vt patet in tauro percusso: partesque omnes, vel ob naturalem sympathiam, vel ob subiectionem, quam habent respectu sensus interni, statim exequuntur quod ille imperat. Ad 5. Disparitas desummitur ex maiori connexione, quam inter se habent partes animæ equi, quam partes lacertæ, & hæc maior connexio: ipsa experientia nobis constat. Quarè argumentum solum convincit, quod, omnes rationes probantes divisibilitatem animarum brutorum perfectorum, æquè probant divisibilitatem animarum in brutis imperfectis, licet non omnes, quæ in his probant probent etiam in illis. Ad 6. insto prius in brutis imperfectis, & deindè respondeo illud provenire ex eo quod spiritus vitales requisiti ad operationem omnium partium avocantur, per ipsam applicationem viventis ad operandum intensius in vna parte, ab illis, in quibus antea existebant: quę proindè non adeò intense operantur.

14 Dico 4. possibiles sunt animæ animalium tàm perfectorum, quàm imperfectorum, integralitèr indivisibiles. Quia in eis nulla assignatur implicatio, vt constabit. Nam 1. non obstat materialitas, quia materiale, & indivisibile rectè componuntur in puncto quantitatis: ergo multò melius in substantia animæ materialis. Neque obstat 2. corporeitas, nam hoc ipso quod naturalitèr, nequeant separari à materia erunt corporeæ. Neque 3. obstat difficultas ex nutritione desumpta sup. num 14. nam possibilis est forma materialis, quæ connaturalitèr producatur per creationem, quo cessat argumenrum ibi factum. Neque hoc difficile debet apparere. Nam si

forma divisibilis de facto existens potest, iuxta communem, & veram sententiam miraculose creari; cur repugnabit forma materialis indivisibilis potens connaturaliter creari, presertim, cum aliunde per connexionem cum materia, vt subiecto, informationis, tota ratio corporis salvetur ex dicendis disp. 3.

SECT. III.

Vtrum partes formæ divisibilis sint homogeneæ, vel hæterogeneæ?

25 Partes animæ divisibilis erunt homogeneæ, si sint eiusdem omninò rationis, & perfectionis specificæ: hæterogeneæ autem, si aliæ sint intrinsecè perfectiores alijs. Rursus erunt eiusdem perfectionis, si quælibet ex se possit producere operationes quas alia producit, possitque coniungi, cum dispositionibus huius, vel illius partis: at si pars animæ capitis ex se petat eam partem determinatam materiæ occupare, & eas dispositiones ad operationes capitales, ita vt contra ipsius naturam fieret, si alibi cum alij dispositionibus poneretur, diversæ rationis specificæ erit à parte animæ pedis, quia de se determinata ad operationes specie dissidentes ab operationibus pedis. In hac quæstione duplex est sententia. Prima ait partes animæ divisibilis esse hæterogeneas, & diversæ rationis. Ita plures ex Antiquis, & Suarez in metaph. disp. 15. sect. 10. Pater Hurtado, hic d. 2. s. 5. necnon P. Alphonsus disp. 3. sect. 4. Secunda sententia defendit partes homogeneas: ita communiter Thomistæ, & ex nostris P. Arriaga, Conimbricenses, Oviedo, & alij, quos citat, & sequitur Quiros disp. 81. sect. 3.

26 Sit nostra conclusio: partes animæ divisibilis sunt homogeneæ. Probatur 1. Authoritate Div. Thomæ 1. p. q. 67. art. 5. ad 3. vbi ait. *Dicendum quod partes animalis, vt oculus manus, caro, & os, non potest dici propriè loquendo quod sint diversarum specierum, sed diversarum dispositionum*: ergo clarè sentit S. Doctor, partes animæ non esse diversæ rationis, siquidem totam diversitatem operationum oculi, manus, carnis, &c. vnicè reduci ad diversitatem dispositionum. Probatur 2. Quia de facto plures partes animæ sunt æquales in perfectione: ergo omnes. Consequentia est certa, quia in partibus integrantibus eandem numero formam non est ponenda inæqualitas vi cuius plures sint eiusdem rationis, & æquales, & plures magna ex parte inæquales, sine gravi fundamento; nullum autem est grave fundamentum ad eam inæqualitatem, vt argumentorum solutione constabit: ergo omnes sunt æquales, si æquales sint aliquæ. probatur iam antecedens. Partes animæ informantes car-

carnem pectoris, brachiorum, & fœmorum, item partes animæ informantes omnia, vel plura ossa sunt omninò æquales: ergo de facto plures partes animæ sunt æquales in perfectione, & homogeneæ. Probatur antecedens: nulla earum partium perfectiores elicit operationes, quam alia, nulla coniungitur cum meliori dispositione, quam alia, neque eam exigit: ergo omnes illæ partes sunt æquales. Antecedens videtur certum: nam caro pectoris est eiusdem omnino perfectionis cum fæmoris carne, nec perfectiores alia, quam alia, elicit operationes; at non ex alio capite probant adversarij inæqualitatem, quam ex diversitate operationum, dispositionum, & perfectionis materiæ, quam anima informat: ergo æqualitas, & omnimoda similitudo dispositionum, & operationum carnis pectoris, & fœmoris, arguit æqualitatem partium animę informantium eas partes materiæ. Idem argumentum de alijs partibus fit.

27 Probatur 3. Quia vel pars animæ equæ existens in ventre producit in materiæ fœtus se sola omnes partes animæ, quæ in prima generatione introducuntur, vel ad eam productionem concurrunt omnes partes dispertitæ per totum corpus? Non 1. Quia imperfectius tanquam causa adæquata produceret perfectius: siquidem sola pars animę ventris ęque imperfectior est collectione earum partiū, quæ primo generantur: ergo omnes partes dispersæ per totum corpus æquè concurrunt indivisibilitèr cum parte animæ ventris ad generationem equi ratione constitutionis, & vnionis, quam omnes habent cum illa, & inter se: ergo omnes æqualitèr habent virtutem productivam substantiæ equi. Nunc sic: ergo omnes æqualitèr habent virtutem producendi operationes omnium partium si in eis ponantur, & coniungantur cum dispositionibus requisitis ad eas operationes. Hæc consequentia probatur. Plus est omnes concurrere immediatè ad generandam substantiam perfectiorem qualibet operatione, quam posse immediatè elicere quamlibet operationem accidentalem; sed omnes immediatè concurrunt ad generandam substantiam qualibet operatione perfectiorem: ergo omnes, & quælibet earum habent æqualem virtutem producendi operationes omnium partium si in eis ponantur, & coniungantur cum dispositionibus requisitis ad eas operationes. At si omnes ęque possunt producere omnes operationes cæterarum non est vndè desummatur inæqualitas perfectionis: ergo omnes sunt æquales, & homogeneæ.

28 Cæterùm pro maiori claritate, & solutione plu-

plurium argumentorum aliqua obseruanda sunt. Obserua. 1. eandem partem animæ existentem in capite potuisse esse, & existere in pede: neque de se, exigere potius coniungi cum dispositionibus capitis, quam pedis, sed esse ex se indifferentem ad quaslibet, cum nullum fundamentum, sit ad tribuendum ipsi determinationem ad informandam hanc partem potius quam illam, & vt se coniungat cum his dispositionibus, & non cum alijs. Obserua 2. Quod pars animæ capitis semper eliciat operationes capitis, inde prouenit, quia semper coniungitur cum dispositionibus ad eas operationes, quas illa pars animæ per se determinatè non exigit: non alitèr ac anima rationalis semper in pede elicit operationes pedis, & non alias, ex se tamen intrinsecè non petit in pede non habere dispositiones ad operationes capitis. Obserua 3. Tota collectio partium animæ exigit collectionem omnium dispositionum dispersarum per totum corpus bruti ad omnes operationes quas exercet: exigit, inquam, totam collectionem, non determinatè dandã alicui determinatæ parti animæ, sed omnibus perdistributionẽ accõmodã; quod vt melius intelligas.

29 Obserua 4. Quælibet pars animæ duplicem habet exigentiã aliam vagam respectu termini, & aliam determinatam. Est dicere: quælibet pars exigit pro se omnes dispositiones exigentia vage respiciente ipsas in componibili cum negatione omnium, & æquabili concesioni cuiuslibet. *Incomponibili cum negatione omnium*: quia exigit aliquam partem viuentis constituere, & coniungi cum aliquibus dispositionibus ad operandum. *Æquabili concessioni cuiuslibet*, quia non exigit potius partem pedis, quam capitis constituere, neque potius has dispositiones, quam illas exigit. Deindè quælibet pars exigit omnes dispositiones exigentia determinatè respiciente totam collectionem earum dari, non sibi tantùm; sed sibi, & alijs acommoda distributione. Ratio huius est, quia quælibet exigit partem aliquam viuentis constituere, & cum nullam partem constituere posit sine alijs, neque aliæ sine dispositionibus, hoc ipso, quod quælibet petat equum cum alijs constituere, exigit determinatè sibi, & alijs dari collectionem dispositionum ad omnes partes materiæ equi informandas, & ad eliciendas omnes operationes equi. Quare pro toto equo exigit totam collectionem dispositionum determinatè, & pro se quælibet pars exigit vagè has dispositiones, vel illas dummodò non careat omnibus.

30 Obserua 5. Deus debet determinare, quæ pars animæ debeat coniungi in capite cum dispositionibus capitis, & quæ in pede cum dispositionibus pe-

pedis. Est certum; quia diximus nullam partem animæ exigere potius in hac, quam in illa parte existere. Neque dicas, parum philosophice nos recurrere ad Deum pro introductione harum partium. Quia philosophicè recurrimus dum recurrimus cum fundamento: fundamentum autem est æqualitas omnium supra probata ex duplici capite. Nec dicas 2. Simili iure posse nos recurrere ad Deum pro introductione cuiuslibet gradus caloris constituentis intensionem. Quia cum à nobis probatum sit gradus caloris esse disimiles, & inæquales, ac proindè inter se subordinatos, & alios alijs priores, nullum est fundamentum, vt ad Deum recurramus pro eorum introductione: verum cum de facto probaverimus plures partes animæ materialis similes, ita vt pars animæ informans carnem pectoris potuerit informare carnem brachij, & alias partes carnis similis, vt plures ex adversarijs fatentur, ea ratione ducti, quia in eis partibus nulla est diversitas specifica operationum, fundamentum habemus pro recursu ad Deum, vt hæc pars formæ ponatur in hac parte materiæ potius quam in alia: Item vt hæc pars primo introducatur in materia per generationem primam, & alia introducatur postea per nutritionem, semel autem quod recurratur ad Deum pro determinatione aliquarum partium animæ, recurrendum est pro determinatione omnium, dum adversarij non probent efficacitèr oppositum.

31 Observa 1. Necessitatem esse ponendi hanc æqualitatem specificam in partibus animæ: Nam hæc necessitas non distinguitur à fundamento ad ipsam æqualitatem statuendam, & fundamentum habemus desumptum, tùm ex æqualitate plurium: tùm ex æqualitete producendi substantiam sibi similem, nam ex hac virtute æquali producendi formam similem, melius arguitur æqualitas virtutis ad operationes accidentales, & vnitas specifica partium formę, quam arguitur distinctio specifica, & inæqualitas ipsarum ex coniunctione cum ijs, aut illis dispositionibus, aut operationibus: siquidem hoc secundum arguendi caput instatur manifestè in anima rationali, quæ cum eadem numero, & indivisibilis sit in hac, & illa parte coniungitur cum ijs, aut illis operationibus specie distinctis, propter coniunctionem sui in hac parte cum ijs dispositionibus, & in alia cum alijs.

32 Objicies 1. Pars animæ capitis exigit dispositiones ad operationes capitis, & non pedis; pars autem animæ pedis exigit è contra dispositiones ad operationes pedis, & non capitis: ergo distinguuntur specie, & sunt hæterogeneæ. Antecedes pro-

probatur 1. Quia anima capitis ſemper coniungitur cum illis diſpoſitionibus, & non cum alijs, & ſimilitèr anima pedis; vnde ergo id prouenit, niſi quia quælibet exigit ſuas proprias diſpoſitiones. 2. Quia ſi anima capitis haberet virtutem ad operationes pedis, aliquando eas eliceret, alias fruſtranea eſſet illa virtus: nam *fruſtra datur potentia, quæ numquam reducitur ad actum.* 3. Quia ſolum poſſumus ſpecie diſtinguere equum à leone, quia alter ſemper coniungitur cum talibus diſpoſitionibus, & operationibus ſpecie diſtinctis à diſpoſitionibus, & operationibus alterius. Si enim hoc non eſt fundamentum aliud aſsignare non poſſumus; ſed pars animæ capitis ſemper coniungitur cum ſuis diſpoſitionibus, & non cum diſpoſitionibus pedis: ergo has, & non illas exigit, ac proindè ſpecie diſtinguntur illæ partes animæ, ſicut diſtinguntur equus, & leo.

33 Ad argumentum nego antecedens, ad cuius primam probationem reſpondeo quod licèt anima capitis ſemper coniungatur cum diſpoſitionibus capitis, & non pedis, id non habet ex determinatione propria ſed ex determinatione Dei, qui potuit eam coniungere cum diſpoſitionibus pedis: & idem dicito de parte animæ pedis. Imò ſi hoc argumentum probat aliquid, vtique probat, animam D. Auguſtini defacto fuiſſe diſtinctam in ſpecie ab animâ hominis rudis: quia dicam ego animam D. Aug. intrinſecè habuiſſe exigentiam diſpoſitionum ad eas operationes, quas de facto elicuit notabilitèr excedentes operationes hominis rudis, quæ diſpoſitiones abſque dubio diſtinguuntur in ſpecie à diſpoſitionibus hominis rudis: & eam exigentiam habuiſſe probabo tuo argumento, quia anima D. Aug. ſemper fuit coniuncta cum eis diſpoſitionibus, quibus ſemper caruit anima hominis rudis. Hinc ad 2. probationem inſto argumentum: ergo anima rationalis fruſtra habet in pede virtutem intelligendi cum in pede numquam eliciat intellectionem, & fruſtra datur virtus, quę non reducitur ad actum. Deinde reſpondeo, animam pedis in pede poſſe elicere operationes capitis, ſi ibi ponantur diſpoſitiones capitis, non alitèr ac anima noſtra intelligeret in pede ſi in pede ponerentur diſpoſitiones ad intelligendum. Quod autem in pede non ponantur diſpoſitiones ad operationes capitis, non prouenit ab intrinſeco animæ, ſed ab extrinſeco: ab intrinſeco enim cum eis poſsit coniungi in pede, & in qualibet alia parte. Quare non fruſtra habet in pede virtutem ad operationes capitis, quia ſolum dicitur fruſtranea illa virtus, quæ ab intrinſeco habet cum aliqua operatione non coniungi; non illa,

quæ

quæ ab extrinseco solum ab operatione impeditur. Sic explicandum est illud proloquium *frustra datur virtus quæ non reducitur ad actum*, ex intrinseca exigentia.

34 Ad 3. probationem. Leo distinguitur specie ab equo non solum, quia semper coniungitur cum eis dispositionibus, & operationibus specie distinctis à dispositionibus,& operationibus equi; sed quia ab intrinseco eas exigit, & ad eas ordinatur. Si autem huius vlteriorem rationem desideres, hæc est. Quodlibet suppositum creatum, vt apud omnes est certum, habet aliquod substantiale principium, & radicem operationum, & accidentium, quæ in ipsis reperiuntur:tale autem principium & radicem debemus tribuere equo, & leoni respectu suarum operationum: & accidentium: cumque accidentia, & operationes vnius, & alterius distinguantur in specie, ipsa quoque principia ad eas operationes ordinata, & determinata, debemus specie distinguere, ne cogamur dicere equum,& leonem,solùm distingui secundum accidens, item equum æquè posse esse leonem, ac equum, & æque posse producere leonem, & equum. Igitur forma equi,& quælibet pars illius exigit totam collectionem dispositionum, & operationum equi exigentia determinata pro toto composito equi, modo quo diximus num. 29. Cumque illa collectio operationum equi, & dispositionum ad ipsas sit specie distincta ab operationibus, & dispositionibus leonis, indè forma equi, quæ per exigentiam determinatam, illam collectionem operationum, & dispositionum petit, specie distingui necesse est ab anima leonis. Hoc posito, non est fundamentum, vt intra idem suppositum creatum dentur dissimiles, & inæquales virtutes iuxta dissimilitudinem suarum operationum, & dispositionum, cum à partibus similibus, imò, & ab vnico principio ea diversitas possit oriri, vt fateri necesse est in anima rationali.

45 Objic. 2. Si equus amittit oculum non recuperat ipsum: ergo partes ibi manentes non sunt similes parti animæ deperditæ. Probatur consequentia. Si similes essent, possent recuperare eas dispositiones, sicut pars deperdita eas conservabat. Instatur argumentum in homine qui nunquam oculum deperditum recuperat, licet habeat eandem animam post, & ante amissionem,ideòque nego consequentiam, & probationem. Nam oculus amittitur vi dispositionum, & qualitatum contrariarum, quas anima nequit expellere, neque in earum consortio dispositiones ad visum recuperare. Aliæ partes deperditæ recuperari solent, vt pars carnis in aure abscissa, imò aures, & nares abscissę iterum applicatæ parti

ti remanenti solent ita vniri, vt rursus informentur anima. Quod in diversitatem dispositionum, pro alijs, & alijs partibus reducendum est. Objicies 3. Si partes sunt similes, etiam si ab equo auferantur vulnere, aut alitèr viginti partes manebit tota substantia equi, sicut manet substantia aquæ in vase ablata qualibet parte: sed hoc videtur falsum: ergo, & quod partes animæ sint similes. Respondeo ablatis aliquibus partibus manere substantiam equi quoad essentialia: quia essentialia ea solum dicuntur, quæ sufficiunt, vt equus absolutè: & simplicitèr sit, non tamen manere totam substantiam equi quoad integralia: quia defectu earum partium non potest ea exercere operationes ab ipsis partibus, quas tota anima informare petebat dependentes.

36 Hinc si ab equo habente quatuor partes animæ in quatuor partibus materiæ duæ partes auferantur animæ, vt introducantur in materia equelli, quæ tantũ habeat duas partes, cũ dispositionibus ad distinctionem omnium membrorum, hæc forma in equello integra manebit quoad essentialia; quia equum constituet, & quoad integralia, quia integra est dum habet omnia membra, & dispositiones ad eorum operationes, verum si ab hoc equello auferatur manus aut ab equo habente quator partes auferatur aliqua, quilibet mancus manebit, quia forma cuiuslibet exigit habere dispositionem ad omnia membra, vt in omnibus operetur. Confirmatur solutio argumenti, & ratio illationis paritate hominis, qui totus quoad essentialia manet ablata manu, vel pede, secus quoad integralia, quia anima indivisibilis exigit habere dispositiones ad omnia membra, vt in eis aliquid operetur, easque non habet dum aliquod membrum abscinditur. Quæ obici possunt vlterius ex P. Alphonso, & ex alijs soluta manent in illationibus à num. 28.

SECTIO IV.

Vtrùm Animæ eiusdem speciei infimæ sint perfectionis omninò æqualis.

37 SVppono 1. Individua eiusdem speciei neque esse omninò similia, neque omninò dissimilia. Probatur facilè Quia dicere esse omninò similia est, ita esse per suas entitates fundamentum, vt confundantur sub vno aut pluribus conceptibus, vt fundamentum non sint, vt sub aliquo discernantur; sed omnia individua cuiuscumque speciei fundamentum sunt, vt sub aliquo conceptu confundantur, v.g. sub hoc conceptu *individuum*, & vt discernantur sub alio ipsa vt talia, & talia expriment: ergo neque sunt omninò si-

similia, neque omnino disimilia. Suppono 2. duas entitates esse æquales in perfectione, est esse tales, vt inter se collatis prædicatis vnius, & alterius, æquè vna, ac altera in prudentum iuditio æstimabilis sit; esse autem inæquales est quod facta simili collatione vna sit æstimabilior altera.

38 Suppono 3. Eas entitates esse eiusdem specificæ perfectionis, quæ in prudentum æstimatione, non differunt notabiliter pensatis, & collatis inter se collectione prædicatorum vnius, & collectione prædicatorum alterius: & eas esse diversæ speciei, quæ simili collatione facta notabiliter inter se differant, in prudentum æstimatione. Neque alia regula infallibilior super est pro asignanda identitate, aut distinctione specificata perfectionis. Hinc non sufficit qualiscumque excesus vnius rei ad alteram, vt specie distinguantur: nam cognitio natura sua repræsentans Petrum, & Paulum claritate, vt quatuor excedit congnitionem natura sua solum Petrum repræsentantem claritate etiam vt quatuor; & tamen si ab eodem intellectu vtraque cognitio procedat, iuxta prudentum æstimationem iudicantur eiusdem speciei: requiritur ergo notabilis excesus ad distinctionem specificam. Suppono 4. Quæstionem non esse, an individua eiusdem speciei sint metaphysicè æqualia? Nam res distinctarum specierum, & longè diversarum perfectionum possunt esse metaphysicè æquales, si videlicet, cocipiantur aliquo conceptu sub quo vna non sit æstimabilior altera. Est certum nam sub hoc conceptu *ens* Deus cum creaturis confunditur, ex dictis in Logica; & ille conceptus ita confundit perfectionem Divinam, cum perfectione creata, vt vi illius nequeat Deus supra creaturam æstimari. Deinde res eiusdem speciei possunt esse metaphysicè inæquales, vt si Petrum concipias sub hoc conceptu inadæquato *substantia*, & Paulum sub hoc conceptu adæquato *substantia vivens animal rationale.* Vbi vt vides vi huius Paulus redditur æstimabilior Petro, vt expresso per alterum.

39 His positis quæstio est, an individua eiusdem speciei. animæ v. g. præter disimilitudinem individualem aliā inæqualitatem, & disimilitudinem physicam habeant, vi cuius aliud substantialiter aliud excedat aliquo excesu? In qua quæstione duplex est sententia. Prima asserit, animas eiusdem speciei esse defacto inæqualis perfectionis. Ita Caietanus, & alij Thomistæ plures, & ex nostris P. Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 50. sect. 5. Arriaga disp. 1. §. 229. quos sequitur P. Oviedo con-

troversia 1. de anima pun. 8 secunda sententia ait per oppositum animas eiusdem speciei non posse esse inæqualis perfectionis. Ita plures alij Thomistæ, & ex nostris P. Fonseca 5. Metaph. cap 28.q.16. sect.2. vbi pro se aducit plures, & graves Authores, quibus consentit Cardinalis Toletus lib. 3. de Anima q. 18.& P. Hurtado disp. 2. sect. 6.& P. Alphonsus disp. 3.sect. 5. & est expresse sententia Aristot. vt infra constabit. Nos autem per varias conclusiones, quod verius videtur exponemus.

40 Dico 1. loquendo de posibili, non repugnat cum identitate specifica aliqua individua esse inæqualiter perfecta in qualibet specie. Probatur. Dico individua erunt inæqualiter perfecta hoc ipso, quod ab intrinseco se superent in perfectione modico excesu: nam si magno excesu se superent proculdubio extrahuntur ab identitate specifica, & diversam speciem constituũt,ac proinde destruetur suppositum quæstionis. Sed non repugnat individua eiusdem speciei sic se superare modico excesu: ergo non repugnat cum identitate specifica aliqua individua esse inæqualiter perfecta. Maior constat ex prænotatis. Probatur minor. Intra speciem humanam non repugnat aliam animam ex se esse ab intrinseco determinatam ad cognitionem, attingentem vnum præcisse obiectum claritate, vt duo, & aliam de se determinatam, ad cognitionem attingentem duo obiecta claritate etiam vt duo; sed hæ animæ se superabunt in perfectione, & se superabunt modico excesu: ergo non repugnat individua eiusdem speciei sic se superare. Maior constabit solutione argumentorum. Minor est certa. Nam in primis se superabunt in perfectione, quia sine dubio cognitiones asignatæ, ad quas intrinsece determinatæ essent illæ animæ, se superant in perfectione deinde se superabunt modico excesu; quia sic se superant cognitiones asignatæ, ex dictis supposítione 3. ergo illæ animæ se superarent modico excesu.

41 Obijc. 1.Ex hac conclusione sequitur, posibilem esse aliam animam ex se determinatam ad cognoscẽda quatuor, & aliam ad mille eadem claritate, & tamen vtramque esse eiusdem speciei. Resp. negando sequellam, quia cum ille excesus in cognoscendo sit notabilis; & propter ipsum specie distinguãtur ipsæ cognitiones, necessariũ quoque est ipsas animas notabilitèr differre, ac per consequens extrahi ab identitate specifica,& in diversis speciebus cõstitui. Sed dices: cognitiones illæ non distinguntur specie ergo neq; animæ. Ant. prob. supponendo prius

prius, obiecta vtriusque cognitionis esse eiusdem speciei: nam illæ cognitiones terminantur ad obiecta solo num. distincta, altera ad vnum hominem, & altera ad mille homines: ergo illæ cognitiones non distinguntur specie, sicut vnus homo specie non distinguitur à mille hominibus. Nego antecedens. Ad probationem conceso antecedenti nego consequentiam, quia ex infra dicendis cognitiones non solum distinguntur specifice ex obiecto, & ex principio, sed ex modo intrinseco tendendi: ergo cum vna ex cognitionibus asignatis ab intrinseco habeat amplitudinem ad mille obiecta, & id sit perfectio tendentiæ intentionalis superans perfectionem alterius cognitionis quæ præcise repræsentat vnicum obiectum, iam vna ex intrinseco modo tendendi notabiliter excederet aliam.

42 Obij. 2. Duplicis cognitio clara vt duo publicis obiecti specie distingueretur à cognitione clara vt duo vnius tantum obiecti: ergo anima de se determinata ad vnam cognitionē specie distingueretur ab anima determinata ad aliam. Antecedens probatur illud prædicatum *attingendi duo obiecta claritate vt duo* contrahibile esset per varias cognitiones eandem claritatem continentes, & duo obiecta repræsentantes, similiterque contrahibile esset prædicatũ *attingendi claritate, vt duo vnicum obiectum*: ergo quodlibet illorum commune esset pluribus indiuiduis: ergo est prædicatum specificum: sed vnum, & alterum prædicatum distinguuntur, cum nullum ex eis posit contrahi ad inferiora alterius: ergo distinguntur specie. Respondeo illas animas, & cognitiones, ad quas ordinantur, non distingui specie physica, quia non differunt notabiliter. Solum probat argumentum distingui aliquomodo in consideratione logica, hoc est quodlibet prædicatum illorum, tam animarum, quam cognitionum esse commune pluribus indiuiduis sub se contentis, quod componitur cum identitate specifica physica omnium illorum indiuiduorum, quin obstet ille aliqualis excessus, quo alia superant alia, cum ad diuersitatem specificam requiratur notabilis excessus siuè physica illa sit, siuè logica. Quod explicatur. Nam ex mea vnione, & alijs pluribus possibilibus numero solum ab ea distinctis, quibus mea natura, & mea forma possunt vniri, abstrahi potest hoc prædicatum *vnio horum extremorum* commune pluribus, & ad plures vniones contrahibile: & tamen hoc prædicatum non distinguitur specie physica, aut logica ab hoc, *vnio extremorum Petri*, qui solo, numero à me dis-

tinguitur: idque non propter aliam rationem, nisi quia non sufficit quilibet parvus excessus ad constituendam distinctionem specificam, sivè logicam sivè physicam.

43 Dico 2. in speciebus rerum non viventium defacto dantur individua inæqualia in perfectione phisica, & se excedentia modico excessu. Probatur. Quia intra eandem speciem cognitionis naturæ humanæ, dantur defacto cognitiones se superantes ab intrinseco modico excessu v. g. alia cognitio vi sua repræsentativa duorum claritate vt duo, & alia vi sua representativa verius eadem claritate: sed hoc, & non aliud est dari intra eandem speciem individua inæqualia in perfectione physica, vt constat ex dictis: ergo de facto dantur in speciebus rerum non viventium individua inæqualia modo dicto.

44 Dico 3. animæ eiusdem speciei infimæ de facto non sunt inæquales in perfectione neque se superant aliquo excessu. Conclusio probatur 1. ex Arist. 3. metaphy. cap. 5. vbi ait: *In individuis non est hoc quidem prius, & illud posterius. Vbicumque hoc quidem melius, hoc vero deterius est prius est, quod melius est.* Ecce apud Arist. idem est *prius*, ac *melius*, & idem est *deterius*, ac *posterius*: sed expressè asserit in individuis non esse aliud prius, & aliud posterius: ergo sentit non dari vllum excesum perfectionis in animabus individuis eiusdem speciei. Deinde quia ipse ad solam diversitatem dispositionum redducit diversitatem mentis, & virtutis intellectivæ: ideo ait *molles carne bene aptos esse mente*: ad quid ergo recurreret ad diversitatem dispositionum, si in animabus agnosceret aliquem perfectionis, & virtutis excesum. Secundo probatur ex D. Thoma, qui in hominibus nullam aliam diversitatem intrinsecam invenit præter differentiam individualem, quę nullum excesum perfectionis constituit in individuis. Etenim 3. part. quæst. 69. art. 8. ad 3. argumentum, quod intendebat probare pueris alijs dari in baptismo maiorem gratiam, quam alijs, quia gratia datur secundum capacitatem naturæ, & alij habent maiorē capacitatē naturæ, quā alij, respondet dicēdum. *Quod diversa capacitas naturalium in hominibus, non ex diversitate mentis, quæ per Baptismum renobatur, cum omnes homines eiusdem speciei existentes, in forma conveniant, sed est ex diversa dispositione corporum*: & addit Angelicus Doctor secus autem est in Angelis, *qui differunt specie: & ideo Angelis dantur dona gratuita secundum diversam capacitatem naturalium; non autem hominibus:*

er-

ergo clare sentit individua eiusdem speciei humanæ seclusa dissimilitudine individuali nullam habere inęqualitatem in animabus, sed tantum inęqualitatem dispositionum ad operandum.

45 Probatur 3. à ratione. Eo solum possent animæ differre, & inæqualia esse in perfectione physica, quia aliqua individua operantur perfectius, quam alia: sed inæqualitas operationum non est fundamentum ad arguendam inæqualitatem naturæ, aut formæ operantis: ergo nullum fundamentum est ad hanc inæqualitatem: Probatur minor. 1. Quia inæqualitas operationum vnius, & alterius hominis à D. Tho. & Aristotele reducitur ad inæqualitatem corporum, hoc est ad diversas operationes, & organizationes cum quibus anima in vno, & altero individuo coniungitur. 2. Quia si inæqualitas operationum sufficeret ad inæqualitatem specificam de facto adstruendam, æquè esset fundamentum ad astruendam diversitatem specificam inter animas eiusdem speciei; sed diversitas operationum non potest esse fundamentum ad hoc, vt Adversarij fatentur: ergo neque potest esse fundamentum ad illam inæqualitatem specificam physicam. Probatur maior. Quia inter individua speciei humanæ non solum dantur operationes aliquomodo diversæ, sed etiam notabilitèr, & maximè differentes: quis enim dubitet notabilitèr differre operationes D. Augustini toto discursu vitæ elicitas, ab operationibus ita rudis, & stolidi de quo iure dubitamus an iudicium, quod habet de rebus sit sufficiens ad libere, & imputabilitèr operandum? Atqui notabilis differentia operationum æquum fundamentum est ad notabilem differentiam animarum, ac ad earum inæqualitatem, inæqualitas operationum, vt per se patere videtur: ergo si sufficit inæqualitas operationum ad inæqualitatem specificam physicam animarum, sufficit ad adstruendam diversitatem specificam inter animas eiusdem speciei. Vnde fit diversitatem operationum non esse fundamentum ad arguendam aliquam diversitatem in principio elicitivo, & ad solam diversitatem dispositionum, & organorum recurrendum esse, vt rationem inveniamus inæqualium, & diversarum operationum.

46 Quarto probatur ab absurdo. Nam si opposita sententia vera est, anima quæ de facto elicit operationes imperfectas in homine rudi natura suâ determinata est ad non eliciendas operationes perfectiores etiam si coniungatur cum aliquo corpore melius dis-

dispositio. Imò anima coniuncta corpori monstroso natura sua esset determinata ad illud, quod absque vlla specie veritatis dicitur ab aduersarijs. Nam quis credat, animam rationalem determinatam esse ex propria natura, & exigentia ad corpus monstrosum inquo fere nullas operationes posſit exercere? Ergo nè hoc dicatur, dicendum est hanc inæqualitatem operationum, & quod anima eliciat has operationes imperfectas præ alijs perfectioribus, vel è conuerso, nullo modo prouenire ab aliqua intrinseca determinatione animæ ad has operationes potius, quam ad alias; sed vnicè à meliori, vel minus bona dispositione corporis, vel organorum, quæ ad tales operationes requiruntur. Sicut quod idem homo melius operetur dum bona valetudine fruitur, quam dum ægritudine laborat, vnicè prouenit à meliori dispositione, & temperamento, quo gaudet tempore sanitatis, & quo caret in ægritudine.

47 Obijcies 1. D. Thomam 1. p. quæst. 85. art. 7. in corpore, sic aientem. *Manifestum est, quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam*, & cum huius rationem dedisset, quia, scilicèt, forma datur materiæ iuxta materiæ capacitatem, subiungit: *Vndè cum etiam in hominibus, quidam habeant corpus melius dispositum sortiuntur animam maioris virtutis in intelligendo*: ergo agnoscit D. Thomas inæqualitatem physicam in animabus de facto existentibus. Respondeo Sanct. Thomam non velle vllam animam plusquam numero ab alia differre; sed ex diuersitate dispositionum corporum prouenire, iam quod melius, iam quod deterius intelligat, quod etiam in eadem numero anima accidit pro diuersis temporibus, in quibus cum diuersis dispositionibus iam valetudinis, iam infirmitatis coniungitur. Vndè in corporibus melius dispositis anima solum est maioris virtutis intellectivæ *extrinsecè*, hoc est melius operatur, seu melius disposita est ad operandum, quia est coniuncta cum meliori temperamento organis; & dispositionibus ad operandum: non est maioris virtutis intellectivæ *intrinsecè*, quia anima de se non petit eam dispositionem meliorem, neque illas nobiliores operationes. Constat solutio ex eodem S. Thoma eadem quæstione in solutione ad 3. Nam cum in eo argumento obijceretur, vnum hominem distingui specie ab alio si virtus intellectiva vnius est maior virtute intellectiva alterius respondet: *differentia formæ, quæ non prouenit nisi ex diuersa*

sa dispositionem materiæ, non facit diversitatem secundum speciem; sed solum secundum numerum.

48 Objicies. 2. Animæ Christi D. & B. Virginis substantialiter perfectiores fuerunt reliquis animabus naturæ humanæ: ergo de facto dantur animæ eiusdem speciei substantialiter inæquales in perfectione physica. Antecedens probatur: nam ex ipsa terminorum aprehensione dicendum videtur, Animas Christi, & B. Virginis substantialiter excesisse animam proditoris Iudæ. Respondeo negando antecedens, & eius probationem; quia solum probare potest ipsius veritatem, aut diversitas operationum, aut excessus dignitatis vtriusque personæ Christi videlicet, & B. Virginis respectu Iudæ, & reliquorum individuorum naturæ humanæ. Primum non probat aliquid, quia tota ea perfectio operationum Christi, & B. Virginis supra reliquos homines reducenda est ad meliorem dispositionem corporum, quam Deus attenta personarum dignitate contulit; ne dicamus animas esse alterius speciei, cum ipsarum operationes notabiliter, & maxime superaverint operationes reliquorum hominum. Neque secundum probat aliquid: quia si perfectio animarum taxanda esset iuxta dignitatem personarum Animæ Christi, & B. Virginis essent alterius speciei distinctæ à reliquis hominum animabus, cum dignitas hominis Dei, & Matris Dei specie, imò, & genere superent dignitatem aliorum hominum.

49 Objicies 3. Si anima, quæ ex coniunctione cum temperamento specie distincto à temperamento alterius, operationes elicit specie distinctas ad operationibus alterius, perdat aliquid eius temperamenti, illud postea recuperat: ergo anima illa est ex se determinata ad illud temperamentum cum quo melius operatur: ergo ex se determinata est ad meliores dispositiones, & operationes, estque proinde substantialiter inæqualis alteri animæ. In primis argumentum multum probat, probat enim Animam Div. Augustini recuperantem temperamentum ad suas operationes, specie adæquata distingui ab anima hominis rudis, & stolidi, cum illud temperamentum, & operationes ab eo tanquam à conditione dimanantes specie adæquata distinguantur à temperamento, &

& dispositionibus alterius animæ. Deinde respondeo cum P. Alphonso: si homo v. g. vi contrariorum admittat in aliqua parte qualitates absolute, & omnino oppositas cum eo, quod anima illam partem informet, anima recedente contrario in ea parte acquirit temperamentum, & eam iterum informat: nec semper acquirit idem: sed diversum temperamentum: videmus enim sæpè post aliquod vulnus, aut infirmitatem non recuperari temperamentum vi cuius anima eodem modo operetur ac antea. Si verò introducantur qualitates constituentes temperamentum hominis; dissimiles tamen qualitatibus præexistentibus nullatenus recuperabit præexistentes si nihil ipsarum remansit: sed forma cum novis connaturalitèr conservabitur, quia non exigit determinate has præ illis. Si autem qualitates dissimiles introductæ non omnino expellant temperamentum præexistens, pars, quæ remansit huius determinabit formam, vt qualitates dissimiles expellat, & recuperet partem deperditam prioris temperamenti.

DISPVTATIO III.

De Conceptu corporis, & Spiritus.

Diximus in superioribus, animam esse actum corporis, item spiritualem esse, non corpoream: quæ vt melius intelligantur restat examinandum, in quo ratio corporis, & spiritus sit constituenda?

SECTIO I.

Nonnulla supponuntur, & reijciuntur falsæ sententiæ.

1 SVpono 1. Spiritum ex suo conceptu formali superare corpus in perfectione. Constat id. 1. ratione naturali, quia persuassum habemus omnes, corpus in loco inferiori ad spiritum colocari 2. ex PP. Didim. Alexand. in cap. 2. epist. Iacobi sic ait. *Est enim indubitanèr spiritus corpore melior*, Augustinus epistola 120. *Omni corpore quælibet res incorporea perfectior est.* Et lib. de natura boni cap. 5. *Melior est quilibet spiritus, etiam corruptus, quam quodlibet corpus incorruptum.* Suppono 2. substantiam spiritualem, per ordinem ad quam reliqua spiritualia dignoscenda sunt, esse penetrabilem cum corpore, cum alia substantia, & accidenti spirituali, esseque liberam, intellectivam, independentem à quantitate, & materia prima (scilicet, quæ sit eiusdem rationis cum nostra) indivisibilem de facto in partes extensionis. E contra verò corpus esse

im-

impenetrabile cum alio eiusdem rationis, dependens natura sua à materia, & quantitate, divisibile in partes extensionis, saltem, vt in plurimum, & carens intellectu, libero arbitrio & voluntate. Hæc igitur omnia, iuxta omnes, sunt de essentia physica, corporis, & spiritus distributione acommoda. Difficultas est, in quonam ex his prædicatis essentia metaphysica corporis, & spiritus consistat?

2 Suppono 3. In communi æstimatione entitates corporeas esse, hominem, materiam primam, quantitatem, formas materiales, & omnia accidentia ex natura rei connexa cum aliquo ex his, connexione ad hæsionis, aut inhæsionis, de quo postea. Spirituales verò sunt Deus, Angelus, anima rationalis, actus intellectus, voluntatis, & quævis alia, quæ natura sua sint horum affectiones, ita cum eis connexa, vt quàvis sine miraculo existere possint sine re corporea, nequeant tamen ab illis tamquam à subiecto vnionis, aut receptionis sine miraculo separari. His positis Circa dubium in fine numeri præcedentis expositum multiplex est sententia.

3 Prima docet spiritum formalitèr stare in eo, quod sit indivisibile in partes extensionis; corpus verò per oppositum in eo, quod in partes extensionis sit divisibile. Hanc sententiam deffendit P. Hurtado, disp. 2. sect. 3. sub sect. 4. qui pro se citat. P. Vazq. tom. 1. in 1. part. disp. 188. num. 30. Sed hæc sententia falsa est. 1. Quia substantia spiritualis composita ex partibus essentialibus, nempè ex materia, & forma spiritualibus est possibilis, vt probavimus sect. 1. ergo possibilis est spiritus divisibilis in partes extensionis. Probatur consequentia. Quia spiritui ex suo conceptu plus videtur repugnare compositio, & divisibilitas in partes essentiales, quam in partes integrantes, & extensionis. *Secundo* quia, vt probavimus in physica possibilis est presentia divisibilitèr correspondens spatio divisibili; & constans partibus spiritualibus integrantibus, imò plures putant Angelum, & animam rationalem non posse correspondere spatio divisibili per præsentiam spiritualem indivisibilem integralitèr: ergo conceptus asignatus non convenit illi præsentiæ spirituali possibili, neque illi substantiæ spirituali possibili divisibilibus in partes integrantes. *Tertio*; punctum physicum quantitatis ab alijs separatum est corpus, in communi philosophorum acceptione; sed punctum physicum quantitatis divisibile non est in partes extensionis; ergo ratio corporis non stat in ea divisibilitate.

4 Dices punctum physicum quantitatis, & si indivi-

visibile esse corpus, quia natura sua ordinatur cum alijs punctis ad componendum cum eis compositum divisibile in partes extensionis. Sed contra: quia continuum physicum, vt reor, constat ex solis indivisibilibus finitis, quæ respectu continui, quod componunt, se habent vt partes integrantes; sed nulla pars integralis, qua talis, ordinatur natura sua ad componēdum aliquod totum cum alia comparte alias non iam pars integralis esset, sed essentialis: ergo nullum indivisibile quantitatis ordinatur natura sua ad componendum cum aliis compositum divisibile. Atqui quodlibet indivisibile quantitatis est corpus: ergo ratio corporis præscindit à divisibilitate in parte, extensionis, quod intendo.

5 *Quarto* arguitur ad hominem conta Patrem Hurtado, qui disputat. 5. physicæ sect. 7. docet, in homine dari duas vniones, aliam materialem, & corpoream per quam materia vnitur animæ rationali: aliam spiritualem per quam anima rationalis vnitur materiæ. Ex qua doctrina arguo sic. Illa vnio spiritualis, qua per te, anima rationalis vnitur materiæ, est divisibilsi in partes extensionis: ergo ratio spiritus non consistit in illa indivisibilitate. Probatur antecedens. Dum homo nutritur anima rationalis vnitur denuo materiæ alimenti, sed non per vnionem qua vnita erat materiæ præexistenti in homine, quia ea vnio est modus solius materiæ præ existentis essentialiter impotens vnire materiam alimenti denuo acquisitam per nutritionem, cum de essentia modi sit solum esse actuale exercitium illius rei cuius est modus: ergo anima rationalis debet vniri materiæ alimenti, quæ per nutritionem acquiritur, alia vnione partiali, quæ modus sit materiæ denuo acquisitæ, & quæ distinguatur ab vnione cum materia præ existente: ergo illa vnio denuo adveniens constituit vnam vnionem integraliter completam cum alia vnione animæ rationalis, ad materiam præ existentem, cum in homine vnica debeat esse vnio animæ rationalis cum corpore. Ecce iuxta tuam sententiam vnionem spiritualem divisibilem integraliter.

6 Respondet Pater Hurtado, quod dum homo nutritur destruitur tota vnio præexistens, & advenit alia nova etiam indivisibilis qua anima rationalis indivisibiliter vnitur vtrique materiæ, alimenti, scilicet, & primigeneæ. Sed præterquamquod ex terminis videtur falsum, adeo frequenter, & quasi continuè destrui

trui vnionem integram animæ rationalis, & aliam integram, & novam produci iuxta motum frequentem, & quasi continuum nutritionis. Contra solutionem arguo sic. Homo vt homo, est vegetativus, & nutritivus: ergo homo vt habens animam rationalem vnitam materiæ debet esse vegetativus, seu quod idem est principium eliciens vegetationem: ergo pro eo priori pro quo est proxime potens nutriri, & acquirere novam partem materiæ alimenti per vnionem animæ rationalis ad ipsam, debet supponi, anima rationalis vnita materiæ præexistenti. Sed pro illo priori non potest supponi vnita per vnionem quam ipsa producit ad materiam alimenti; nec illa vnio existat pro priori ad se ipsam: ergo per aliam; ac proinde per adventum vnionis animæ rationalis ad materiam alimenti non potest destrui vnio ad materiam præexistentem, sed vtraque debet simul in eodem instanti reali coexistere; alia propriori vt præ requisitum essentiale ex parte causæ, & alia pro posteriori, vt effectus.

7 Propter hæc Pater Hurtado aliam solutionem adhibet parum fidens præcedenti, & ait, animam rationalem vniri materiæ minimi per vnionem indivisibilem, & in nutritione se vnire materiæ alimenti per aliam vnionem indivisibilem; & vtraque ista vnio simul coexistit. Ita tamen vt vnio cum minimo naturali nunquam varietur; ea vero vnio, qua vnitur materiæ alimenti adæquatè destruitur semper ac homo nutritur, & advenit alia qua vnitur anima toti materiæ alimenti præexistenti & denuo acquisitæ. Sed contra. Nam ex hac solutione fit hominem non fieri maiorem per nutritionem: nam ad hoc requiritur, quod omnis substantia vivens denuo adveniens vniatur substantiæ viventi præ existenti; ideoque communitèr dicitur, & nos diximus tractatu secundo, de generatione disputation 6. nutritionem consistere in actione productiva vnionis vnionum animæ cum materia primigenia, & alimentis sed iuxta solutionem non omnis substantia vivens denuo adveniens vnitur viventi præ existenti: nam per te vnio animæ rationalis cum materia alimenti non vnitur vnioni eiusdem animæ rationalis cum materia primigenia: ergo iuxta hanc solutionem homo, dum nutritur, non fit substantia

tialitèr, maior. Imò neque vere nutritur: nam nutriri est vivens acquirere novam partem substantiæ viventis; substantia autem vivens essentialitèr includit materiam, animam, & vnionem huius cum materia: Sed per te homo dum nutritur non acquirit nisi solam materiam alimenti de novo; non autem animam quam ante nutritionem iam habebat, neque acquirit vnionem animæ cum materia alimenti cum per te talis vnio non vniatur viventi præexistenti: ergo non acquirit homo novam partem substantiæ viventis; ac proinde non vere nutritur.

8 Secunda sententia quam deffendit P. Lince docet spiritum esse quod est incorporeum, seu quod non est corpus: corpus autem quod est extensum perceptibile per sensus, mortale, impenetrabile, irrationale, & expers liberi arbitrij: quæ cum ita sint, addit, possibilem esse entitatem quæ secundum rationem eandem, adhuc virtualitèr, spiritualis sit, & corporea. Sed hæc sententia etiam est falsa. 1. Nam spiritus, per te, est quod non est corpus: sed non explicas quid sit corpus: ergo non explicas quid sit spiritus. Minor probatur. Quia non explicas an omnes illæ conditiones, & prædicata enumerata sint de ratione corporis: an verò quælibet sufficiat seorsim constituere corpoream entitatem in qua reperiatur: non ergo explicas quidditatem corporis. Vrgetur, & explicatur. Si omnes illæ conditiones à te assignatę debent coniungi in entitate vt sit corporea, forma substantialis materialis non erit corpus, vtpote quæ non est perceptibilis per sensus, vt infra constabit lib. 2. Nec punctum quantitatis erit corpus, vtpote quod caret extensione. Neque materia prima, quæ est immortalis. Si verò quælibet earum conditionum sufficiat, actus intellectus, actus charitatis supernaturalis, & fidei, nec non habitus supernaturales ad hos actus requisiti erunt corpus, vtpote quę libero arbitrio carent, irrationales, & corruptibiles sunt: ergo cum non explices quo modo hæ proprietates includantur in re corporea non explicas quid sit corpus.

9 Secundo falsa est hæc sententia; qua parte docet, vnam, & eandem rem posse simul, imò, & secundum eandem rationem, esse corpus, & spiritum. Quia per te spiritus formalitèr est quod non est corpus: sed omnino implicat eandem entitatem esse corpus, & non esse corpus secundum eandem rationem, vt constat ex terminis: ergo implicat secundum eandem rationem esse corpus, & spiritum. Vrgetur: Non corpus, negat corpus, &

è

è contra; sicut non simile negat simile, & è contra: ergo sicut nequit eadem entitas secundùm eandem rationem esse alteri similis, & non similis (esto secundum diversam rationem possit esse similis, & dissimilis alteri) etiam nequit eadem entitas secundum eandem rationem esse corpus, & non esse corpus: sed per te spiritus consistit in hoc quod est non esse corpus: ergo nequit eadem entitas secundum eandem rationem esse corpus, & spiritus. Alia contra hanc sententiam tradit P. Izquierdo de Deo vno tract. 1. disp. 10. num. 377.

10 Tertia sententia RR. est spiritum formaliter esse quod intrinsice expectat ad liberum arbitrium. Potest aliquid ad liberum arbitrium expectare, aut per identitatem, vt anima, intellectus, & voluntas, quæ sunt liberum arbitrium in actu primo, & actus voluntatis qui sunt liberum arbitrium in actu secundo, & actus intellectus, qui ad actus voluntatis sunt prærrequisiti: aut per receptionem, vel vnionem, scilicet, ea omnia, quæ ex propria exigentia liberi arbitrij absque miraculo existere nequieunt non vnita, aut recepta in libero arbitrio: talis naturæ sunt omnes modi animæ, & potentiarum, scilicet, subsistentia, præsentia, duratio, & quævis alia huius naturæ; item accidentia supernaturalia, vt gratia, fides, &c. Rursus iuxta illos AA. corpus formaliter est quod intrinsecè habet, non spectare intrinsece ad liberum arbitrium, hoc est, quod neque est liberum arbitrium in actu primo, neque in actu secundo, neque intrinsece vnitur ipsi, aut in ipso recipitur ex propria exigentia.

11 Fateor, liberum arbitrium, & ad illud expectantia modo explicato, spiritualia esse: fateor etiam, nullam rem corpoream esse liberum arbitrium. At aliquid corporeum ad liberum arbitrium spectare tamquam ad terminum intrinsecum vnionis, aut receptionis, iudico inficiari non posse præfatos AA. Nam ipsi cum communi sententia apud nostros tradenda disp. 5. sect. 5. Dicunt, sensationes materiales ex propria, & animæ exigentia debere intrinsice recipi, & vniri ipsi animæ, quæ est liberum arbitrium in actu primo: ergo si corpus est quod intrinsice habet ad liberum arbitrium non spectare, neque per identitatem, neque per receptionem, aut vnionem, prædictæ sensationes non erunt corporeæ, quod est evidenter falsum. Deinde quidquid de hoc sit illud prædicatum spectandi intrinsice ad liberum arbitrium non esse methaphysicum constitutivum spiritus pro-

vt distincti à corpore, neque corporis prout distincti ab spiritu prædicatum oppositum. Suadetur 1. Quia plures Phylosophi Gentiles negarunt Deo liberum arbitrium existimantes, operari Deum ex necesitate naturæ; sed illi Deum cognoscebant spiritum, siquidem illum appellabant *summam rationem*, atque *mentem*, quibus prædicatis Deum à rebus corporeis se cernebant: ergo spiritus non dicit ex suo conceptu formali liberum arbitrium.

12 Suadetur 2. Quia Angelum habere liberum arbitrium nullus ex PP. Ecclesiæ negavit, cum omnes fateantur, propter peccatum libere commisum tempore viæ, alios Angelos esse damnatos, alios vero beatitudine præditos propter bona opera eo tempore elicita: sed plures Ecclesiæ PP. Angelos existimarunt corporeos: ergo corpus formaliter non excludit liberum arbitrium. Minor probatur locis ipsorum adductis à P. Suarez lib. 1. de Angelis cap. 5. & à P. Petavio tom. 3. Theologiæ lib. 2. imò Caietanus, Eusevius, & alij iudicarunt, Angelos de facto damnatos esse corporeos. ergo. Suadetur 3. à ratione: Quia esse liberum arbitrium, aut ad liberum arbitrium spectare, non est id quod in spiritu primo concipimus, vt constabit sect. 2. Sed essentiæ metaphysicæ cuiusvis rei illud prædicatum concedendum est, quod primario in ipsa concipimus, cum allijs conditionibus ibi exponendis: ergo esse liberum arbitrium, aut ad illud spectare, non est prædicatum metaphysicè constituens spiritum.

13 Quarta sententia aliorum, cùm qua coincidunt aliæ, ait, corpus esse vel quantitas, vel quod naturaliter habet vniri, aut recipi in quantitate, aut in subiecto inseparabile natura sua à quantitate. Sed cum ratio quantitatis ponatur ab his AA. cum communi sententia in proxima impenetrabilitate radicali, coincidit hæc sententia cum communi asserente, corpus esse quod est impenetrabile proximè, vel remotè, aut affectio intrinseca rei impenetrabilis: de quo disp. sequenti. Quinta sententia P. Rivadeneyra, docet, spiritum in tota sua latitudine esse, quod intrinsice habet spectare ad virtutem, & capacitatem omnia percipiendi intentionaliter: corpus vero in tota sua latitudine quod intrinsice spectat ad incapacitatem omnia intentionaliter percipiendi; De hac etiam sententia agemus sect. 5.

*** *** ***

SEC.

SECTIO II.

Explicatur, & probatur communis, & vera sententia.

* *

14 EA est, corpus in tota sua latitudine esse, *quod intrinsice spectat ad impenetrabile*: spiritum: vero *quod intrinsice habet ad impenetrabile non spectare intrinsice*. Ita, licet alijs verbis, P. Arriaga desp. 1. sect. 4. sub sect. 6. P. Oviedo cont. 1. punt. 5. §. 2. Alphonsus disp. 4. sect. 2. & plures alij ex nostris. Neque dissentient Thomistæ, qui non possunt rationem corporis constituere in divisibilitate in partes extensionis cum ipsi asserant animas perfectorum brutorum esse omninò indivisibiles, & hæ proculdubio sunt corporeæ. Explicatur nostra conclusio ante quam probetur. Dupliciter potest res ad aliam spectare. 1. per identitatem: Sic rationale hominis pertinet per identitatem ad principium sentiendi 2. per vnionem, aut receptionem: Ita dependet id, quod ex propria exigentia in altero aut recipitur, aut vnitur; adeo vt ex natura rei nequeat existere in illo non receptum, aut ipsi non vnitum: sic proprietates spectant ad essentiam; & accidentia communia ad subiectum commune.

15 Igitur corpus est quod formaliter, & ratione sui est impenetrabile: vt quantitas; quæ ideo corpus est primario tale; & per ordinem ad illam reliqua dicuntur corporea, & etiam est corpus quod intrinsice ad ipsam spectat, quia ex propria exigentia in ipsa vnitur aut recipitur mediate, vel immediate. Sed pro maiori intelligentia obserba: vt aliquid sit corpus non requiritur quod excludat omnem penetrationem si ex natura rei nequeat separari ab impenetrabili tamquam à subiecto vnionis, aut receptionis saltem mediatæ: ideo materia prima licet corporea penetratur cum quantitate, & cum forma formaque: & quantitas cum materia: nec non accidentia disponentia materiam ad formam penetrantur cum quantitate; gradus caloris constituentes intensionem penetrantur in eadem parte subiecti. Quia videlicet hæc omnia licet inter se, & cum alijs penetrentur, tamen ratione quantitatis, cui inherent, aut adherent per intrinsecam exigentiam, impenetrabilia redduntur cum alia quantitate, & cum rebus in ipsa existentibus, sicut cum eisdem ipsa quantitas ratione sui impenetrabilis est.

Iam

16 Iam conclusio sic explicata probatur 1. Conceptus à nobis assignatus explicat id quod primario concipimus dum de spiritu, & corpore sermo est, & quod ratione nostrá se cernit spiritum à corpore, & è converso: ergo prædictus conceptus est ratio formalis metaphysica spiritus, & corporis. Probatur antecedens quoad primam partem. Quia nihil primario nostræ conceptioni occurrit quam spiritum quid subtilissimum esse, omnibus rebus absque illarum divisione se insinuans, & permitens allias res cum ipso penetrari: corpus vero è contra, nobis primario proponitur tamquam quid molle sua per impulsum, aut incompossibilitatem formalē aliud pellens, & arcens à suo loco, ita vt nisi ipsum alio moveatur non permitat illud ingredi: sed hoc est corpus formalitèr esse impenetrabile cum alio: spiritum vèro non esse impenetrabilem, sed potius penetrabilem cum quovis alio: ergo prædictus conceptus explicat id quod primario concipimus in spiritu, & corpore. Deinde per prædictum conceptum distinguitur spiritus à corpore, & è converso. Nam *pertinere intrinsice ad impenetrabile*, quæ sunt prædicata metaphysica corporis, & intrinsicè habere *non pertinere ad impenetrabile* quæ est essentia metaphysica spiritus sunt prædicata non modo distincta, sed etiam contrariè opposita: ergo prædicata assignata sufficienter distingunt spiritum à corpore, & è converso.

17 Probatur 2. Penetrabilitas est essentia metaphysica spiritus: ergo impenetrabilitas est etiam essentia metaphysica corporis. Consequentia est certa, cum spiritus, & corpus quasi contrariè opponantur ex proprijs conceptibus. Antecedens probatur. Essentia metahpysica spiritus est id, quod cum primario apræhendatur, & concipiatur in spiritu, ipsum constituit in ordine superiori ad omne corpus: sed talis est penetrabilitas: ergo hæc est essentia metaphysica spiritus. Probatur minor. Nam spiritus ex prædicato penetrabilis cum quovis alio (secus autem corpus impenetrabile) emullatur aliquomodo, & assimilatur immensitati Dei qua omnibus rebus se insinuat: ergo penetrabilitas constituit spiritū in ordine superiori ad omne corpus: nam eo perfectior est aliqua entitas, quo plus participat de divina perfectione, & magis asimilatur Deo. Dices eam perfectionem compensari in pluribus compositis corporeis, videlicet in brutis, per potentiam cognoscitivam, licet materialem. Sed contra. Quia potentia cognoscitiva ex hoc

hoc prædicato non emulantur perfectionem Divinam, qua talem, seu quatenùs divina est: siquidem Deus non discernitur à cognoscitivis creatis per præcisum prædicatum cognoscitivi, in quo convenit cum eis, sed per alias perfectiones potentiæ cognoscitivæ, quas potentia cognoscitiva materialis non emulatur, neque eis assimilatur. At verò spiritus ex prædicato penetrabilis emulatur perfectionem immensitatis, vi cuius Deus omnibus rebus localitèr se insinuat, quæ perfectio immensitatis est prædicatum Dei, qua talis, & vt distincti ab omni creato.

18 Probatur tertiò conceptus assignatus corporis (idem sua proportione dicatur de conceptu spiritus) convenit omni rei corporeæ, & nulli spirituali: ergo cum aliundè sic, quod primario concipimus in corpore, & quod ipsum constituit in ordine inferiori ad spiritum, prædictus conceptus rectus est. Antecedens probatur. Omnes entitates, quę communitèr censentur corporeæ sunt quantitas, materia prima, formæ materiales, accidentia materialia, & modi omnium harum rerum, & ipsarum affectiones: sed ex his quantitas ratione sui, reliqua verò ratione affixionis mediatæ, aut immediatæ ad quantitatem, tanquam ad subiectum cum quo debent esse recepta, aut vnita pellunt aliam quantitatem, & res omnes in alia quantitate existentes à suo loco resistendo ne illuc ingrediantur, quod formalitèr est hæc omnia pertinere ad impenetrabile, quantitas per identitatem, & reliqua per vnionem, aut receptionem: ergo conceptus assignatus corporis convenit omni rei corporeæ. Deindè nulli spirituali convenit, vt infra constabit solutione argumentorum: ergo.

19 Indè inferes 1. Iuxta hanc sententiam, corpus primario tale, & per ordinem ad quod reliqua corporea dicuntur, esse solam quantitatem: reliqua verò corporea sunt per attributionem ad quantitatem ipsam. Ratio est, quia quantitas ratione sui, reliqua verò corporea ratione quantitatis sunt actu impenetrabilia cum alia quantitate, & cum rebus in alia quantitate existentibus. Inferes 2. Præsentiam definitivam Corporis Christi licèt reddat Corpus Christi penetratum, & ex suo conceptu generico penetrabilitatem non excludat: at ex prædicato specifico esse impenetrabilem: quia se ipsa vnitur Corpori Christi de se impenetrabili, & quanto, ideoque consequentèr esse corpoream. Inferes 3. creationem cuiusvis rei corporeæ esse

corpoream ; quia quævis illa creatio, vtpotè intrinsecè vnita rei quam causat, intrinsecè ad ipsam spectat, ipsaque res, vt supponimus, quia corporea, est impenetrabilis. Inferes 4. Duas creationes miraculosas duplicis rei corporeæ intrinsecè impenetrabiles esse inter se: quia quævis cum sua re bebet in eodem loco existere, vtpotè ipsi vnita, & res ipsæ corporeæ, adhuc supposita creatione impenetrabiles sunt.

20 Inferes quinto : Formam substantialem materialem supernaturalitèr creatam extra materiam, & quantitatem manere corpoream : quia natura sua in loco quantitatis debet existere ex propria exigentia, neque sine miraculo per solas vires agentis naturalis fortioris, potest à quantitate separari, sicut potest separari frigiditas intensa ab aqua sine vllo miraculo per solas vires fortiores ignis. Inferes 6. Modum perseitatis (si hic necessarius sit, vt res corporea constituatur extra materiam) miraculosè datum rei corporeæ corporeum fore proptèr intrinsecam connexionem cum re corporea tanquam cum termino vnionis sui. Inferes 7. vnionem animæ rationalis cum materia esse corpoream : quia intrinsicè spectat ad impenetrabile, cum se ipsa intrinsicè vniatur materiæ impotenti naturalitèr existere nisi in loco quantitatis impenetrabilis; neque sufficit, vt spiritualis sit quod intrinsicè spectet ea vnio ab animam rationalem spiritualem, & impenetrabilem, quia spiritus non est, quod intrinsicè spectat ad penetrabile; sed *quod intrinsicè, habet non spectare intrinsicè ad impenetrabile* : constat autem id non convenire vnioni materiæ primæ intrinsicè pertinenti ad ipsam materiam primam impenetrabilem ratione quantitatis, cum qua coniungitur ex propria exigentia.

21 Probatur vlterius antecedens ex numero 18. pro conceptu spiritus. Nam Deus, Angelus, omnesque modi, & operationes Angeli, anima rationalis, & omnes modi ipsius, scilicèt præsentia, duratio, & subsistentia, ipsiusque operationes spirituales, accidentia supernaturalia, & quævis alia, quæ spiritualia censentur independentia omninò sunt ab impenetrabili, cum neque ex propria exigentia excludant ab eo separari, aut si excludant ea ratione qua infra de præsentijs Angelicis dicetur, non id provenit ex incompossibilitate formali, & resistentia, qua impediant aliud in proprium locum ingredi in qua incompossibilitate

state stat formalitèr impenetrabilitas propria corporis, ex supra dictis. Etenim hæc omnia quæ spiritualia in communi æstimatione censentur, & sunt, penetrabilia sunt omninò, cum omne corpus impenetrabile sit, ex dictis: ergo hic conceptus omni spiritui, & nulli corpori convenit proindèque rectus est.

21 Dices. Hunc conceptum non convenire omni rei spirituali. *Primo*: Quia actio qua intellectus, & phantasma producunt speciem intelligibilem est spiritualis; sed ea actio intrinsecè spectat ad impenetrabile, quia intrinsecè spectat ad phantasma corporeum, & impenetrabile à quo inadæquatè procedit: ergo aliquid spirituale spectat intrinsecè ad impenetrabile: Confirmatur: quia ea actio ex natura rei non potest procedere à phantasmate nisi vt coniuncto cum corpore: ergo inseparabilis est à corpore, proindequè corporea. *Secundò*: quia anima rationalis est spiritualis, & tamen non est naturalitèr penetrabilis, quod sic probatur. Tantùm est penetrabilis pro statu separationis à materia; sed naturalitèr nequit separari à materia, sed tantùm violentèr, & contra propriam exigentiam, quia vtpotè entitas incompleta petit materiæ vniri: ergo.

23 Nego assumptum: & ad primam probationem. Respondeo: actionem producentem speciem intelligibilem spectare quidem ad phantasma tanquam ad causam efficientem, à qua procedit, & cum qua connectitur; (loquor in sententia admittente species intelligibiles esse necessarias ad omnes cognitiones spirituales, quam falsam esse probabo lib. 2. disp. 1.) non tamen spectat intrinsecè ad phantasma tanquam ad terminum intrinsecum cui vniatur aut in quo recipiatur, quia solum vnitur animæ, & in ea tantum recipitur: hoc secundum quod deficit actioni; necessarium erat vt esset corporea: secus primum, quod fatemur: alias actus essentialitèr verus, quo Deus, Angelus, aut homo iudicant existentiam quanritatis corporeus esset, quia essentialitèr connexus cum existentia quantitatis proindeque intrinsecè, spectans ad impenetrabile tanquam ad purum obiectū per ipsam attactum. Ad confirmationem. Quod illa actio nequeat ex natura rei procedere nisi à phantasmatè vnito corpori, non provenit ex exigentia illius actionis, quæ æquè procederet à phantasmate, si supernaturalitèr separatum à corpore aplicaretur animæ;

sed id provenit ex ipsa impotentia qua ipsum quia materiale repugnat naturaliter suæ separationi à corpore. Ad secundam probationem. Anima rationalis penetrabilis est proindeque spiritualis: quia esto non separetur à corpore *naturalitèr* sumpto pro eodem; ac iuxta exigentiam: non tamen sumpto *naturalitèr* pro eodem, ac sine miraculo; quia vi agentium naturalium à corpore separatur nullo miraculo interveniente, Spiritus autem iuxta dicta, est id, quod sine miraculo potest existere non vnitum, neque receptum in re corporea, & impenetrabili.

SECTIO. III.

Solvuntur plures obiectiones.

24 OBjicies 1. Div. August. epistola 28. vbi ait animam rationalem non esse corpus: *quia corpus habet partes extensionis maiores & minores, secus anima.* Et lib. 2. de Incarnatione, probat rem incorpoream non posse admittere indivisibilitatem per hæc verba. *Impossibile est de incorporeo divisionem aliquam fieri.* Ergo sentit Augustinus differentiam essentialem corporis ab spiritu esse divisibilitatem illius, & huius indivisibilitatem. Nego consequentiam. Nam in primo loco non agit Sanct. Doctor de corpore in tota sua latitudine, prout nos in præsenti agimus; sed de corpore quantitativo; quod nos experimur, & percipimus per sensus: corpus autem quantitativum, quod experientiæ sensuum nostrorum subjicitur, partibus constat proculdubio, & occupat spatium divisibile, vt connaturalitèr existat. Nam punctum quantitatis materiale, & indivisibile, & anima materialis bruti perfecti indivisibilis in probabili sententia Thomistarum non sunt perceptibilia per sensus. In secundo loco non negat Augustinus spiritum posse habere partes; sed affirmat, partes, si quæ inveniantur in spiritu non esse separabiles inter se, sicut separabiles sunt partes corporis: quia videlicèt nullum agens naturale potest corrumpere vnionem partium spiritualium.

25 Objicies secundò Div. Thomam 1. part. quæst. 3. art. 1. vbi dicit Deum non esse corpus, quia Deus non est in potentia ad divisionem sicut corpus: ergo sentit Angelicus Doctor de ratione corporis esse potentiam, vt dividatur in partes. Respondeo Divum Thomam solum probare eo argu-

argumento; vt constat ex contextu, Deum non esse corporeum, sicut corporeæ sunt entitates, quas defacto novimus experientia sensuum; has autem entitates esse divisibiles non concedimus, cum constet alia esse corpora indivisibilia, vt punctum quantitatis, & aliquid spirituale esse divisibile, vt præsentia Angeli per quam correspondere potest spatio divisibili, & substantia spiritualis possibilis composita ex partibus integralibus.

26 Objicies 3. Spiritualitas animæ rationalis probanda est, probaturque de facto ex eius indivisibilitate: ergo ea indivisibilitas est essentia metaphysica spiritus. Objicies 4. Omnia corpora, quæ defacto novimus sunt divisibilia in partes, & omnes spiritus indivisibiles: ergo idem quod prius. Ad 3. nego totum, cuius nulla probatio adducitur. Si autem aliqui probant spiritualitatem animæ rationalis ex eius indivisibilitate ipsi viderint efficaciam suæ propositionis, quam nos inefficacem reputamus propter supra dicta. Ad 4. nego antecedens, quia punctum quantitatis est physicè indivisibile, & tamen est corpus, & gratia habitualis spiritualis est apud plures divisibilis in partes extensionis.

27 Objicies 5. Præsentia Romana Angeli Michaelis penetrari non potest cum præsentia Complutensi Gabrielis: sed illæ præsentiæ sunt spirituales: ergo aliquid spirituale est impenetrabile. Vrgetur: si Angelus corresponderet spatio divisibili per præsentiam divisibilem (quam nos possibilem reputamus) vna pars illius præsentiæ non posset penetrari cum alia, quia quælibet affixa est se ipsa [parti spatij] impenetrabili cum alia parte spatij; sed omnes partes illius præsentiæ essent spirituales: ergo ratio metaphysica spiritus non stat in penetrabilitate. Distinguo maiorem. Præsentia Romana Michaelis non potest penetrari cum præsentia Complutensi Grabielis per in compossibilitatem, aut resistentiam, qua vna impediat aliam ingredi in proprium spatium, nego maiorem: per impotentiam, quam quævis habet, vt eas ad spatium alterius, quia proprio spatio affixa, concedo maiorem: & concessa minori nego consequentiam. Quia iuxta dicta impenetrabilitas propria corporis non stat in qualicumque impotentia existendi in spatio alterius; sed in impotentia fundata in resistentia, qua vnum corpus alterum adveniens arceret à suo proprio spatio: hoc autem sic non accidere in præsentijs Angelicis, indè mihi efficacitèr probatur, quia iuxta sententiam, quam in physica

reputativi veram, præsentia Cō- plutensis Angeli per superadditam præsentiam potest præsentari Romæ, vbi supposito miraculo dandi præsentiæ Complutensi spatium Romanum, nullum aliud esset novum miraculum, in eo quod penetraretur cum præsentia Romana alterius Angeli. Indè constat ad vrgentiam: nam de partibus eiusdem præsentiæ divisibilis eodem modo ratiocinandum est, ac de duabus præsentijs.

28 Objicies 6. Spiritus ex hoc prædicato est in gradu excludente vires activas adęquantas cuiusvis causæ corporeæ: sed ex hoc prædicato *non spectare intrinsice ad impenetrabile* non est in eo gradu: ergo hoc prædicatum non est ratio formalis spiritus. Objicies 7. Ideò Philosophi negant brutis liberum arbitrium, quia non habent operationem spiritualem: ergo ratio spiritus, & ratio liberi arbitrij convertibiles sunt. Confirmatur quia alias æquum erit fundamentum ad concedendum brutis liberum arbitrium ac hominibus: quia ęquum fundamentum erit, vt dicamus operationes hominum impenetrabiles esse sicut operationes brutorum; sanè difficile admodum probabitur alias impenetrabiles forè. Respondeo ad sextum negando minorem; quia cum spiritus ex prædicato penetrabilitatis excedat perfectionem causæ corporeæ propter similitudinem, & mulationem immensitatis Dei, quam habet ex tali prædicato, excedit consequentèr vires ipsius activas adæquatas iuxta principia expensa in physica lib. 2. disp. 6. ad 7. quando phylosophi ex negatione operationum spiritualium brutorum inferunt non habere liberum arbitrium, non arguunt ex conceptu metaphysico, sed ex physico: quia omne quod operationes spirituales potest elicere gaudet libero arbitrio. Sicut sic argumentantur rectè *bruta non sunt risibilia: ergo non sunt rationalia*: ex indè tamen non licèt inferre, risibile formalitèr, & metaphysicè dicere rationalitatem; sed physicè, & per realem identitatem. Confirmatio nulla est: nam fundamentum probans animas brutorum esse impenetrabiles, probat eorum operationes, quæ immanentèr ipsis vniuntur, & in ipsis recipiuntur, esse impenetrabiles: oppositum autem fundamentum repertum pro anima rationali probat ipsius operationes esse penetrabiles, sicut anima.

29 Objicies 8. Decernat Deus, vt potest animam rationalem numquam separandam esse à quantitate, seu à materia quanta, & id mihi revelet sanè ego potero assensu fi-

fidei supernaturalis essentialiter vero huic revelationi assentiri. Tùnc sic. Hic assensus essentialitèr verus essentialitèr connectitur cum eo, quòd anima non separetur ab impenetrabili, quod est obiectum creditum per talem assensum. Deindè actus ipse intrinsecè connectitur cum anima, vt subiecto cui immanentèr vnitur, & in quo recipitur: ergo in hoc casu anima spiritualis manebit inseparabilis ab impenetrabili, & actus ipse spiritualis inseparabilis, etiam erit media anima cum qua connectitur Admisso casu, & concesso antecedenti, nego consequentiam. Nam anima tantùm est inseparabilis ex vi decreti; & actus essentialitèr veri assentientis obiecto decreti: cumque totum id sit extrinsecum animæ, anima solum extrinsicè manet inseparabilis ab impenetrabili: quod non est contra rationem spiritus. Deindè cum actus ille fidei de se ipso nihil dicat; sed solum de anima, cum huius inseparabilitate sola connexus est, eamque inseparabilitatem habebit ipse, quam habet anima subiectum ipsius. Igitur si anima, vt probatum manet solùm extrinsicè est inseparabilis ab impenetrabili, ex solum extrinseca inseparabilitate erit actus inseparabilis: manet ergo actus intrinsecè separabilis ab impenetrabili, ac per consequens nihil spirituale probatur hoc argumento inseparabile, prout necessarium erat ad impugnandam nostram sententiam.

SECTIO IV.

Proponitur, & solvitur præcipua obiectio.

20 PRocedit alia gravior difficultas ex capite decreti, & revelationis Divinæ, argumentum sanè valdè commune, & transcendentale pluribus alijs quæstionibus v. g. ad probandum peccatum intrinsicè irremissibile, actum honestum essentialitèr in præmiabilem, creaturam essentialitèr indestructibilem, veritatem intrinsecè irrevelabilem, & alia huiusmodi. Quia tamen proponi solet eadem forma mutata materia, illud ex professo proponam, & doctrinam solutionis ita declarare conabor, vt ea in quavis alia materia hoc argumentum facilè dissolvatur. Igitur obijcies sic: Decernere potest Deus omnem actuum mei intellectus vniri, quantitati impenetrabili, quippè in hoc nulla apparet repugnantia. Decernat ergo, id

Deus, & mihi revelet suum decretum; cui revelationi assensu fidei spirituali, & essentialitèr verò assentiri possum ego. De hoc assensu probatur esse corporeum iuxta nostram sententiam hac forma arguendi. Iuxta nos id est corpus, quod intrinsecè spectat ad impenetrabile, vt ad terminum intrinsecum: sed hic assensus intrinsecè spectat ad impenetrabile, vt ad terminum intrinsecum: ergo est corpus talis assensus. Minor probatur. Hic assensus fidei Divinæ, vtpotè essentialitèr verus, essentialitèr connectitur cum suo obiecto: sed eius obiectum est omnem actum mei intellectus, proindeque hunc ipsum assensum, quo id credo, intrinsecè vniendum quantitati impenetrabili: ergo essentialitèr connectitur cum intrinseca vnione sui ad quantitatem impenetrabilem, quod est, intrinsecè spectare ad impenetrabile, vt ad terminum intrinsecum.

31 Supposita (vt docetur iuxta veram sententiam) essentiali veritate actus fidei supernaturalis, præfato argumento respondent aliqui *primò*. Hunc assensum assentientem prædictæ revelationi possibilem esse; non tamen spectare intrinsecè ad impenetrabile; sed solum extrinsecè: quia non antecedentèr, & absolutè, sed tantum ex extrinseca suppositione decreti inseparabilis est à quantitate, vt à termino intrinseco. Sed contra 1. Si actus posset antecedentèr separari à quantitate, posset antecedentèr esse falsum: sed hoc implicat, cum ponamus per suam essentiam esse verum: ergo solutio nulla est. Probatur maior. Hic actus essentialitèr habet repræsentare, & iudicare se non esse separandum à quantitate: ergo si posset antecedentèr separari à quantitate posset antecedentèr esse falsus. Contra 2. Ex ipsis terminis implicat actum essentialitèr verum aliqua potentia posse esse falsum: sed si hic actus aliqua potentia posset à quantitate separari, aliqua potentia posset esse falsus, vt probavi: ergo hic actus nulla potentia potest à quantitate separari adhuc antecedentèr. Quo argumentum manet in sua vi.

32 Respondent alij. *Secundò* ex doctrina P. Oviedo. Impossibile esse hunc actum separari à quantitate, sed id non provenire ex intrinseca natura, & essentia actus, aut à suo prædicato specifico; sed ex decreto, quod supponit, & cuius est assensus ex suo prædicato individuali. Sed contra 1. Nam in tali actu non est aliud prædicatum specificum ab individuali: ergo si ex prædicato individuali repugnat ipsi à quantitate separari, repugnat etiam ex prædicato specifico. Contra 2.

&

& à priori. Hic assensus, per te, inseparabilis est à quantitate ex suppositione decreti, sed suppositio decreti est essentialis tali actui: ergo, & inseparabilitas. Minor probatur. Hic actus ita per suam essentiam est assensus illius decreti, vt repugnante decreto, repugnet actus, & deficiente decreto necessarium sit deficere actum, vt dubitare potest nullus: ergo suppositio decreti est essentialis huic actui. Explicatur. Quod per suam essentiam connectitur cum A; essentialitèr connexo cum B, per suam essentiam connectitur cum B: sed hic actus essentialitèr connectitur cum decreto connexo essentialitèr cum inseparabilitate huiusmet actus à quantitate: ergo hic actus essentialitèr connectitur cum inseparabilitate sui à quantitate.

33 Solutio igitur legitima argumenti ex num. 30. ea est, quam primus dedit P. Alphonsus in manuscriptis de voluntate Dei: scilicèt, casum, vt ponitur in argumento, implicare in terminis: quia vt in eo disponuntur res, decretum Divinum esset omninò imprudens, stultum, ac proindè chymæricum: quippè ponitur decretum Divinum statuens omnes actus intellectus non vniri quantitati, comprehendendo etiam ipsius decreti assensum, qui assensus cum aliundè probetur, & benè in argumento, inseparabilis à quantitate decerneret Deus, non separari à quantitate actum essentialitèr inseparabilem à quantitate, quod est apertè stultum sicut stultum esset Deum serio decernere hominem dum existat esse animal rationale, aut non esse equum, cum homo per essentiam suam sit animal rationale, & se ipso excludat identitatem sui cum equo. Quod vlterius explicatur, & confirmatur. Hoc decretum quia Divinum, & prudens inferret, separabilem esse intrinsecè à quantitate actum, cui negat à quantitate separari: Deinde hoc decretum connexum cum essentia huius actus inferret, intrinsicè inseparabilem esse à quantitate, quia essentia sua inseparabilis est talis actus, vt probatum manet: ergo hoc decretum inferret duo contradictoria, videlicèt hunc actum intrinsecè separabilem, & inseparabilem esse à quantitate, proindeque prædictum decretũ chymæricum esset.

34 Hæc cum verissima sint sapientissimi RR. nostri olim primarij huius Vniversitatis, iudicant in M. S. de Charit. casum ita disponi posse, vt ex eo inferatur possibilitas actus qui intenditur possibilis præfato argumento. Sic ergo res possunt se habere. Decernat Deus non separari à quantitate vllum actum natura sua

sua ab ea separabilem, tali decreto, quod nihil decernat de assensu fidei, quod potest credi: sed de alijs actibus intellectus hoc modo tendendi: *Decerno non separari à quantitate omnes eos actus, qui ab ea separabiles sunt*: In hoc enim nulla implicatio. Revelet deindè mihi Deus hoc decretum, vt potest, quia licèt decretum de nihil revelando fortè irrevelabile sit, tamen hoc decretum non est huius naturæ. Iam facta hac revelatione possum ergo ipsi assentiri fide Divina, & de eo assensu probatur, esse inseparabilem à quantitate hac arguendi forma Si hic actus esset separabilis à quantitate, esset ab ea inseparabilis: ergo nullo modo est separabilis à quantitate. Antecedens probatur. Si hic actus esset separabilis à quantitate esset essentia sua connexus cum eo quod à quantitate non separetur: sed actus essentia sua connexus cum eo quod ipse non separetur à quantitate est essentia sua inseparabilis à quantitate, vt per se patet: ergo si hic actus esset separabilis à quantitate, esset ab ea inseparabilis. Maior probatur. Hic actus, vt potè essentialitèr verùs, essentia sua est connexus cum eo, quod non separetur à quantitate vllus actus ab ea separabilis: quia id est obiectum decreti creditum, & iudicatum per actum: ergo si hic actus esset separabilis à quantitate, esset essentia sua connexus cum eo quod à quantitate non separetur ipse, cum ipse sit vnus ex actibus separabilibus de quibus omnibus decretum statuit non separari quo argumento, & probari videtur possibilem esse actum spiritualem intellectus essentialitèr inseparabilem à quantitate vt à termino intrinseco vnionis, & præcluditur solutio data argumento præcedenti: quia cum hoc decretum de quo modo loquimur nihil decernat de assensu fidei ipsi præstando, sed ab eo assensu præscindat, ex nullo capite erit imprudens.

35 Cæterum hæc ratio, quamvis speciosa ad aspectum, neque probat, quod intendit, neque vires auget præcedentis argumenti. Respondeo 1. assensum illum supernaturalem non solum debere præscindere ab eo quod includatur, vel non in obiecto eius decreti; sed positivè debet non includi in tali obiecto: idque sivè ille assensus sit intrinsicè inseparabilis à quantitate, sivè ab ea separabilis. Nam si talis assensus est inseparabilis à quantitate non potest includi in obiecto eius decreti, quod stultum foret propter rationem datam num. 33. Si autem talis assensus sit separabilis à quantitate vel ex se præscindat à tali separabilitate non potest etiam includi in obiecto eius decreti:

ti: nam à decreto redderetur inseparabilis à quantitate propter rationem datam in argumento ex num. 30. & alias decretum redderetur imprudens, quia includeret in suo obiecto talem assensum. Ergo in omni eventu assensus debet positivè non includi in obiecto eius decreti Sed si decretum non includit ex parte sui obiecti illum assensum, ex nullo capite probatur inseparabilis à quantitate præfatus assensus: ergo ex ea serie rerum nihil arguitur de inseparabilitate à quãtitate rei spiritualis.

36 Respondeo 2. Admisso casu, in quo nulla est implicatio, non argui ex decreto cum illo modo tendendi inseparabilem à quantitate assensum fidei essentialitèr verum. Ratio est. Quia solum potest sic argui ex eo quod asser.sus connexus est cum obiecto decreti, ac per consequens cum inseparabilitate eorum actuum de quibus decretum statuit non separandos à quantitate: sed hic assensus non intrat in obiecto decreti, vt fatetur arguens: aliàs casus implicaret, quia decretum redderetur stultum: ergo non est vndè ille assensus arguatur connexus cum inseparabilitate sua, sed tantum cum inseparabilitate aliorum actuum, qui tantum extrinsicè, non intrinsecè inseparabiles evadent, quia totus hic casus omnibus alijs accidentalis, & extrinsecus est. Hinc ad confirmationem nego ant. & ad probationem huius nego maiorem, ad cuius probationem distinguo antecedens: connexus est essentia sua cum eo quod non separetur à quantitate vllus actus separabilis eorum, qui constituit obiectum decreti, concedo: illorum qui non constituunt, neque constituere possunt obiectum decreti, nego antecedens, & consequentiam. Quia licèt ipse separabilis sit, cum neque decretum de eo aliquid statuat, neque ipse de se aliquid affirmet, caput non restat, vndè cum sua inseparabilitate connectatur, manebitque proinde cum intrinseca separabilitate ipsi essentiali ex conceptu actus intellectus spiritualis.

37 Resp. 3. Admitto decretum vt ponitur esse possibile,& possibilẽ esse eius revelationẽ:at dũ additur,ei posse assẽtiri assẽsu fidei supernaturalis essẽtialitèr verò, distinguo: assẽsu supernaturali, cuius possibilitas inferatur ex decreto, & revelatione neg.cuius possibilitas aliũdè inferatur,transeat:quia cõtroversia non est,an absolutè sit possibilis actus cũ sua inseparabilitate connexus? Sed an talis actus probetur possibilis ex decreto, & revelatione positivis, vt proponit ipse arguẽs cont.5.de charitate n.25. versãs similẽ quæstionẽ.Iã ex decreto,& revelatione non

non argui possibilem assensum supernaturalem determinatè, indè probatur: quia vt Deus cordatè, & prudentèr revelet mihi decretum suum, non amplius requiritur, quam me posse revelationi assentiri: cum autem possem assentiri revelationi sivè assensu naturali; sivè supernaturali evidentèr verò, indè fit non argui ex decreto, & revelatione possibilitatem actus supernaturalis determinatè; sed vel ipsius, vel actus naturalis.

38 Sed dices 1. Esto non arguatur possibilitas actus supernaturalis, argumentum vrget eadem vi in assensu naturali essentialitèr verò: quia hic assensus essentia sua connexus est cum obiecto decreti, licèt ea connexio non fundetur in radice æquè nobili, ac connexio actus supernaturalis. Si verò hic actus inferatur possibilis ex decreto, & revelatione, iam indè infertur possibilis actus spiritualis essentialitèr inseparabilis à quantitate. Respondeo: neque id probari: quia decretum, & revelatio solum inferunt possibilem aliquem assensum, vel supernaturalem, vel naturalem, & hunc, vel essentialitèr, vel accidentalitèr verum quippè æquè ego assentio revelationi assensu naturali fidei fallibili, ac infallibili: ergo nūquam ex casu, vt ponitur infertur possibilitas actus essentialiter veri, proindeque connexi cum obiecto decreti, quidquid sit, an licèt talis inferetur actus, esset, aut non esset intrinsecè inseparabilis à quantitate. Deindè respondeo alitèr. Admisso indè inferri actum naturalem essentialitèr verum, ille tamen cum non constitueret, neque constituere posset obiectum decreti propter dicta numer. 33. non esset intrinsecè inseparabilis à quantitate; sed omninò separabilis.

39 Dices 2. Esto non arguatur ex casu, vt ponitur, possibilis actus, qui intenditur supernaturalis, aut naturalis poterit ne aliundè probari possibilis ille actus? Respondeo, non posse, & equidem non potest aliundè probari possibilis ille actus supernaturalis: quia cum vitalis sit, & immanens natura sua solum vnitur intellectui nullaque ratione ad quantitatem impenetrabilem ex propria exigentia spectat. Deindè; neque probatur possibilis actus naturalis inseparabilis à quantitate, quia essentialitèr verus. Tùm quia, vtpotè vitalis, & immanens solum vnitur suo principio scilicèt intellectui, qui naturalitèr separabilis est a quantitate proindèque, & ipse actus. Tùm quia nullus actus naturalis circa obiectum contingens est essentialitèr verus, vt dicemus libro 2. disp. 5. & obiectum huius actus, videlicèt actualis inse-

pa-

parabilitas actuum spiritualium intellectus contingens est.

SECT. V.

Expenditur alius modus dicendi circa conceptum corporis, & spiritus.

40 QVinta sententia supra relata docebat, spiritum in tota sua latitudine esse, *quod intrinsecè spectat ad capacitatem, & virtutem, omnia percipiendi intentionalitèr:* pertinet, inquam, intrinsecè, aut per identitatem, aut per vnionem aut receptionem. Corpus autem, *quod intrinsecè spectat ad incapacitatem omnia intentionalitèr percipiendi*: pertinet, inquam, intrinsicè, aut per identitatem, aut per vnionem, aut per receptionem. Hanc sententiam defendit P. Quiros disp. 79. sect. 2. num. 17. eamque ex professo exponit, & illustrat in manu scrip. de Angelis sapientissimus Magist. meus P. Doct. Gaspar de Rivadeneyra quæst. 8. capit. 3. quem alij RR. sequuntur: eamque reputo valde probabilem, quam sic probo.

41 *Primò* ab authoritate D. Thom. 1. p. q. 50. art. vbi ait *Intelligere non potest esse actus corporis, neque alicuius virtutis corporeæ.* Sed intentum Div. Thomæ in hoc art. est probare Angelos esse spirituales, & non corporeos: ergo per ly *intellige*re distinguit spiritum à corpore. Deinde 1. part. quæst. 76. art. 1. in corpore. *Anima autem humana est vltima in nobilitate formarum: vnde in tantum sua virtute excedit materiam corporalem, quod habet aliquam operationem, & virtutem in qua nullo modo comunicat materia corporalis. Et hæc virtus dicitur intellectus.* Ecce ex virtute intellectiva distinguit Div. Thomas animam spiritualem à materia corporea. Clarius, & expressius tradit Angelicus Doct. nostram conclusionem eadem 1. part. quæst. 67. art. 3. in corpore. *Anima rationalis* inquit, *& anima est, & spiritus. Dicitur autem esse anima secundum illud quod est sibi commune, & alijs animabus, quod est vitam corpori dare. Sed spiritus dicitur secundm illud, quod est proprium sibi. Et non alijs animabus, quod, scilicèt, habeat virtutem intellectivam immaterialem.* Ecce ex D. Thoma anima rationalis, quatenùs spiritus se cernitur ab alijs animabus per virtutem intellectivam. Favet D. Augustinus lib. 1. de fide, & simbolo cap. 10. dum ait: *tria sunt quibus homo constat anima, spiritus, & corpus, quæ rursus dicuntur duo, quia sæpè anima simul cum spiritu nominatur pars enim quædam eiusdem rationalis qua carent bestiæ spiritus dicitur: principale nostrum spiritus est: Deindè vita qua coniungimur corpori anima dicitur: postremo istud quod visibile est vltimum*

mum nostrum est corpus. Hic spiritus etiam vocantur mens. Ecce apertè primis verbis rationem spiritus quo superamus bestias docet Aug. stare in rationalitate, seu quod idem est in vi intellectiva; & cum in vltimis verbis ait *spiritus vocatur mens*: spiritus, vt contra distinctus à corpore, explicatur per animam intellectivam.

42 Probatur 2. à ratione. Illud prædicatum est essentia metaphysica, & conceptus formalis substantiæ spiritualis (per attributionem ad quam reliqua spiritualia dicuntur talia,) quod primario aprehendimus in ipsa, & quod ipsam ab omni non ipsa distinguit, eam constituendo in ordine superiori ad corpus: sed *vis omnia percipiendi intentionalitèr*, seu *virtus intellectiva* est prædicatum quod primario apprehendimus in substantia spirituali, quod ipsam ab omni non ipsa distinguit, & eam constituit in ordine sublimiori ad corpus: ergo tale prædicatum est essentia metaphysica, & conceptus formalis substantiæ spiritualis. Maior est certa. Minor autem quoad 1. partem etiam videtur certa, sed probatur sic quoad omnes eius partes. Quia quod primario apprehendimus in substantia spirituali, vt à reliquis rebus distincta, est magna quædam virtus perfectissimorum effectuum cum magna promptitudine, & facilitate superans, & excedens omnem activitatem rerum non spiritualium: sed ea virtus non potest esse alia, quam virtus omnia percipiendi intentionalitèr: ergo vis omnia percipiendi intentionalitèr est prædicatum quod primario apprehendimus in substantia spirituali, & quod ipsum ab omni non ipsa distinguit, & quod ipsam constituit in ordine superiori ad corpus. Maior præterquam constare videtur experientia nostrorum actuum, quibus spiritum, & corpus apprehendimus, indè etiam probatur. Quia res valdè, & promptissimè activas, *spiritus* voccare solemus: sic enim in Scriptura venti vehementes, ignesque cito materiam aliquam absumentes. *Spiritus Domini* vocantur. Sic comprincipia huc, & illuc per totum corpus ad operationes vitales eliciendas subsidium afferentia voccantur *spiritus* animæ *vitales*, *& animales*. Sic etiam hominem in persuadendo vehementem, & efficacem, magnum habere spiritum, dicimus.

43 Iam minor in qua stat difficultas probatur. Nam præter vim omnia percipiendi intentionalitèr solùm reperiuntur in substantia spirituali v. grat. Angelo vis velocitèr se moven-

vendi, & movendi alia; item vis percipiendi intentionalitèr determinatum numerum obiectorum; & si tibi placeat, vis productiva aliquorum effectuum in linea physica. At nulla ex his viribus est vis, qua substantia spiritualis superest activitatem rerum non spiritualium, & qua proindè constituatur in ordine superiori ad corpus. Siquidem virtus motiva reperta in Angelo compensari potest per virtutem cognoscitivam, licèt materialem, substantiarum non spiritualium: virtus enim cognoscitiva valde æstimabilis est. Deindè vis percipiendi numerum determinatum obiectorum potest compensari per virtutem cognoscitivam collectionis omnium rerum non spiritualium, & per alias perfectiones eius collectionis. Tandem per eandem vim cognoscitivam, & per activitatem physicam ipsarum rerum non spiritualium compensari potest vis productiva aliquorum effectuum in linea physica. Aliunde autem substantia spiritualis superat proculdubio activitatem omnium rerum non spiritualium, etiam si collectivè summantur, per vim omnia percipiendi intentionalitèr: nam per hanc vim potest cognoscere Deum, omnes creaturas possibiles superiores se, inferiores, æquales, præsentes, præteritas, & futuras, tàm in singulari, quàm in vniversali, non solum apprehendendo sed etiam iudicando, & discernendo, & supra proprios actus reflectendo, cum tamen in nulla substantia materiali, neque in omnibus collectivè sumptis detur similis vis cognoscitiva, neque alia perfectio quæ possit ipsam compensare: ergo vis activa, qua substantia spiritualis ex conceptu suo superat activitatem rerum non spiritualium nulla alia esse potest, quam *vis omnia percipiendi intentionalitèr*: ergo hoc prædicatum est id quod primario apprehendimus in substantia spirituali, quod ipsam ab omni non ipsa distinguit, & quod eam constituit in ordine superiori ad corpus. Quid ergo ipsi deficit vt sit essentia metaphysica spiritus?

44 Indè fit 1. Spiritum primario sumptum, idest per attributionem ad quem alia dicuntur spiritualia esse substantiam intellectualem: & spiritualia esse omnia ea, quæ exigunt vniri, & recipi in ea substantia intellectuali, & capaci intelligendi: talia autem sunt subsistentia, præsentia, duratio, & omnes modi talis substantiæ, intellectiones, volitiones, & omnia accidentia supernaturalia, vt gratia, fides, &c. Fit secundo. Hæc omnia

participare rationem spiritus, licèt ipsa intellectualia non sint: ex eo, scilicèt, quod intrinsecè respiciant substantiam intellectualem vt terminum intrinsecum. Et ratio à priori est. Quia accidentia spiritualia non debent participare rationem spiritus æquo gradu, ac ipsa substantia spiritualis, vt optimè notat P. Molina 1. part. quæst. 17. substantia enim spiritualis natura sua est incorruptibilis, & indivisibilis, saltem de facto, in partes extensionis, & intensionis; & tamen plura accidentia spiritualia corruptibilia sunt vt intellectio, & volitio; & alia divisibilia sunt in partes extensionis, & intensinois, vt gratia.

45 Fit 3. Hanc esse rectam consequentiam: *Hæc substantia est intellectiva omnium: ergo spiritualis est*: & è converso. *Hæc substantia est spiritualis: ergo omnium intellectivus*. Nam benè valet consequentia à definito ad definitionem, & è converso. Fit 4. spiritum in tota sua latitudine esse, *quod intrinsecè connectitur cum capacitate omnia intelligendi tanquam cum termino sibi intrinseco*: Eritque sibi intrinsecum, sivè per identitatem, vt ipsa substantia spiritualis sivè per vnionem, aut receptionem vt sunt numerata num. 43. Fit 5. cum corpus, vt tale, spiritui, vt tali, contrariè opponatur corpus primario sumptum, seu substantia corporea erit, *quod intrinsecè est incapax omnia intelligendi*: secundarioque, & per attributionem ad ipsam erunt corporea omnia ea, *quæ cum tali substantia connectuntur tanquam cum termino sibi intrinseco*: qua ratione connectuntur omnia accidentia materialia vitalia, & non vitalia; modi, præsentiæ, durationes, & si quæ sunt alia intrinsecè afficientia natura sua prædictam substantiam. Vndè corpus in tota sua latitudine est *quod intrinsecè connectitur cum incapacitate omnia intelligendi, tanquam cum termino sibi subiecto*; eritque sibi intrinsecum, sine per identitatem, vt ipsa substantia materialis, sivè per vnionem, aut receptionem, vt proximè enumerata.

46 Hinc per varias illationes obiectiones præoccupandæ sunt facile. Infertur *primo*. Nullum actum supernaturalem, aut naturalem intellectus, aut voluntatis posse argui intrinsecè connexum cum incapacitate intelligendi titulo imperandi assensum seu credendi decretum, & revelationem de non separatione actuum spiritualium ab incapacitate intelligendi. Constat ex sect. 4. Quia illud argumentum potest fieri hic eadem forma, ideòque eadem solutio est præstanda. Infertur *secundò* sensationes materiales hominis, licèt inadæquatè

tè receptas in anima spirituali, corporeas esse: quia intrinsecè connectuntur cum incapacitate intelligendi tanquam cum termino sibi intrinseco. Idem dicendum est de vnione animæ rationalis cum materia, quæ propter eandem rationem est corporea. Vt enim hæ entitates spirituales forent, ita deberent cum anima intellectiva cõnecti, vt connexionem excluderent cum materia corporea vt termino sibi intrinseco. Infertur *tertiò*. Actionem qua phantasma cum intellectu agente producit speciem intelligibilem (si ea species datur) licèt connexam cum phantasmatè materiali, à quo procedit, spiritualem esse quia non connectitur cum phasmatè, neque medio eo cum incapacitate intelligendi, tanquam cum termino intrinseco, sed vt extrinseco solum: quippè ea actio non respicit phantasma vt subiectum vnionis, aut receptionis, sed vt purum agens physicum.

47 Infertur *quartò*. In eo sensu, in quo vna res est magis intellectiva, quam alia est spiritualior illa. Cæterum cum res capaces omnia intelligendi tantum posśint se excedere quantitativè, quatenùs vna perfectius intelligat quam alia; non verò essentialitèr, quia quelibet per suam essantiam omnium intellectiva est; ideo vnus Angelus v. gr. solum erit spiritualior alio maioritate quantitativa: non verò essentiali. Sic etiam homo perfectiùs intelligens dicitur magis rationalis, seu melioris rationis, quam alius non æquè intelligens: dicitur, inquam, magis rationalis maioritate extensiva, & quantitativa, non essentiali cum solo numero distinguantur eorum animæ rationales, & omninò æquales sint ex dictis disp. 2. sect. 4. Infertur *quinto*. Hominem secundum animam esse capacem intelligendi omnia, ideoque secundum animam, esse spiritum; secus secundum materiam incapacem omnia intelligendi. Vndè homo inadæquatè spiritus est, solumque denominativè dicitur totus homo corporeus: nec vt totus homo denominetur spiritus sufficit, quod vna pars eius spiritus sit, quia eo ipso, quod constet materia incapaci intelligendi, connectitur cum incapacitate omnia intelligendi tanquam cum termino intrinseco, quam connexionem non excludit altera pars intellectiva. Vno verbo. Substantia spiritualis est, quæ omnium intellectiva est, & non connexa intrinsecè cum incapacitate omnia intelligendi. Confirmatur 1. Ex Div. Thoma illis verbis quibus probat spiritualitatem animæ: *dicitur spiritus secundum illud quod est*

prium sibi, & non alijs animabus, quod scilicet habeat virtutem intellectivam immaterialem, hoc est, non connexam intrinsecè cum materia non intellectiva. Confirmatur 2. ex communi sententia, iuxta quam homo constans anima penetrabili corporeus dicitur, quia ita constat ea parte penetrabili, vt non excludat à suis intrinsecis constitutivis materiam intrinsecè impenetrabilem.

SECT. VI.

Vtrùm sit possibilis substantia corporea completa simplex.

48 SVbstantiam completam corpoream eam appello, quæ cum corporea sit non ordinatur natura sua ad componendum cum alia comparte substantiali totum corporeum distinctum inadæquatè à se. Eaque substantia potest excogitari dupliciter simplex. Primò, simplicitate excludente partes essentiales videlicet materiam, & formam. Secundo simplicitate excludente partes integrales. In vtroque sensu procedit præsens difficultas in qua negativam partem absolutè defendit P. Hurtado disputat. 1. de Cœlo sect. 1. affirmant P. Arriaga disputat. 5. sect. 3. & P. Alphonsus disputat. 4. sect. 4. vbi pro se refert Aristotelem, & Divum Thomam, & plures alios ex Antiquis.

49 Dico 1. cum hac secunda sententia, Possibilis est substantia corporea completa simplex simplicitate excludente partes essentiales se habentes vt materiam, & formam. Probatur conclusio *primò* ratione communi in quæstionibus de possibili: quia in tali substantia nulla ostenditur implicatio, vt constabit solutione argumentorum. Probatur *secundò* sic. Quia ea substantia erit corporea eo ipso, quod sit intrinsecè impenetrabilis, vel intrinsecè pertineat ad incapacitatem omnia intelligendi, (iuxta conceptum quem elegeris corporis ex duobus supra approbatis) sed neque ad impenetrabilitatem, neque ad incapacitatem omnia intelligendi, requiritur compositio ex materia, & forma, vt patet in quantitate intrinsecè impenetrabili, & non composita ex materia, & forma, & in materia prima, & anima materiali equi, quarum quælibet est incapax omnia intelligendi, & vtraque est impenetrabilis, & tamen neutra componitur ex materia, & forma, sed solum ex partibus integralibus: imò neque ex his componitur anima ma-

materialis equi in sententia probabili Thomistarum: ergo nihil est quod obstet possibilitati substantiæ corporeæ completæ, & simplicis, simplicitate excludente partes essentiales.

50 Objicies 1. Talis substantia, si possibilis esset, deberet esse vivens; licèt non vita intelligibilis, quæ excedit perfectionem rei adæquatæ corporeæ: sed non esset vivens vita vegativa, neque sensitiva: ergo implicat talis substantia, siquidem implicat vita, quæ neque vegetativa, neque sensitiva, neque rationalis sit. Probatur maior. Hæc substantia quia simplex perfectior esset quavis substantia composita corporea igne v. gr. ergo illam excederet in modo operandi, ac proindè in modo operandi vitalitèr: ergo illa substantia esset vivens. Iam probatur minor primi sylogismi: & in primis non viveret vita vegetativa: nam vegetatio non fit, nisi dependentèr à qualitatibus disponentibus ad introductionem novæ formæ in materia alimenti: sed ea substantia non esset capax earum qualitatum, quia incapax esset novæ formæ, vt supponimus: ergo non viveret vegetativè. *Confirmatur.* Substantia vegetativa ab intrinseco corrumpitur: quia vegetatio per se tendit ad resarciendas, per nutritionem, partes deperditas per diminutionem viventis: sed ea substantia non corrumperetur ab intrinseco: quia in se non admitteret qualitates expellentes partem antiquam formæ, & ad novam formam disponentes: ergo non esset vegetativa. Deinde probatur, non vivere vita sensitiva. Nam ad hanc est necessaria dispositio primarum qualitatum: hæ autem qualitates, cum, natura sua, sint dispositiones ad formam, cuius est incapax ea substantia, non possent inveniri in ea substantia:

51 Ad argumentum respondeo 1. negando maiorem: ad cuius probationem, nego antecedens: quia licèt prædicatum simplicitatis ex se excedat compositionem; potest tamen compositio identificari cum prædicatis excedentibus simplicitatem, & substantiam simplicem. Sicut substantia corruptibilis potest identificari cum prædicatis excedentibus substantiam incorruptibilem, ver. grat. equus corruptibilis excedit Cœlos incorruptibiles, iuxta plures Philosophos; licèt incorruptibile ex se, & ex terminis superet corruptibile. Et ratio à priori est: quia excessus perfectionis vnius rei ad aliam non est pensandus ex vno, aut altero prædicato; sed ex collectione omnium prædicatorum vnius, & alterius rei,

rei, vt sic fiat recta perpensio vtriusque. Vndè benè stat substantiam, de qua loquimur esse simplicem, & nihilominus excedi, & superari in perfectione à pluribus substantiis compositis, & præcipuè à viventibus.

52 Vndè respondeo 2. ad argumentum. Admissa maiori, nego minorem, qua parte dicit hanc substantiam non fore viventem vegetativè: Ad probationem, distinguo maiorem: omnis vegetatio dependet ab eis qualitatibus, nego: aliqua, nempè, quæ defacto datur, concedo maiorem: & concessa minore, nego consequentiam. Explicatur solutio. Duplex potest excogitari vegetatio: alia, quà vivens reparat damna illata per diminutionem, & hæc dependet à qualitatibus contrarijs disponentibus ad novam partem substantiæ introducendam loco deperditæ. Sic accidit vegetatio in omnibus viventibus, quæ novimus. Alia, qua vivens non tendat ad reparanda damna illata per diminutionem, sed ad maiorem substantiam acquirendam vsque ad magnitudinem sibi proportionatam: huius vegetationis esset capax substantia, de qua est sermo, & ad ipsam necessaria non est dispositio contrariarum qualitatum, cum nulla pars deperdenda sit; sed sat est tale temperamentum qualitatum, quod substantiam disponat, vt novam partem integralem sibi vniat, quousque perveniat ad debitam magnitudinem.

53 Respondeo 3. Admisso, quod hęc substantia sit vivens, & non vita vegetativa, nego minorem, qua parte dicit, non fore viventem vita sensitiva. Ad rationem incontrarium, assero 1. habituram sensationem specie distinctam à nostris, ad eamque non esset necessaria dispositio qualitatum, quæ defacto dantur; sed aliarum, quæ non ad introductionem formæ, sed præcisse ad eam sensationem haberent disponere: vel fortè adhuc ad illam sensationem non essent necessariæ vllæ qualitates; sed sufficerent species obiectorum sensibilium inditæ à Deo. Assero 2. posse sentire sensatione eiusdem speciei cum nostris: neque ad eas sensationes erit necessarium, substantiam in se recipere qualitates necessarias ad nostras sensationes, & ad suam; sed sufficere eas qualitates recipi in subiecto extraneo, & indè species sui mittere ad substantiam approximatam. Nam sæpè contingit, sentire nos obiecta recepta in subiecto extraneo, eo solum quod indè mittant ad nos species sui. Vel tandem si necessarium est, prædictam substantiam in se recipere eas qualitates, non

non, inde sequeretur disponere ad novam formam: nam ad novam formam solum disponunt subiectum capax illius: non incapax, qualis hæc substantia est, Sic intellectio vnita mihi, me reddit intelligentem: secuùs vnita lapidi incapaci intelligendi. Sic Verbum Divinum humanitatem capacem sanctitatis, sanctam, & Deo gratam redebat: secus cadaver incapax, cui in triduo mortis vnitum fuit.

54 Objicies 2. si hæc substantia indivisibilis essentialitèr esset integralitèr divisibilis, esset corruptibilis: quia poterat venire per divisionem ad partem minorem minimo, requisito ad sui conservationem. Sed aliàs ea substantia, quia cōpleta, & simplex essentialitèr, foret incorruptibilis: ergo esset implicatoria. Respondeo 1. Ex divisibilitate integrali non rectè argui corruptibilitatem: quia Cœlum est integralitèr divisibile, & tamen, iuxta plures, incorruptibile. Et ratio est, quia corruptibile dicitur, quod per impulsum, & actionem agentis creati potest physicè dividi; non illud, quod tantùm mathematicè divisibile est, vt constat in materia prima, quæ incorruptibilis dicitur, quia licèt constet partibus mathematicè divisibilibus: non tamen physicè, vi agentis creati. Respondeo 2. Si vis dico, eam substantiam esse incorruptibilem, quia constat partibus se ipsis, absque vnione superaddita, vnitis, proindeque caret vnione, quam agens creatum destruat: vel quia constat partibus vnitis vnione superaddita incorruptibili ab agente creato, sicuti incorruptibilis ponitur probabilitèr vnio inter materiam, & formam Cœlorum.

55 Respondeo 3. Illam substantiam esse corruptibilem: quia non apparet, cur agens creatum non possit corrumpere vnionem earum partium, quas substantia ad suam naturalem conservationem postulat. Sed dices. Agens naturale solum potest corrumpere vnionem separando partes: ergo separat partes, dum corrumpit vnionem: ergo remanent partes separatæ, ac proindè non corrumpuntur, neque substantia corruptibilis est. Nego antecedens. Nam partes esse separatas, dicit carentiam vnionis, & exigentiam partium; & agens destruens vnionem non tendit ad conservationem partium, sed tantùm ne existat vnio: & hac destructa, cum deficiat minimum ad sui conservationem requisitum, naturalitèr deficit entitas, & vivens. Rogo; quando agens naturale corrumpit vnionem? Dico non corrumpere illam physicè, sed moralitèr, nimirum introducendo in ea substantiam qualitatem exigentē, Deum cessare à conserva-

 tio-

tione vnionis; sicut agens naturale causat moralitèr, animam rationalem introducendo in materia dispositiones exigentes, Deum ipsam creare.

56 Objicies 3. Ea substantia esset nobilior, & ignobilior anima rationali, in primis esset nobilior; quia esset actus completus nòn ordinatus ad componendum, cum tamen anima rationalis sit talis actus. Deindè esset ignobilior: quia ea substantia non accederet ad perfectionem capacitatis videndi Deum, ad quam anima rationalis accedit: ergo implicat talis substantia. Instatur argumentum. Formica est perfectior, & imperfectior anima rationali. Perfectior, quia est substantia completa cum anima incompleta sit. Imperfectior, quia non accedit ad perfectionem videndi Deum, & immortalitatis, quam habet anima. Quare respondeo. Animam rationalem esse perfectiorem illa substantia, quia collata collectione omnium prædicatorum animæ cum collectione prædicatorum illius substantiæ, prima collectio esset longè æstimabilior secunda.

57 Objicies 4. Ea substantia, quia corporea, vel esset quantitas, vel intrinsecè respiceret quantitatem: sed non potest esse quantitas, cum hæc accidens sit realitèr distinctum à substantia: deindè non potest habere quantitatem, neque eam intrinsecè respiceere: ergo implicat ea substantia. Minor probatur quoad secundam partem: nam quoad primam certa est. Illa quantitas non esset eiusdem rationis cum nostra: tùm quia hæc quantitas est propria passio materiæ primæ; & ea substantia non haberet materiam primam: tùm, quia hæc quantitas est dispositio ad formam, & ea substantia non esset capax habendi formam. Deindè ea quantitas non esset diversæ rationis à quantitate nostra, quia non apparet possibilis quantitas specie distincta ab hac. Nego secundam partem minoris. Ad cuius probationem, nego vtramque partem, & dico quantitatem hanc nostram esse proprietatem materiæ, quatenus materia est corporea: cum ergo illa substantia, de qua est sermo, sit corporea, posset hæc quantitas esse illius passio. Quantitas etiam nostra disponit ad formam subiectum capax, non incapax quale esset illa substantia. Constat solutio ex dictis ad primum argumentum. Ad probationem secundæ partis nego impossibilem esse eam quantitatem diversæ rationis à nostra.

58 Objicies 5. omnis substantia naturalis debet

bet habere aliquam formam accidentalem: ergo & substantialem. Insto argumentum: Angelus debet habere aliquam formam accidentalem (scilicèt, intellectionem, & volitionem, & alia huiusmodi) ergo & debet habere formam substantialem. Mala consequentia. Ideò nego tuam: etenim antecedens ideò est verum, quia quævis creatura, ex hoc prædicato capax est alicuius mutationis: eaque mutatio fit per receptionem accidentium, quibus carebat prius. Staret igitur in substantia, de qua loquimur, ea mutatio per accidentium susceptionem, sine capacitate ad formam substantialem.

59 Dico 2. Possibilis est substantia corporea completa simplex, adhùc integralitèr. Probatur. Quia non est de ratione formali corporis, divisibile esse in partes integrales, vt constat ex sectione prima: ergo posibile erit corpus carens partibus integralibus: illudque erit completum, quia nulla ratione ordinatum ad componendum totum integrale cum alia comparte integrali. Deindè nulla apparet in hac substantia repugnantia, vt constabit solutione argumentorum. Dico 3. Hæc substantia indivisibilis integralitèr potest esse subiectum, in quo recipiatur quantitas integralitèr indivisibilis. *Primò*. Quia in sententia probabili Thomistarum, anima perfecti bruti est indivisibilis: imò ex tali anima, vt ex subiecto inadæquato educitur quantitas divisibilis: ergo ex illa substantia indivisibili potest adæquatè educi quantitas divisibilis. *Secundò*. Quia præsentia, qua Angelus correspondet spatio divisibili constat partibus integralibus, in probabili sententia; sed hæc præsentia divisibilis educitur, & subiectatur in Angelo integralitèr indivisibili: ergo. *Tertiò*, Quia in hoc nulla repugnantia, statim constabit.

60 Objic. 1. effectus formalis quantitatis est constituere partes subiecti alias extra alias: sed subiectum indivisibile non est capax huius effectus: ergo neque quantitatis divisibilis. Nego maiorem: quia effectus formalis quantitatis solum est reddere subiectum impenetrabile: si subiectum habeat partes reddet illas impenetrabiles inter se, & exigentes alias esse extra alias, ponunturque aliæ extra alias non formalitèr à quantitate, sed à præsentia. Si autem subiectum non habeat partes, non constituet, adhùc remote, partes extra partes, sed ipsum reddet impenetrabile cū alia quantitate. Cæterum quia intimè esset vnum cum

quantitate habente partes alias extra alias, exigeret esse in loco quantitatis, & ideò localitèr repeti, & replicari in omnibus indivisibilibus spatij à quantitate occupati. Objicies 2. forma debet proportionari subiecto eductionis: sed quantitas divisibilis non proportionatur subiecto indivisibili: ergo non potest ex eo educi. Insto in præsentia divisibili Angeli indivisibilis, & nego minorem. Quia non alia proportio inter hoc subiectum, & quantitatem requiritur, quam quod sint in eodem loco: essetque subiectum illud in eodē loco cum quantitate, quia per penetrationem cum illa exigeret, & haberet replicatas præsentias, quibus spatio divisibili quantitatis responderet.

61 Dico 4. Ex eo subiecto integralitèr indivisibili potest educi quantitas integralitèr etiam indivisibilis. Probatur 1. Quia in eductione quantitatis in divisibilis ex subiecto indivisibili nulla est difficultas. 2. Quia eius quantitatis nulla repugnantia assignabitur: nam cum indivisibilitate ipsius stat esse impenetrabilem cum alia quantitate, sivè divisibili, sivè indivisibili, in quo stat conceptus formalis quantitatis, ex dictis in logica. Deindè, quod non esset radix extensionis localis inconveniens non est, licèt quantitas præsens, sit ita radix: quia possumus dicere, quod quantitas præsens specie distinguitur ab ea, quam modo adstruimus, siquidem quam adstruimus ponimus intrinsecè in ordinabilem ad componendum totum integrale, & ipsum componit præsens quantitas. Præterquamquod, licèt præsens quantitas sit radix extensionis respectu subiecti habentis partes, id non habet ex conceptu formali quantitatis, ideoque non constituit extensum adhuc radicalitèr, & remote, subiectum non habens partes.

SECT. VII.

Vtrùm sit possibilis substantia composita ex materia, & forma spiritualibus.

62 In hac quæstione duplex est sententia. Prima negat possibilitatem huius substantiæ. Ita P. Suarez disp. 33. Metaph. sect. 14. num. 5. & Pater Hurtado hic disp. 2. sect. 2. partem affirmativam defendit P. Alphonsus disput. 4. sect. 4. vbi pro se citat plures AA. inter quos D. Augustinum lib. 2. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 1. & confessionum cap. 2. Hæc sententia vera est, & probatur 1. Quia conceptus spiritus, aut stat in penetrabilitate, aut in vi omnia intelligendi: sed compositio ex materia, & forma spiritualibus; nulli horum

rum opponitur: ergo non repugnat substantia composita ex materia, & forma spiritualibus. 2. Quia neque repugnat ea substantia ex parte materiæ, neque ex parte formæ, neque ex parte coniuncti, vt dabit argumentorum solutio: ergo impossibilis non repugnat.

63 Objicies 1. Illud compositum esset incorruptibile: quia anima rationalis, & si entitas incompleta, incorruptibilis est, vtpotè substantia spiritualis: ergo etiam esset incorruptibile illud compositum adæquatè spirituale. Deindè, tale compositum esset corruptibile. Probatur hoc. Ea forma posset naturalitèr separari à materia: ergo illud compositum esset corruptibile. Antecedens probatur. Ea forma, vtpotè ordinata ad totum adæquatè spirituale, perfectior esset anima rationali quæ ad totum corporeum ordinatur: sed anima rationalis separabilis est naturalitèr à materia prima: ergo potiori iure erit separabilis à materia illa forma. Respondeo compositum illud esse incorruptibile. Ad rationem in contrarium nego antecedens, & ad probationem, concessis præmissis, nego consequentiam. Quia perfectio, quam habet anima rationalis, separabilitatis à materia compensatur per excessum, quem haberet illa forma in vi intellectiva, nimirùm, quia postulat species perfectiores, & altiorem modum cognoscendi. Vlterius, illa forma vnita materiæ exerceret omnes operationes, quas anima nostra nequit exercere nisi in statu separationis à corpore, propter impedimentum materiæ corporeæ, quam in statu coniunctionis habet. Hæc, cum certa videantur, rationabilius est dicere, hanc formam esse inseparabilem à materia, eo quod ab agenti naturali nihil videtur posse produci destructivum vnionis illius compositi.

64 Respondeo 2. dicendo, si vis, esse corruptibile, illud compositum. Ad rationem incontrarium dico, stare rectè destructibile esse hoc compositum in ratione compositi, & superare perfectionem animæ rationalis absolutè incorruptibilis. *Primò* quia maximè commendat perfectionem illius compositi, vt talis, constare subiecto non impediente perfectissimas operationes suæ formæ, sed potius ad illas deservientes; cum tamen anima rationalis non possit operari tali, vel tali modo, cuius est capax nisi à materia separata. *Secundò*. Quia stat equum corruptibilem, in ratione compositi excedere Cœlum in corruptibile in ratione compositi: ergo stabit hoc compositum, qua tale, corruptibile esse, & excedere animam rationalem in-

incorruptibilem. Sed adverte, si hac secunda solutione vtaris, debes dicere, non repugnare qualitatem spiritualem ab Angelo, aut alio agenti naturali productam, destructivam illius vnionis, quod non pugnat cum spiritualitate illius vnionis substantialis: nam in opinione probabili P. Hurtado, contra quem agimus, vnio qua anima rationalis vnitur materiæ est spiritualis, & substantialis, & ab agente naturali destructibilis.

65 Objic. 2. Illa materia spiritualis perfectior esset quovis ente corporeo substantiali, etiam cognoscitivo: quia quodvis spirituale præstantius est quovis corporeo. Deindè, non esset perfectior: quod sic probatur. Illa materia esset pura potentia passiva, & entitas incompleta, sed pura potentia passiva, & incompleta non est perfectior substantia completa, saltem cognoscitiva: ergo illa materia non potest esse perfectior ente corporeo substantiali completo, & cognoscitivo. Respondeo non esse cuiuscumque rei spiritualis determinatè sumptè excedere quamcumque rem corpoream quia equus corporeus perfectior est præsentia, & duratione spiritualibus animæ rationalis, & Angeli. Et ratio à priori est, quia solum debet superare quodvis corporeum, etiam collectivè sumptum, id quod primario spirituale est, id est, quod est tale, vt per attributionē ad ipsum, alia dicantur spiritualia, & tale est sola substantia intellectiva, iuxta dicta sect. 5.

66 Objic. 3. Implicat in terminis quod aliquid spirituale sit primum subiectum. Nam primū subiectum, qua tale, non est ens actu; sed potentia; spirituale autem est ens in actu, ideò que Deus necessario spiritualis est, quia est necessario in actu. Respondeo: primum subiectum dicitur pura potentia, & non ens in actu, quia actus sumitur semper pro perfectione, & potentia pro perfectibilitate, & primum subiectum est perfectibile per formam: in hoc sensu fateor, subiectum spirituale non esse ens actu, sed potentia, quia perfectibile manet à forma. Iuxta hanc acceptionem dicitur Deus actus, & non potētia, necessario spiritualis, & simè, & necessariò est in actu, sensu significante includere omnē perfectionē, in summo gradu, & necessario. Ob. 4. Illa materia esset perfectior forma corporea. Deindè non esset perfectior, quia illa materia est pura potentia passiva, & forma corporea est principium activū: ergo illa materia implicat. Resp. 1. perfectiùs esse infimū supremi, quā supremū infimi, vt communitèr dicitur: ideòque perfectiùs est subiectū determinatū ad formas spirituales, eiusq; operationes recipiendas

das inseparabilitèr, quàm aliqua lis activas formæ corporeæ. Neque id implicat ex terminis. Tùm quia forma corruptibilis equi, quia vivens, perfectior est Cœlo incorruptibili non viventi. Tùm quia ens incompletum, scilicèt anima rationalis, quia spiritualis perfectius est ente completo, scilicèt equo, quia hic corporeus est. Vel respondeo 2. Illam materiam non fore perfectiorem forma corporea, quia spiritualitas illius materiæ compensaretur à forma corporea per virtutem activam. Nam, iuxta dicta, num. præcedenti, non est de ratione cuiuscumque rei spiritualis excedere quamcumque rem corpoream.

67 Objic. 3. Forma illius compositi penderet receptivè à subiecto spirituali: sed materia prima corporea non pendet receptivè ab vllo subiecto: ergo ea forma spiritualis esset imperfectior materia corporea. Aliundè, ex ipsis terminis formę substantialis spiritualis activę, esset perfectior illa forma quacumque matéria, sivè spirituali, sivè corporea: ergò implicat tale cōpositū ex parte suæ forma. Falsò supponit obiectio eam formam recipiendam esse in subiecto cum ad constituendum totū cum subiecto, sufficiat illi vniri, vt patet in anima rationali. Sed hoc admisso, respondeo non esse contra rationem spiritus recipi in subiecto spirituali, vt videre est in accidentibus spiritualibus receptis in anima rationali. Perfectio verò, quæ ponderatur in materia prima corporea, ex eo quod non recipiatur in subiecto, compensaretur, & longè excederetur, per virtutē intellectivam, & alias perfectiones illius formæ spiritualis. Dices. Nostra anima imperfectior est ea forma, & non recipitur in subiecto: ergo neque ea forma reciperetur. Nego conseq. quia nostra anima excederetur ab ea forma in alijs perfectionibus ponderatis n. 63. Objic. 6 Ea forma non esset perfectior suò subiecto. Ergo implicat. Antecedens probat. Si esset perfectior subiecto se extenderet ad maius spatium: sed non se extendit, quia quævis forma debet commensurari suo subiecto: ergo. Neg. antec. & maiorē probation. Quia Angelus, & anima perfectiores sunt proprijs subsistentiis, & non se extendūt ad maius spatium, neque subsistentię, quia imperfectiores, contrahuntur admìnus. Perfectio igitur formæ spiritualis supra suā materiā staret in activitate, qua caret materia.

68 Objic. 7. Ea forma esset substantialis, vt supponimus: aliundè probatur esse accidentalem: ergo implicat. Probatur assumptum. Accidentale est, quod inhæret alicui præsupposito eiusdem rationis, scilicet ordinis spiritualis. Sed ea forma inhæreret materiæ spirituali, sicut forma ipsa: Est ergo accidentalis. Nego assump-

assumptum, & ad probationem, nego maiorem. Nam forma substantialis materialis inhæret materiæ primæ substantiali, & materiali, & non est accidentalis. Et ratio à priori est, quia substantia *est ens per se*, seu *ens subsistens*, & tam forma equi, quã forma, de qua loquimur, licèt inhærentes materiæ, subsistentes sunt propria subsistentia. Respondeo 2. permissa maiori, nego minorem, quia necessarium non est, vt diximus suprà, eam formam inhærere subiecto, vt cum ipso constituat totum. Objic. 8. Materia illius compositi esset substantia spiritualis: ergo intellectiva. Probatur consequentia ex dictis sect. 5. vbi diximus, spirituale substantiale, & primarium esse intellectivum. Nego consequentiam. Ad probationem dico, iuxta nos, non omne spirituale substantiale esse intellectivum, sed solum spirituale illud substantiale, per ordinem ad quod omnia spiritualia dicuntur, & quod primario significatũr hoc nomine *spiritus*: & quod huiusmodi est, est substantia intellectiva: siquidem est primarium significatum huius vocis, & omnia alia per attributionem ad ipsum dicuntur *Spiritualia*: per hanc etiam attributionem dicitur spiritualis materia, de qua est sermo, cum per se ordinetur ad formam illam spiritualem primario, & intellectivam. Poterit tamen hæc materia in alio sensũ dici, *Spiritualis primariò* intentum à natura, nam materia prima, & natura media ipsa, intendit primario substantiam completam spiritualem, & hæc materia identificatur inadæquatè cum illa substantia completa.

69. Objic. 9. Hæc materia nullatenùs potest deservire ad operationes formæ, aud ad operationes compositi. Non ad operationes compositi: quia compositum vt tale nihil operatur, cum materia operativa non sit. Non ad operationes formæ: quia omnes illæ sunt spirituales, & ideò aguntur adæquatè à forma, & in ea adæquatè recipiuntur: ergo inutilis prorsus est talis materia. Respondeo 1. Quod licèt illa materia non concurreret immediatè activè, aut passivè ad operationes, conduceret nihilominùs mediatè sustentando, & recipiendo vnionem ad formam: præcipuè, si dicamus, aliquas esse operationes eius formæ, quæ nequeunt procedere ab ipsa non vnita materiæ, in quibus operationibus difficile invenitur repugnantia. Respondeo 2. Eam materiam concurrere passivè, immediatè ad operationes formæ: nam si, in sententia communi, quam postea sequemur, sensationes materiales hominis recipiuntur in toto composito, ex exigen-

gentia ipsarum sensationum, non est cur inficiemur, possibiles esse operationes spirituales exigentes, vt subiectum adęquatum, totum compositum spirituale. Objic. 10. Spirituale excedit materiale, etiam compositum, in vi intellectiva, & in alijs prædicatis. Cur ergo non excedet illud in simplicitate? Respondeo, id accidere, quia non est de ratione cuiuscumque rei perfectioris alia, excedere illam in omnibus, & singulis prædicatis; sed sufficit quod in aliquo illam excedat, & quod excessus ille non compensetur per alia prædicata rei imperfectioris.

70 Dices 1. Ergo etiam erit possibilis substantia spiritualis composita ex partibus integrantibus, cum potius videatur repugnare ipsi compositio essentialis, quam integralis. Quid indè? Fateor, esse possibilem illam substantiam integralitèr compositam, & spiritualem. Nam si præsentia spiritualis Angeli est defacto divisibilis integralitèr, iuxta plures, vel saltem est possibilis talis præsentia, quænam specialis repugnantia probatur in substantia spirituali, quæ similem compositionem integralem admittat? Dices 2. Si hæc omnia ita sunt: cur non dicimus Angelos defacto existentes, & animam rationalem, esse huius natura? Respondeo ne id de Angelis dicamus obest authoritas SS. PP. qui Angelos vocant *simplices entitates*, æmulantesque simplicitatem divinam. Fundamentum autem ne anima rationalis componatur, aut ex materia, & forma; aut ex partibus integralibus, iam dedimus supra disp. 2. sect. 1.

71 Rogabis, sicut possibile est compositum ex materia, & forma spiritualibus, item compositum ex materia, & forma corporea, nec non aliud compositum ex materia corporea, & forma spirituali, vt homo: erit ne possibile aliud quartum compositum ex materia spirituali, & forma corporea? Negat P. Oviedo contr. 5. punct. 7. cuius ratio est. Quia forma materialis nullatenùs indigeret subiecto spirituali: quippè non ad operationes corporeas, quia neque in subiecto spirituali recipiendæ erant, neque per ipsum acceptura erat anima species materiales ad eas operationes. Neque aliundè ea forma materialis activa est operationum spiritualium, quæ in subiecto spirituali possent recipi: ergo illud subiectum ad nihil deserviret. Deservit tamen nostra materia ad operationes nostræ animæ: quia hæc eliciti-va est operationum materialium de se exigentium ipsas, & species materiales requisitas ad ipsas recipi in subiecto materiali. *Secundò* potest argui sic pro eadem parte negativa. Dis-

facilè intelligitur subiectum, quod non nisi violentèr, & miraculosè posset vniri suæ formæ; sed tale esset illud subiectum spirituale: ergo implicat. Probatur minor. Subiectum illud, quia spirituale, intrinsecè exigit, aut recipi, aut vniri entitati penetrabili, & iuxta aliam opinionem, substantiæ intellectuali: ergo dum ei non vnitur, miraculosè non vnitur: sed dum vnitur suæ formæ materiali, non vnitur rei penetrabili, nec intellectivæ: ergo miraculosè vnitur, & violenta est sub tali forma. Dicere autem subiectum ordinatum ad componendum totum cum hac forma, neutiquam esse violentum, nisi dum componit, est falsum.

72 Vt difficultati respondeam: noto 1. Implicare tale subiectum spirituale, si natura sua destinatum sit ad componendum totum cum forma materiali, & corporea; ita vt impotens sit existere sine ipsa. Nam quod natura sua est inseparabile à corpore, corporeum est: sed tale subiectum natura sua destinatum ad componendum totum cum forma materiali esset natura sua inseparabile à corpore: ergo esset corporeum: contra suppositionem. *Confirmatur* à paritate sensationum materialium hominis, quæ non sunt spirituales, & sunt vnitæ, & receptæ in anima rationali; idque non ob aliā rationē, nisi quia exigunt, natura sua, vniri formę materiali: ergo illud subiectū esset corporeum; & nulla ratione spirituale. Noto 2. Subiectum spirituale esse natura sua destinatum ad formam intellectivam, eamque exigere: nam quidquid spirituale est respicit, vt terminum sibi intrinsecum spirituale primarium, nempè, illud, per ordinem ad quod alia spiritualia dicuntur: sed tale spirituale primarium est substantia intellectiva: ergo subiectum spirituale respiceret, vt terminum sibi intrinsecum formam intellectivam. Noto 3. subiectum spirituale nequit vniri formæ corporeæ, nisi, vel miraculosè privetur forma intellectiva, ad quam natura sua ordinatur, vel simul habeat duas formas, aliam intellectivam, quam intrinsecè respicit, aliam materialem, ad quam habeat capacitatem, & potentiam obedientialem: nam in eo, quod tale subiectum simul respiciat illam duplicem formā, nulla difficultas implicationis excogitari potest. His positis.

73 Dico 1. Implicat compositum, de quo est sermo, si subiectum spirituale ponatur ordinatum natura sua ad formam materialem. Patet ex prænotatis: quia tale subiectum esset spirituale, vt supponimus, & non esset, quia natura sua connexum cum re materiali. Dico

3. Possibile est, compositum ex forma materiali, & subiecto spirituali, si tale subiectum, natura sua, ordinetur ad formam spiritualem, permittat tamen vniri, & defacto vniatur formæ materiali. Probatur, Quia possibile est munus, quod illud subiectum exerceret in composito, nempè recipere inadæquatè sensationes quæ talis naturæ sint, vt petant inadæquatè recipi in subiecto spirituali, qualis naturæ sunt sensationes nostræ. Et inde patet ad secundam rationem in contrarium. Neque spirituales erunt illæ sensationes, quia receptæ in subiecto spirituali, sicut non ideò sunt spirituales sensationes nostræ: nam illæ, sicut nostræ, exigerent inadæquatè recipi in re corporea. Vlterius in compositione totius non esset violenta hæc materia spiritualis, vnita formæ materiali: quia capax est vnionis ad formam materialem. Esset tamen violenta, si ipsi denegaretur forma spiritualis, quam connaturalitèr exigit. Neque absonum est, esse violentam, quando privatur altera forma, & habet hanc, quia altera, & non hæc, est propria forma huius subiecti, ipsi connaturalitèr debita: formam autem materialem non exigit, sed permittit. Sic, si materiæ primæ, vt dispositæ ad animam rationalem, detur forma equi, non esset violenta cum forma equi propter positivum habendi ipsam, sed propter negativum non habendi aliam, quam pro eis circumstantijs exigebat, vt suam, quia in re materiæ ipsa debebatur. Ex hoc patet ad primam rationem supra positam num. 71.

74 Dices 1. subiectum debet esse ignobilius forma: sed hoc subiectum spirituale esset nobilius forma corporea: ergo non exerceret circa ipsam munus subiecti. In primis respondeo non implicare subiectum spirituale purè passivum, quod sit ignobilius forma corporea activa simul, & passiva operationum. Respondeo 2. Non esse de ratione subiecti, quod sit ignobilius quavis forma, sed solum eâ, ad quam naturalitèr, per connaturalem exigentiam, ordinatur, vt ad propriam perfectionem: at quando forma, quam exigit, negatur ipsi, solum est de ratione subiecti, quod in composito exerceat munus ignobilius, & sic se habet in præsenti subiectum spirituale, quod solum reciperet inadęquatè operationes materiales, quas forma adæquatè ageret, & inadæquatè reciperet.

75 Dices 2. quomodo hæc forma corporea ageret operationes materiales? siquidē primas qualitates, & species obiectorum sen-

sensibilium non posset acquirere medio illo, subiecto spirituali? Respondeo: ideò ageret, quia ipsa esset subiectum adæquatum qualitatum, & specierum, quas agentia aproximata, in sola forma illa materiali, producerent. Si dicas. 3. Nos tale genus sensationum, quæ à subiecto non dependent non solum passivè, sed nec dispositivè, vt ita dicam, numquam esse expertos. Respondeo: id verum esse; sed dicimus, in earum possibilitate, nullam probari implicationem: sicut non probatur implicatio in eo, quod corpus omninò simplex habeat sensationes; licèt nos solum experiamur sensationes in corporibus compositis.

DISPVTATIO IV.

De Concepto vitæ, omnibus viventibus communi.

DIximus supra definientes animam, illam esse *actum corporis*, cuius conceptum, & distinctionem ab spiritu dedimus disputatione præcedenti. Diximus etiam, dum animam definivimus esse *potentia habentis vitam*, seu principium vitaliter operandi: hoc suscipimus examinandum modo, videlicet quid sit vivere?

SECTIO I.

Nonnullis suppositis referuntur sententiæ Anthorum.

1 SVppono 1. viventia in communi existimatione censentur, & sunt Deus, Angelus, homo equus, & reliqua animalia: item viventes sunt plantæ: tùm propter communem consensum DD. tum propter authoritatem Div. Augustini dicentis sermone 29. de verbis Apost. *Nos autem vivimus; sed nobis adhuc id ipsum vivere cum arboribus, frutetisque commune est*. Deus, Angelus, & homo vivunt vita intellectiva: homo, & equus vita sensitiva simul, & vegetativa. Plantæ autem solum vita vegetativa, seu quod idē, est nutritiva, quia per intussumptionem augentur. Suppono 2. vivens aliud esse physicum, & aliud intentionale: physicum, cuius vita consistit in nutritione: intentionale, quod, vel nutritione caret, vt Deus, & Angelus, vel vtra nutritionem habet alium modum vivendi percipiendo, aut aprehendendendo obiecta sivè purè spiritualia, vt Angelus, sivè purè materialia, vt equus, sivè materialia simul, & spiritualia, vt homo. Hinc, vita in actu secundo,

secundò alia est purè physica, vt accretio, & nutritio plantæ: alia intentionalis, vt perceptio, sivè materialis, sivè spiritualis, obiecti.

2 Suppono 3. Vitam in actu primò esse ipsum principium vivens, & vitam in actu secundò esse actualem operationem vitalem, à principio vivente procedentem. Rursus, principium vitale aliud est substantiale, scilicèt substantia vivens in actu primo: aliud accidentale, nempè conprincipium accidentale datum viventi, vt simul cum ipso, immediatè eliciat operationes vitales: tale conprincipium est intellectus, aut voluntas, in opinione distinguente potentias ab anima: item habitus, sivè naturales, sivè supernaturales concurrentes cum anima ad actus vitales. Suppono 4. Actionem communitèr dividi in immanentem, & transeuntem. Actio immanens est illa, quæ in eodem agente, à quo oritur, manet, tanquam in subiecto receptionis, aut vnionis. Clarius, quæ *prout est ab hoc agente in specie, debet manere, cum suo termino, recepta, vel vnica in eodem agente.* Actio transiens ea est, quæ *prout est ab hoc agente in specie, in hunc terminum in specie, non manet, cum suo termino, neque vnita, neque recepta in agente, sed transit ad subiectum extraneum.* Sed adverte: ad immanentiam actionis sufficere, vel quòd maneat recepta adæquatè in agentè, à quo oritur, vt intellectio manet in anima; vel quód recipiatur in subiecto constituente vnum compositum cum principio activo, à quo oritur, vt sẽsatio materialis hominis; si adæquatè recipiatur in materia: quia, si subiectum constituit vnum compositum cum agente, totum dicetur agere, & pati, sicut totus homo dicitur intelligens, licèt sola anima intellectionem eliciat: quia videlicèt operationes partium attribuuntur toti composito.

3 Rursus: actio immanens, alia est talis immanentia identitatis cum suo agente, qua ratione intellectio, & volitio divina immanentes sunt Deo, si nec virtualitèr ab essentia distinguantur: alia est talis, immanẽtia, & supperaddita principio vnionis, seu receptionis, qua ratione immanentes sunt operationes vitales creaturarum, quæ operationes à suis principijs realitèr distinguntur. Tandem, actio immanens alia est immanens per se, illa scilicèt, quæ per se exigit manere in eodem principio à quo oritur, vel in alio constituente vnum compositum cum principio; talis est nutritio, in communi sententia: alia est immanens per accidens, ea, videlicèt, quæ modo explicato, non exigit, manere neque in principio:

tione vnionis; sicut agens naturale causat moraliter, animam rationalem introducendo in materia dispositiones exigentes, Deum ipsam creare.

56 Objicies 3. Ea substantia esset nobilior, & ignobilior anima rationali, in primis esset nobilior: quia esset actus completus non ordinatus ad componendum, cum tamen anima rationalis sit talis actus. Deindè esset ignobilior: quia ea substantia non accederet ad perfectionem capacitatis videndi Deum, ad quam anima rationalis accedit: ergo implicat talis substantia. Instatur argumentum. Formica est perfectior, & imperfectior anima rationali. Perfectior, quia est substantia completa cum anima incompleta sit. Imperfectior, quia non accedit ad perfectionem videndi Deum, & immortalitatis, quam habet anima. Quare respondeo. Animam rationalem esse perfectiorem illa substantia, quia collata collectione omnium prædicatorum animæ cum collectione prædicatorum illius substantiæ, prima collectio esset longè æstimabilior secunda.

57 Objicies 4. Ea substantia, quia corporea, vel esset quantitas, vel intrinsecè respiceret quantitatem: sed non potest esse quantitas, cum hæc accidens sit realitèr distinctum à substantia: deindè non potest habere quantitatem, neque eam intrinsecè respicere: ergo implicat ea substantia. Minor probatur quoad secundam partem: nam quoad primam certa est. Illa quantitas non esset eiusdem rationis cum nostra: tùm quia hæc quantitas est propria passio materiæ primæ; & ea substantia non haberet materiam primam: tùm, quia hæc quantitas est dispositio ad formam, & ea substantia non esset capax habendi formam. Deindè ea quantitas non esset diversæ rationis à quantitate nostra, quia non apparet possibilis quantitas specie distincta ab hac. Nego secundam partem minoris. Ad cuius probationem, nego vtramque partem, & dico quantitatem hanc nostram esse proprietatem materiæ, quatenus materia est corporea: cum ergo illa substantia, de qua est sermo, sit corporea, posset hæc quantitas esse illius passio. Quantitas etiam nostra disponit ad formam subiectum capax, non incapax quale esset illa substantia. Constat solutio ex dictis ad primum argumentum. Ad probationem secundæ partis nego impossibilem esse eam quantitatem diversæ rationis à nostra.

58 Objicies 5. omnis substantia naturalis debet

bet habere aliquam formam accidentalem: ergo & substantialem. Insto argumentum: Angelus debet habere aliquam formam accidentalem (scilicèt, intellectionem, & volitionem, & alia huiusmodi) ergo & debet habere formam substantialem. Mala consequentia. Ideò nego tuam: etenim antecedens ideò est verum, quia quævis creatura, ex hoc prædicato capax est alicujus mutationis: eaque mutatio fit per receptionem accidentium, quibus carebat prius. Staret igitur in substantia, de qua loquimur, ea mutatio per accidentium susceptionem, sine capacitate ad formam substantialem.

59 Dico 2. Possibilis est substantia corporea completa simplex, adhùc integralitèr. Probatur. Quia non est de ratione formali corporis, divisibile esse in partes integrales, vt constat ex sectione prima: ergo possibile erit corpus carens partibus integralibus: illudque erit completum, quia nulla ratione ordinatum ad componendum totum integrale cum alia comparte integrali. Deindè nulla apparet in hac substantia repugnantia, vt constabit solutione argumentorum. Dico 3. Hæc substantia indivisibilis integralitèr potest esse subiectum, in quo recipiatur quantitas integralitèr indivisibilis. *Primò.* Quia in sententia probabili Thomistarum, anima perfecti bruti est indivisibilis: imò ex tali anima, vt ex subiecto inadæquato educitur quantitas divisibilis: ergo ex illa substantia indivisibili potest adæquatè educi quantitas divisibilis. *Secundò.* Quia præsentia, qua Angelus correspondet spatio divisibili constat partibus integralibus, in probabili sententia; sed hæc præsentia divisibilis educitur, & subiectatur in Angelo integralitèr indivisibili: ergo. *Tertiò,* Quia in hoc nulla repugnantia, statim constabit.

60 Objic. 1. effectus formalis quantitatis est constituere partes subiecti alias extra alias: sed subiectum indivisibile non est capax huius effectus: ergo neque quantitatis divisibilis. Nego maiorem: quia effectus formalis quantitatis solum est reddere subiectum impenetrabile: si subiectum habeat partes reddet illas impenetrabiles inter se, & exigentes alias esse extra alias, ponunturque aliæ extra alias non formalitèr à quantitate, sed à præsentia. Si autem subiectum non habeat partes, non constituet, adhùc remote, partes extra partes, sed ipsum reddet impenetrabile cũ alia quantitate. Cæterum quia intimè esset vnum cum

quantitate habente partes alias extra alias, exigeret esse in loco quantitatis, & ideò localitèr repeti, & replicari in omnibus indivisibilibus spatij à quantitate occupati. Objicies 2. forma debet proportionari subiecto eductionis: sed quantitas divisibilis non proportionatur subiecto indivisibili: ergo non potest ex eo educi. Insto in præsentia divisibili Angeli indivisibilis, & nego minorem. Quia non alia proportio inter hoc subiectum, & quantitatem requiritur, quam quod sint in eodem loco: esséque subiectum illud in eodē loco cum quantitate, quia per penetrationem cum illa exigeret, & haberet replicatas præsentias, quibus spatio divisibili quantitatis responderet.

61 Dico 4. Ex eo subiecto integralitèr indivisibili potest educi quantitas integralitèr etiam indivisibilis. Probatur 1. Quia in eductione quantitatis in divisibilis ex subiecto indivisibili nulla est difficultas. 2. Quia eius quantitatis nulla repugnantia afsignabitur: nam cum indivisibilitate ipsius stat esse impenetrabilem cum alia quantitate, sivè divisibili, sivè indivisibili, in quo stat conceptus formalis quantitatis, ex dictis in logica. Deindè, quod non esset radix extensionis localis inconveniens non est, licèt quantitas præsens, sit ita radix: quia possumus dicere, quod quantitas præsens specie distinguitur ab ea, quam modo adstruimus, siquidem quam adstruimus ponimus intrinsecè in ordinabilem ad componendum totum integrale, & ipsum componit præsens quantitas. Præterquamquod, licèt præsens quantitas sit radix extensionis respectu subiecti habentis partes, id non habet ex conceptu formali quantitatis, ideoque non constituit extensum adhuc radicalitèr, & remote, subiectum non habens partes.

SECT. VII,

Vtrùm sit possibilis substantia composita ex materia, & forma spiritualibus.

62 IN hac quæstione duplex est sententia. Prima negat possibilitatem huius substantiæ. Ita P. Suarez disp. 33. Metaph. sect. 14. num. 5. & Pater Hurtado hic disp. 2. sect. 2. partem affirmativam defendit P. Alphonsus disput. 4. sect. 4. vbi pro se citat plures AA. inter quos D. Augustinum lib. 2. de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 1. & confessionum cap. 2. Hæc sententia vera est, & probatur 1. Quia conceptus spiritus, aut stat in penetrabilitate, aut in vi omnia intelligendi: sed compositio ex materia, & forma spiritualibus, nulli horu m

rum opponitur: ergo non repugnat substantia composita ex materia, & forma spiritualibus. 2. Quia neque repugnat ea substantia ex parte materiæ, neque ex parte formæ, neque ex parte coniuncti, vt dabit argumentorum solutio: ergo impossibilis non repugnat.

63 Objicies 1. Illud compositum esset incorruptibile: quia anima rationalis, & si entitas incompleta, incorruptibilis est, vtpotè substantia spiritualis: ergo etiam esset incorruptibile illud compositum adæquatè spirituale. Deindè, tale compositum esset corruptibile. Probatur hoc. Ea forma posset naturalitèr separari à materia: ergo illud compositum esset corruptibile. Antecedens probatur. Ea forma, vtpotè ordinata ad totum adæquatè spirituale, perfectior esset anima rationali quæ ad totum corporeum ordinatur: sed anima rationalis separabilis est naturalitèr à materia prima: ergo potiori iure erit separabilis à materia illa forma. Respondeo compositum illud esse incorruptibile. Ad rationem in contrarium nego antecedens, & ad probationem, concessis præmissis, nego consequentiam. Quia perfectio, quam habet anima rationalis, separabilitatis à materia compensatur per excessum, quem haberet illa forma in vi intellectiva, nimirum, quia postulat species perfectiores, & altiorem modum cognoscendi. Vlterius, illa forma vnita materiæ exerceret omnes operationes, quas anima nostra nequit exercere nisi in statu separationis à corpore, propter impedimentum materiæ corporeæ, quam in statu coniunctionis habet. Hæc, cum certa videantur, rationabilius est dicere, hanc formam esse inseparabilem à materia, eo quod ab agenti naturali nihil videtur posse produci destructivum vnionis illius compositi.

64 Respondeo 2. dicendo, si vis, esse corruptibile, illud compositum. Ad rationem in contrarium dico, stare rectè destructibile esse hoc compositum in ratione compositi, & superare perfectionem animæ rationalis absolutè incorruptibilis. *Primò* quia maximè commendat perfectionem illius compositi, vt talis, constare subiecto non impediente perfectissimas operationes suæ formæ, sed potius ad illas deservientes; cum tamen anima rationalis non possit operari tali, vel tali modo, cuius est capax nisi à materia separata. *Secundò*. Quia stat equum corruptibilem, in ratione compositi excedere Cœlum in corruptibile in ratione compositi: ergo stabit hoc compositum, qua tale, corruptibile esse, & excedere animam rationalem in-

incorruptibilem. Sed adverte, si hac secunda solutione vtaris, debes dicere, non repugnare qualitatem spiritualem ab Angelo, aut alio agenti naturali productam, destructivam illius vnionis, quod non pugnat cum spiritualitate illius vnionis substantialis: nam in opinione probabili P. Hurtado, contra quem agimus, vnio qua anima rationalis vnitur materiæ est spiritualis, & substantialis, & ab agente naturali destructibilis.

65 Objic. 2. Illa materia spiritualis perfectior esset quovis ente corporeo substantiali, etiam cognoscitivo: quia quodvis spirituale præstantius est quovis corporeo. Deindè, non esset perfectior: quod sic probatur. Illa materia esset pura potentia passiva, & entitas incompleta, sed pura potentia passiva, & incompleta non est perfectior substantia completa, saltem cognoscitiva: ergo illa materia non potest esse perfectior ente corporeo substantiali completo, & cognoscitivo. Respondeo, non esse cuiuscumque rei spiritualis determinatè sumptè excedere quamcumque rem corpoream quia equus corporeus perfectior est præsentia, & duratione spiritualibus animæ rationalis, & Angeli. Et ratio à priori est, quia solum debet superare quodvis corporeum, etiam collectivè sumptum, id quod primario spirituale est, id est, quod est tale, vt per attributionē ad ipsum, alia dicantur spiritualia, & tale est sola substantia intellectiva, iuxta dicta sect. 5.

66 Objic. 3. Implicat in terminis quod aliquid spirituale sit primum subiectum. Nam primū subiectum, qua tale, non est ens actu; sed potentia; spirituale autem est ens in actu, ideò que Deus necessario spiritualis est, quia est necessario in actu. Respondeo: primum subiectum dicitur pura potentia, & non ens in actu, quia actus sumitur semper pro perfectione, & potentia pro perfectibilitate, & primum subiectum est perfectibile per formam: in hoc sensu fateor, subiectum spirituale non esse ens actu, sed potentia, quia perfectibile manet à forma. Iuxta hanc acceptionem dicitur Deus actus, & non potētia, necessario spiritualis, & summè, & necessariò est in actu, sensu significante includere omnē perfectionē, in summo gradu, & necessario. Ob. 4. Illa materia esset perfectior forma corporea; Deindè non esset perfectior, quia illa materia est pura potentia passiva, & forma corporea est principium activū; ergo illa materia implicat. Resp. 1. perfectiùs esse infimū supremi, quā supremū infimi; vt communitèr dicitur; ideòque perfectiùs est subiectū determinarū ad formas spirituales, eiusq; operationes recipiendas

das inſeparabilitèr, quàm aliqua lis activas formæ corporeæ. Neque id implicat ex terminis. Tùm quia forma corruptibilis equi, quia vivens, perfectior eſt Cœlo incorruptibili non viventi. Tùm quia ens incompletum, ſcilicèt anima rationalis, quia ſpiritualis perfectius eſt ente completo, ſcilicèt equo, quia hic corporeus eſt. Vel reſpondeo 2. Illam materiam non fore perfectiorem forma corporea, quia ſpiritualitas illius materiæ compenſaretur à forma corporea per virtutem activam. Nam, iuxta dicta, num. præcedenti, non eſt de ratione cuiuſcumque rei ſpiritualis excedere quamcumque rem corpoream.

67 Objic. 3. Forma illius compoſiti penderet receptivè à ſubiecto ſpirituali: ſed materia prima corporea non pendet receptivè ab vllo ſubiecto: ergo ea forma ſpiritualis eſſet imperfectior materia corporea. Aliundè, ex ipſis terminis formę ſubſtantialis ſpiritualis activę, eſſet perfectior illa forma quacumque materia, ſivè ſpirituali, ſivè corporea: ergo implicat tale cōpoſitū ex parte ſuæ forma. Falsò ſupponit obiectio eam formam recipiendam eſſe in ſubiecto cum ad conſtituendum totū cum ſubiecto, ſufficiat illi vniri, vt patet in anima rationali. Sed hoc admiſſo, reſpondeo non eſſe contra rationem ſpiritus recipi in ſubiecto ſpirituali, vt videre eſt in accidentibus ſpiritalibus receptis in anima rationali. Perfectio verò, quæ ponderatur in materia prima corporea, ex eo quod non recipiatur in ſubiecto, compenſaretur, & longè excederetur, per virtutē intellectivam, & alias perfectiones illius formæ ſpiritualis Dices. Noſtra anima imperfectior eſt ea forma, & non recipitur in ſubiecto: ergo neque ea forma reciperetur. Nego conſeq. quia noſtra anima excederetur ab ea forma in alijs perfectionibus ponderatis n. 63. Objic. 6 Ea forma non eſſet perfectior ſuo ſubiecto. Ergo implicat. Antecedens probat. Si eſſet perfectior ſubiecto ſe extenderèt ad maius ſpatium: ſed non ſe extendit, quia quævis forma debet commenſurari ſuo ſubiecto: ergo. Neg. antec. & maiorē probation. Quia Angelus, & anima perfectiores ſunt proprijs ſubſiſtentiis, & non ſe extendūt ad maius ſpatium, neque ſubſiſtentię, quia imperfectiores, contrahuntur admi nus. Perfectio igitur formæ ſpiritualis ſupra ſuā materiā ſtaret in activitate, qua caret materia.

68 Objic. 7. Ea forma eſſet ſubſtantialis, vt ſupponimus: aliundè probatur eſſē accidentalem: ergo implicat. Probatur aſſumptum. Accidentale eſt, quod inhæret alicui præſuppoſito eiuſdem rationis, ſcilicet ordinis ſpiritualis: Sed ea forma inhæreret materiæ ſpirituali, ſicut forma ipſi: Eſt ergo accidentalis. Nego aſſump-

assumptum, & ad probationem, nego maiorem. Nam forma substantialis materialis inhæret materiæ primæ substantiali, & materiali, & non est accidentalis. Et ratio à priori est, quia substantia *est ens per se*, seu *ens subsistens*, & tam forma equi, quam forma, de qua loquimur, licèt inhærentes materiæ, subsistentes sunt propria subsistentia. Respondeo 2. permissa maiori, nego minorem, quia necessarium non est, vt diximus suprà, eam formam inhærere subiecto, vt cum ipso constituat totum. Objic. 8. Materia illius compositi esset substantia spiritualis: ergo intellectiva. Probatur consequentia ex dictis sect. 5. vbi diximus, spirituale substantiale, & primarium esse intellectivum. Nego consequentiam. Ad probationem dico, iuxta nos, non omne spirituale substantiale esse intellectivum, sed solum spirituale illud substantiale, per ordinem ad quod omnia spiritualia dicuntur, & quod primario significatur hoc nomine *spiritus*: & quod huiusmodi est, est substantia intellectiva: siquidem est primarium significatum huius vocis, & omnia alia per attributionem ad ipsum dicuntur *Spiritualia*: per hanc etiam attributionem dicitur spiritualis materia, de qua est sermo, cum per se ordinetur ad formam illam spiritualem primario, & intellectivami. Poterit tamen hæc materia in alio sensu dici *Spiritualis primariò* intentum à natura, nam materia prima, & natura media ipsa, intendit primario substantiam completam spiritualem, & hæc materia identificatur inadæquatè cum illa substantia completa.

69. Objic. 9. Hæc materia nullatenùs potest deservire ad operationes formæ, aud ad operationes compositi. Non ad operationes compositi: quia compositum, vt tale nihil operatur, cum materia operativa non sit. Non ad operationes formæ: quia omnes illæ sunt spirituales, & ideò aguntur adæquatè à forma, & in ea adæquatè recipiuntur: ergo inutilis prorsus est talis materia. Respondeo 1. Quod licèt illa materia non concurreret immediatè activè, aut passivè ad operationes, conduceret nihilominùs mediatè sustentando, & recipiendo vnionem ad formam: præcipuè, si dicamus, aliquas esse operationes eius formæ, quæ nequeunt procedere ab ipsa non vnita materiæ, in quibus operationibus difficile invenitur repugnantia. Respondeo 2. Eam materiam concurrere passivè, immediatè ad operationes formæ: nam si, in sententia communi, quam postea sequemur, sensationes materiales hominis recipiuntur in toto composito, ex exi-

gen-

gentia ipsarum sensationum, non est cur inficiemur, possibiles esse operationes spirituales exigentes, vt subiectum adęquatum, totum compositum spirituale. Objic. 10. Spirituale excedit materiale, etiam compositum, in vi intellectiva, & in alijs prædicatis. Cur ergo non excedet illud in simplicitate? Respondeo, id accidere, quia non est de ratione cuiuscumque rei perfectioris alia, excedere illam in omnibus, & singulis prædicatis; sed sufficit quod in aliquo illam excedat, & quod excessus ille non compensetur per alia prædicata rei imperfectioris.

70 Dices 1. Ergo etiam erit possibilis substantia spiritualis composita ex partibus integrantibus, cum potius videatur repugnare ipsi compositio essentialis, quam integralis. Quid indè? Fateor, esse possibilem illam substantiam integraliter compositam, & spiritualem. Nam si præsentia spiritualis Angeli est defacto divisibilis integraliter, iuxta plures, vel saltem est possibilis talis præsentia, quænam specialis repugnantia probatur in substantia spirituali, quæ similem compositionem integralem admittat? Dices 2. Si hæc omnia ita sunt: cur non dicimus Angelos defacto existentes, & animam rationalem, esse huius naturæ? Respondeo ne id de Angelis dicamus obest authoritas SS. PP. qui Angelos vocant *simplices entitates*, æmulantesque simplicitatem divinam. Fundamentum autem ne anima rationalis componatur, aut ex materia, & forma; aut ex partibus integralibus, iam dedimus supra disp. 2. sect. 1.

71 Rogabis, sicut possibile est compositum ex materia, & forma spiritualibus, item compositum ex materia, & forma corporea, nec non aliud compositum ex materia corporea, & forma spirituali, vt homo: erit ne possibile aliud quartum compositum ex materia spirituali, & forma corporea? Negat P. Oviedo contr. 5. punct. 7. cuius ratio est. Quia forma materialis nullatenùs indigeret subiecto spirituali: quippè non ad operationes corporeas, quia neque in subiecto spirituali recipiendæ erant, neque per ipsum acceptura erat anima species materiales ad eas operationes. Neque aliundè ea forma materialis activa est operationum spiritualium, quæ in subiecto spirituali possent recipi: ergo illud subiectum ad nihil deserviret. Deservit tamen nostra materia ad operationes nostræ animæ: quia hæc eliciti va est operationum materialium de se exigentium ipsas, & species materiales requisitas ad ipsas recipi in subiecto materiali. *Secundò* potest argui sic pro eadem parte negativa. Dis-

facilè intelligitur subiectum, quod non nisi violenter, & miraculosè posset vniri suæ formæ; sed tale esset illud subiectum spirituale: ergo implicat. Probatur minor. Subiectum illud, quia spirituale, intrinsecè exigit, aut recipi, aut vniri entitati penetrabili, & iuxta aliam opinionem, substantiæ intellectuali: ergo dum ei non vnitur, miraculosè non vnitur: sed dum vnitur suæ formæ materiali, non vnitur rei penetrabili, nec intellectivæ: ergo miraculosè vnitur, & violenta est sub tali forma. Dicere autem subiectum ordinatum ad componendum totum cum hac forma, neutiquam esse violentum, nisi dum componit, est falsum.

72 Vt difficultati respondeam: noto 1. Implicare tale subiectum spirituale, si natura sua destinatum sit ad componendum totum cum forma materiali, & corporea, ita vt impotens sit existere sine ipsa. Nam quod natura sua est inseparabile à corpore, corporeum est: sed tale subiectum natura sua destinatum ad componendum totum cum forma materiali esset natura sua inseparabile à corpore: ergo esset corporeum: contra suppositionem. *Confirmatur* à paritate sensationum materialium hominis, quæ non sunt spirituales, & sunt vnitæ, & receptæ in anima rationali, idque non ob aliã rationẽ, nisi quia exigunt, natura sua, vniri formæ materiali: ergo illud subiectũ esset corporeum; & nulla ratione spirituale. Noto 2. Subiectum spirituale esse natura sua destinatum ad formam intellectivam, eamque exigere: nam quidquid spirituale est respicit, vt terminum sibi intrinsecum spirituale primarium, nempè, illud, per ordinem ad quod alia spiritualia dicuntur: sed tale spirituale primarium est substantia intellectiva: ergo subiectum spirituale respiceret, vt terminum sibi intrinsecum formam intellectivam. Noto 3. subiectum spirituale nequit vniri formæ corporeæ, nisi, vel miraculosè privetur forma intellectiva, ad quam natura sua ordinatur, vel simul habeat duas formas, aliam intellectivam, quam intrinsecè respicit, aliam materialem, ad quam habeat capacitatem, & potentiam obedientialem: nam in eo, quod tale subiectum simul respiciat illam duplicem formã, nulla difficultas implicationis excogitari potest. His positis.

73 Dico 1. Implicat compositum, de quo est sermo, si subiectum spirituale ponatur ordinatum natura sua ad formam materialem. Patet ex prænotatis: quia tale subiectum esset spirituale, vt supponimus, & non esset; quia natura sua connexum cum re materiali. Dico

2. Possibile est compositum ex forma materiali, & subiecto spirituali, si tale subiectum, natura sua, ordinetur ad formam spiritualem, permittat tamen vniri, & defacto vniatur formæ materiali. Probatur, Quia possibile est munus, quod illud subiectum exercere in composito, nempè recipere inadæquatè sensationes quæ talis naturæ sint, vt petant inadæquatè recipi in subiecto spirituali, qualis naturæ sunt sensationes nostræ. Et inde patet ad secundam rationem in contrarium. Neque spirituales erunt illæ sensationes, quia receptæ in subiecto spirituali, sicut non ideò sunt spirituales sensationes nostræ: nam illæ, sicut nostræ, exigerent inadæquatè recipi in re corporea. Vlterius in compositione totius non esset violenta hæc materia spiritualis, vnita formæ materiali: quia capax est vnionis ad formam materialem. Esset tamen violenta, si ipsi denegaretur forma spiritualis, quam connaturaliter exigit. Neque absonum est, esse violentam, quando privatur altera forma, & habet hanc, quia altera, & non hæc, est propria forma huius subiecti, ipsi connaturaliter debita: formam autem materialem non exigit, sed permittit. Sic, si materiæ primæ, vt dispositæ ad animam rationalem, detur forma equi, non esset violenta cum forma equi, propter positivum habendi ipsam, sed propter negativum non habendi aliam; quam pro eis circunstantijs exigebat, vt suam, quia in re materiæ ipsa debebatur. Ex hoc patet ad primam rationem supra positam num. 71.

74 Dices 1. subiectum debet esse ignobilius forma; sed hoc subiectum spirituale esset nobilius forma corporea: ergo non exerceret circa ipsam munus subiecti. In primis respondeo non implicare subiectum spirituale purè passivum, quod sit ignobilius forma corporea activa simul, & passiva operationum. Respondeo 2. Non esse de ratione subiecti, quod sit ignobilius quavis forma, sed solum eâ, ad quam naturaliter, per connaturalem exigentiam, ordinatur, vt ad propriam perfectionem: at quando forma, quam exigit, negatur ipsi, solum est de ratione subiecti, quod in composito exerceat munus ignobilius, & sic se habet in præsenti subiectum spirituale, quod solum reciperet inadæquatè operationes materiales, quas forma adæquatè ageret, & inadæquatè reciperet.

75 Dices 2. quomodo hæc forma corporea ageret operationes materiales, siquidē primas qualitates, & species obiectorum sen-

secundò alia est purè physica, vt accretio, & nutritio plantæ: alia intentionalis, vt perceptio, sivè materialis, sivè spiritualis, obiecti.

2. Suppono 3. Vitam in actu primò esse ipsum principium vivens, & vitam in actu secundò esse actualem operationem vitalem, à principio vivente procedentem. Rursus, principium vitale aliud est substantiale, scilicèt substantia vivens in actu primo: aliud accidentale, nempè conprincipium accidentale datum viventi, vt simul cum ipso, immediatè eliciat operationes vitales: tale con principium est intellectus, aut voluntas, in opinione distinguente potentias ab anima: item habitus, sivè naturales, sivè supernaturales concurrentes cum anima ad actus vitales. Suppono 4. Actionem communitèr dividi in immanentem, & transeuntem. Actio immanens est illa, quæ in eodem agente, à quo oritur, manet, tanquam in subiecto receptionis, aut vnionis. Clarius, quæ *prout est ab hoc agente in specie debet manere, cum suo termino, recepta, vel vnica in eodem agente.* Actio transiens ea est, quæ *prout est ab hoc agente in specie, in hunc terminum in specie, non manet, cum suo termino, neque vnita, neque recepta in agente, sed transit ad subiectum extraneum.* Sed adverte: ad immanentiam actionis sufficere, vel quod maneat recepta adæquatè in agente, à quo oritur, vt intellectio manet in anima; vel quód recipiatur in subiecto constituente vnum compositum cum principio activo, à quo oritur, vt sensatio materialis hominis: si adæquatè recipiatur in materia: quia, si subiectum constituit vnum compositum cum agente, totum dicetur agere, & pati, sicut totus homo dicitur intelligens; licèt sola anima intellectionem eliciat: quia videlicèt operationes partium attribuuntur toti composito.

3. Rursus: actio immanens, alia est talis immanentia identitatis cum suo agente, qua ratione intellectio, & volitio divina immanentes sunt Deo, si nec virtualitèr ab essentia distinguantur: alia est talis, immanentia, & supperaddita principio vnionis, seu receptionis, qua ratione immanentes sunt operationes vitales creaturarum, quæ operationes à suis principijs realitèr distinguntur. Tandem, actio inmanens alia est immanens per se, illa scilicèt, quæ per se exigit manere in eodem principio à quo oritur, vel in alio constituente vnum compositum cum principio; talis est nutritio, in communi sententia: alia est immanens per accidens, ea, videlicèt, quæ modo explicato, non exigit, manere neque in principio,

neque in subiecto constituente vnum compositum cum ipso: talis est calefactio, qua vna manus alterā calefacit. Ea enim actio non exigit recipi, neque in principio suo, neque in subiecto constituente vnum compositum cum principio, quia eadem numero calefaceret manum non vnitam, sed contiguam suo principio. Vndè constat non rectè aliquos RR. dixisse actionem hanc esse per se immanentem, eo quod hæc actio maneat per se in suo principio. Nam ipsa per se non petit, quod subiectum, in quo recipitur adæquatè, adintegret vnum compositum cum principio à quo procedit.

4 Suppono 5. Omnis actio vitalis est immanens per se; non tamen omnis actio immanens per se est vitalis. *Prima* pars probatur ex communi consensu Philosophorum, & Theologorum cum D. Thoma, qui 1. part. quæst. 18. art. 1 docet nullam entitatem esse viventem; nisi virtutem habeat, vt se agat ab intrinseco in aliquam operationem propriam: per hæc verba: *Vt sic viventia dicuntur, quæcumque se agunt ad motum, vel operationem aliquam. Ea verò in quorum natura non est, vt se agant ad aliquem motum, vel operationem viventia dici non possunt, nisi per aliquam similitudinem.* Sed operatio ab intrinseco viventis procedens, qua se ipsum agit, seu perficit; est actio immanens per se, vt constat ex suppositione 4. ergo omnis actio vitalis est immanens per se. *Secunda* pars probatur. Actio, qua quælibet essentia producit suas passiones (v.g. aqua frigiditatem, & ignis calorem in se) est immanens per se: sed talis actio non est vitalis: ergo non omnis actio per se immanens est vitalis. Minor est certa, quia aqua non est vivens. Maior autem probatur. Aqua ita producit in se suam frigiditatem, vt ipsa per se non possit in alio subiecto frigiditatem producere: ergo ea actio, qua aqua producit in se suam frigiditatem est immanens per se. Patet consequentia: nam si hæc actio ita oritur ab intrinseco aquæ; vt essentialitèr maneat in ipsa cum termino à se producto, nec possit transire ad subiectum extraneum, & illud frigefacere, per se exigit in suo principio manere, ac proindè est actio immanens per se. Antecedens autem probatur. Nam si quis immittat manum in aquam intensè calefactam, à qua intensus calor totam frigiditatem expullit, manus nullo modo frigescit: ergo signum est aquam per se ipsam non posse producere frigiditatem in subiecto extraneo, sed solum media frigiditate prius in se producta: ac proinde actio, qua in se producit suam frigiditatem, per se præsupponitur:

tur recepta in aqua cum sua frigiditate, ante actionem, qua subiectum extraneum frigesacit aqua media sua frigiditate.

5 Respondent 1. Thomistæ. Actionem productivam frigiditatis non esse immanentem: quia non provenit, à substantia aquæ; sed à generante: nam iuxta D. Thomam, & axioma receptum inter ipsos, *qui dat formam, dat consequentia ad formam.* Sed contra 1. Nam, vt constat, ex Physica, substantia aquæ est immediatè operativa suarum passionum, & accidentium; ergo necessarium non est hæc produci à generante. Contra 2. Quia remoto extrinsco calefaciente, aqua recuperat pristinam frigiditatem; sed tunc illa frigiditas non potest provenire à generante, quod supponamus defecisse, vel longe distare: ergo neque dum primo producitur forma aquæ provenit eius frigiditas à generante, sed ab ipsa forma aquæ 3. Quia generans non ideò dicitur à D. Thoma, dare consequētia ad formam, quia ipsum immediatè producat passiones proprias formæ; sed quia immediatè producit formam, quæ eas in se activè ponit: sic explicat D. Thomam, Cayetanus 1. part. quæst. 77. art. 1. Mitto alias impugnationes huius sententiæ.

6 Respondet 2. P. Hurtado hic disp. 3. sect. Actionem, qua aqua producit in se suam frigiditatem, non esse immanentem per se, & ex natura sua; quia frigiditas per ipsam producta non est per se immanens suo agenti, quippè talis frigiditas potest in aqua produci ab alio agente frigido extrinseco: actio autem per se immanens debet esse productiva termini per se immanentis. Sed hæc doctrina falsa est; contra ipsam arguo 1. Doctrina solutionis non potest applicari actioni, qua materia producit in se suam quantitatem: quia hæc nequit ab alia materia extranea in hac materia produci: ergo saltem actio qua materia producit in se suam quantitatem est per se immanens: atqui talis actio non est vitalis: ergo non omnis actio immanens per se est vitalis. Dices posse quidem quantitatē huius materiæ ab alia materia produci: quia non plus requiritur, vt materia producat in alia materia quantitatem, quam vt eam producat in se. Sed prçterquamquod est contra communem sensum Philosophorum tribuere materiæ activitatem ad producendum aliquid extra se, & in subiectō extraneo: contra est: ergo intellectus poterit producere speciem expressam in alio subiecto extraneo: necnon equus poterit producere in alio equo terminum nutritionis, quod vtrûque negas.

Probatur tamen: quia, per te, non plus requiritur vt agens in subiecto extraneo agat, quam vt agat in se: ergo speciem expressam, quam intellectus in se producit, nec non terminum nutritionis, quem equus producit in se, poterunt producere in subiecto extraneo. *Confirmatur*. Ideò, per te, vivens nequit extra se producere terminum nutritionis, quia nunquam eum extra se, & in subiecto extraneo producit: sed materia numquam produxit in alia materia quantitatem, nec aqua frigiditatem in passo extraneo, immediatè perse ipsam: ergo neque materia potest producere quantitatem in alia materia: nec aqua frigiditatem in passo extraneo, immediatè per se ipsam, quin prius in se, & per se suam frigiditatem producat.

7 Contra 2. Admisso quod frigitas posit produci ab alio agente extraneo, arguo sic. Eo ipso quod hæc actio aquæ, provt est ab hoc agente in specie, in hunc terminum in specie, per se maneat in suo agente, est immanens per se, licet terminus sit transiens, & produci posit ab agente extraneo: sed talis est hæc actio aquæ: ergo est immanens per se. Minor est certa; quia hæc actio essentialitèr est actio huius agentis in hunc terminum in se productum; quare essentialitèr habet manerè in suo agente, licèt frigiditas posit transeuntèr ab alio agente extraneo in hoc ipso agente produci. Maior autem probatur. Per te, eo ipso quod actio, qua producit Deus in intellectu humano speciem expressam, prout est à Deo talis actio in talem terminum, non debeat manere in Deo, est actio transiens, licèt terminus eius, natura sua sit immanens: ergo, eo ipso, quod actio, qua aqua producit in se suam frigiditatem, prout est ab ipsa in talem terminum debeat manere in ipsa substantia aquæ, est actio per se immanens, licèt terminus sit transiens. Constet ergo actiones omnes quibus essentiæ suas passiones in se producunt esse per se immanentes, & non vitales.

8 His positis: Variæ sunt difficultates modo examinandæ. *Prima*. est an vivere, ita essentialitèr dicat actionem viventis, vt vita in actu secundo non possit intelligi sine actione? Cumque vivens in actu primo dicat essentialitèr respectum ad vitam in actu secundò, si hæc essentialiter dicat actionem per ordinem ad actionem constituetur vivens in actu primo. Vndè ex enodatione huius quæstionis constabit an intelligere, & velle includant essentialitèr actionem intelligentis, & volentis? *Secunda*. An detur con-

cap-

ceptus vitæ communis omnibus viventibus creatis, tàm physicis, quàm intentionalibus, & qualis ille sit? *Tertia*. An aliquis conceptus vitæ sit communis, & vnivocus respectu Dei, & creaturæ? sed ad vitam creatam & increatam? In hac re plures sunt sententiæ, quas referre longum esset. Duæ sunt præcipuæ. Prima est P. Arriaga disp. 2. sect. 1. subsect. 5. quem plures RR. sequuntur: & ait, nullum esse assignabilem conceptum vitæ communem omnibus viventibus: sed alium esse pro viventibus vita physica, & alium pro viventibus uita intentionali. Vivens physicum est, *quod se auget per intussumptionem*: intentionale verò, *quod potest cognoscere, & appetere*. Addit hæc sententia, vivere, prout includit vitam intentionalem non includere essentialitèr actionem propriam viventis, sed posse hominem, & Angelum intentionalitèr vivere per speciem expressam ab extrinseco agente productam, & vnitam intellectui ipsorum. Secunda sententia docet, vivere, prout comprehendit omnia viventia creata physica, & intentionalia, essentialitèr dicere actionem, proindequè assignari posse conceptum vitæ communem, & univocum omnibus viventibus creatis: item posse assignari conceptum vitæ, qui univocus etiam sit respectu Dei, & creaturæ, modo infra explicando. Ita P. Molina 1. part. quæst. 13. disp. vnica. P. Zuñiga disp. 1. de Trinit. dubio 1. P. Oviedo controv. 6. P. Alphonsus disp. 5. sect. 3. & alij plures Antiqui. & RR. sed non omnes eodem modo conceptum viventis assignant, & explicant.

SECTIO II.

Duplex Conclusio nostræ sententiæ.

9 Dico 1. vivens substantiale in actu primo, prout comprehendit vivens physicum, & intentionale essentialitèr, & formalitèr respicit actionem ab intrinseca sua natura provenientem. Hæc conclusio est omnium antiquorum, & RR. plurium. Probatur 1. ex Div. Thoma loco supra allegato num. 4. ubi ait manifestè viventia propriè non esse ea, quæ virtutem non habens, ut se agant ad aliquem motum, vel operationem: ergo omnia viventia propriè talia intrinsecè respiciunt motum, & operationem. Deindè eadem quæst. 18. art. 3. *in corpore*, statuens omnia viventia movere se ipsa, loquensque specialitèr de viventibus intentionalibus spiritualibus, subiungit, *vnde perfectior modus vivendi est eorum, quæ habent intellectum: hæc enim perfectius movent se ip-*

sa. Sed, si homo, dum intelligit nihil agit, non se movet, sed ab extrinseco movetur: ergo ex D. Thoma, si non agit, neque vivit, neque intelligit. Rursus eadem quæst. art. 2. in corp. disputans, an omnis vita sit operatio? Respondet, vitam substantialem, seu in actu primo non esse operationem; sed substantiam ipsam viventis: cæterum vitam acceptam pro ipso vivere in actu secundò, à quo accipit substantia nomen *viventis* operationem esse, quæ sit motus: quod ex philosopho 9. Ethicorum confirmat: ergo apertè iudicat vivens propiè tale, essentialitèr constitui in esse viventis, per ordinem ad actionem. Tandem eadem quæst. art. 3. ad 1. ait: *Duplex est actio; vna, quæ transit in exteriorem materiam, vt calefacere, & secare: alia, quæ manet in agente, vt intelligere, sentire, & velle.* Quid clarius? Ex quibus omnibus sic conficio argumentum Omne vivens creatum, prout comprehendit physicum, & intentionale, essentialitèr constituitur (neque alitèr potest intelligi) per ordinem ad nutritionem, sensationem, intellectionem, & volitionem: sed per te, vita nutritiva essentialitèr dicit actionem, & iuxta D. Thomam, eam dicit essentialitèr vita sensitiva, intellectiva, & volitiva: ergo vivens vt sic, & prout compre hendit omnia viventia creata, essentialitèr; & formalitèr dicit actionem; & quidem immanentem provenientem ab intrinsecò viventis, de hac enim procedit quæstio.

10 Probatur 2. ex Aristotele libris de Cœlo vbi postquam definit animam per motum, qui sit operatio mobilis, ait. *Dei operatio immortalis est, hoc est, vita sempiterna, itaque motum sempiternum Deo in esse necesse est:* ac si profecto diceret, vitam in actu secundò esse motum: Deus semper habet vitam: ergo semper habet motum. Sentit ergo Aristot. omnem vitam in actu secundò esse actionem, propriè quidem dictam in nobis, in Deo autem laxè, quia Dei operatio ab eius esse non distinguitur. Tùm varijs in locis, in quibus sæpè dicit Philosophus *intelligere*, & *sentire*, in actu secundò esse *quoddam pati*: pati autem in actu secundò est passio: cumque aliundè passio, in sententia Arist. expressa, sit realitèr idem cum actione, vt constitit in physicis, sentire, & intelligere in actu secundò realitèr erit actio: ergo cum aliundè, vivens in actu primò, definiri nequeat nisi per ordinem ad vitam in actu secundò, definiri nequit, nisi per ordinem ad actionem, & motum provenientem ab intrinseco viventis. Probatur 3. ex D. Bernar-

nardo lib. de Libero arbitrio, sic dicente. *Vita est internus, & naturalis motus viventi tantum intrinsecus.* Ecce definit vitam per motum intrinsecum, & actionem viventis. 4. Probatur ex pluribus PP. Ecclesiæ, & præcipuè ex Concilio Tridentino sect. 6. vbi docentes PP. qua ratione homo se disponat ad iustificationem, & qua ratione mereatur vitam æternam, per amorem liberum, & honestum ortum ex gratia per Christum: semper fidem præviam ad iustificationem vocant *motus intellectus*, & amorem *motum liberi arbitrij*: ergo quia sentiunt intellectionem, & amorem realitèr esse motum, & actionem. Si enim sentirent, intellectum posse intentionalitèr vivere, sine actione, & voluntatem, sine actione, amare, cur semper vitam intellectivam, & volitivam explicarent per motum?

11 *Quintò*, probatur conclusio. Nam cum absque dubio sit de mente omnium Philosophorum, & Theologorum, tàm ex extraneis, quam ex nostris, si paucos RR. excipias, si argumenta, quæ contra ipsam fiant, expeditam solutionem habeant, amplexanda est: à quovis veritatis amatore: sed res ita se habent, vt solutione argumentorum ostendetur: ergo. In hac conclusione nobiscum consentiunt P. Molina, P. Suarez. t. 2. Metaph. d. 30. se. 11. P. Vazq. P. Volent. Fonseca, Toletus, Rip. Oviedo, Alphonsus Conimbricenses, & plures alij, à quibus, sine evidenti demonstratione, partis oppositæ fas mihi non est discedere. Vndè celebris fuit in Scholis, ea viventis creati definitio, *quod se ipsum per se ipsum, movet a se ipso.* Et hęc sufficiant pro conclusione mihi certissima.

12 Dico 2. Datur conceptus communis, & vnivocus omni viventi creato: & est hic: vivens est, *quod, vltra statum sibi connaturalem, agit immanentèr in se, & per se aliquem terminum.* Probatur: hic conceptus convenit omni viventi creato, & non convenit vlli non viventi. Deindè, non explicat formalitèr differentias speciales viventium, seu ipsorum multitudinem: ergo, & communis, & vnivocus est. Probatur antecedens quoad primam partem: viventia creata sunt animalia, plantæ, homo, & Angelus: sed quodlibet horum constitutum in sua naturali dispositione, & statu connaturali, ab intrinseca sua forma, producit aliquem terminum, aut materialem, aut spiritualem: & quidem per actionem immanentem per se: Plantæ, scilicèt, augmentum substantiale; equus augmentum, & perceptionem materialem obiectorum, homo augmentationem, & per-

perceptionem materialem, & spiritualem obiectorum Angelus intellectionem, & volitionem: & quidem hæc omnia producunt dum constituta sunt in statu sibi connaturali, ab intrinseca earum forma, & natura: ergo prædictus conceptus convenit omni viventi creato. Vlterius non convenit alicui non viuenti: quia non convenit essentijs non viventibus, quatenùs per actionem immanentem producunt suas proprias passiones: quia actio productiva passionum pertinet ad statum connaturalem earum essentiarum, quæ per ipsas passiones constituuntur in statu sibi connaturali. Non convenit gravibus, & levibus respectu suorum motuum, quia motus ab intrinseco ipsorum proveniens, pertinet etiam ad statum connaturalem ipsorum, vel non moventur actione immanente per se; sed transeunte. Non convenit Cœlis, vt acquirentibus præsentiam extra centrum, quia hic motus non provenit ab intrinseco ipsorum; sed ab extrinseco. Tandem nulli alij non viventi convenit ratio viventis explicata, vt constabit solutione argumentorum: ergo ita convenit omni viventi, vt nulli non viventi conveniat.

13 Probatur 2. pars antecedentis. Nam planta differt ab equo; quia ipsa vivit per sui augmentationem tantùm, & equus, vltra augmentationem, vivit per perceptionem materialem obiectorum: equus differt ab homine; quia hic immanentèr operatur, per perceptionem materialem, & spiritualem obiectorum, & equus per perceptionem materialem tantum, & homo, per perceptionem materialem, & spiritualem differt ab Angelo: quia hic immanentèr operatur per perceptionem spiritualem tantùm: sed hæ differentiæ viventium non explicantur per conceptum assignatum, vt constat: ergo hic conceptus non explicat multiplicitatem formalem, nec differentias viventium.

14 Sed pro expeditiore solutione argumentorum, explicanda est verbatim definitio. *Quod vltra statum sibi connaturalem.* Id pertinet ad statum connaturalem viventium, quod ita cum eo coniungitur, ex propria exigentia, in tanta intensione, aut perfectione; vt, si viventi negetur fiat violentia: sic debentur essentiæ suæ passiones. Denotatur: ergo per primam particulam, vivens non vivere per actionem qua producit suas passiones, & proprietates: hoc autem esse verum constat 2. ex D. Thoma, qui *quæstione citata art.* 1. ad 1. dicit gravia, & levia non moveri, motu vitali; quia solum concedit ipsis moveri secundum,

dum *quod sint extra dispositionem naturæ suæ*, vt, videlicet, dispositionem acquirant, per præsentiam centricam, qua adquisita quiescerent: *Sed plantæ* (verba sunt D. Thomæ,) *& aliæ res viventes moventur motu vitali, secundum quod sint in sua dispositione naturali; non autem in accedendo, vel recedendo ab ea.* Ecce, iuxta D. Thomam, non est vitalis motus, quo vivens accedit adstatum naturalem, neque, quo ab eo recedit; quia ab eo non recedit ab intrinseco, sed ab extrinseco, scilicet, per actionem agentis contrarijs: ille autem solus motus est vitalis, quo iam constitutum vivens in suo esse connaturali, vlterius movetur, & aliquid agit. Constat 2. Quia, si terminus actionis vitalis constitueret statum connaturalem viventis dùm primam operationem elicuit vivens non vltra moveretur nisi violentèr, quod esse falsum evidens est. Probatur tamen illatio. Quia dum res est in suo statu connaturali, in eo sistit, neque ab eo movetur, seclusa violentia, vt videre est in lapide dùm acquirit præsentiam centricam, & in aqua dum acquirit frigiditatem. Constat 3. & præcipuè: quia actio, quæ vivens constituit in statu connaturali vnivocè convenit cum actione, qua ignis, & aqua producunt suas passiones, & proprietates: sed actio ea ignis, & aquæ non est vitalis, ex communi sententia: ergo neque actio qua vivens constituitur in statu connaturali.

15 Additur *agit immanentèr in se*: Quia vita non est sine actione, vt constat ex prima conclusione: & quidem, sine actione inmanente, non datur vita, vt etiam constat ex numero 4. *In se*, quia si actio producat suum terminum in alio erit transiens, iuxta num. 2. *A se, & per se suum terminum*, quia ita illum ab intrinseco, sua virtute producit, vt excludat consortium alterius suppositi creati, equê primò concurrentis cum ipso, ad talem terminum Ponitur ly *per se*, vt explicetur, ita excludere hoc consortium, vt eius exclusio detur ex exigentia intrinseca, & naturali virtutis operantis. Ego enim dum intelligo, à me ago intellectionem, qua excludo suppositum equi equè primo ac meam animam, intellectionem illam agere; talisque exclusio provenit ab exigentia propria meæ virtutis, quæ à se habet se perficere, & se agere in operationem. Dixi *alterius suppositi creati*: quia neque excludit concursum causæ primæ, neque comprincipij accidentalis dati viventi, scilicèt potentiæ super additæ, si potentiæ ab anima distinguantur, neque, in creaturis rationalibus, habitus supernaturales ad actus supernatura-les,

les. Quod explicuimus, & non aliud voluerunt antiqui illa sua definitione, *quod se ipsum, per se ipsum movet à se ipso.* Hinc, tota definito viventis creati sic explicatur: *Quod constitutum in suo statu connaturali, ponit in se ab intrinseca sua virtute, aliquam terminum, excludendo, ex exigentia suæ naturæ, aliud suppositum creatum æque primò, ac ipsum, ad productionem talis termini concurrere.*

SECT. III.

Solvuntur obiectiones.

16 OBiectiones, quæ contra primam conclusioně fieri possunt contendentes, intellectiones, & volitiones non stare formalitèr, & essentialitèr in actione ideoque vivens intentionale posse intentionalitèr vivere, absque propria actione, solvendæ sunt infra lib. 2. disp. 2. dum agamus de conceptu, & constitutivo physico intellectionis,& volitiotis. Quæ, contra 2. conclusionem fieri solent, modo sunt explicandæ, atque solvendæ:sed quia plures, & molestæ sunt, eas in duas sectiones dividimus: in hac communiores, & in sequenti præcipuas, & magis difficiles.

17 Objicies 1. Perfectius est agens potens producere in se, & in alio effectum, quàm solùm in se: sed vivens, iuxta nos, determinatum est, ad producendum vitalitèr solum in se; non vivens verò potest in alio, & in se producere: Ergo non vivens perfectiùs est vivente. Nego maiorem absolutè loquendo; quia agens excludere aliud æquè primò concurrere cum ipso, & aliud æquè esse subiectum suæ actionis, & eo modo quo illud excludit vivens, nempè, ex determinatione ad agendum in se, perfectio est maxima agenti; quia provenit à maiori simplicitate in operando, & à maiori virtute. Item perfectio est, qua superat non viventia, quæ non sunt determinata ad operandum sic: nam ignis permittit non se solo producere terminum; sed se, & igne alio sibi applicato, æque primo cum ipso concurrente. Iam igitur determinationem eam ad agendum in se perfectiorem esse, constat, quia perfectiùs est in Deo Filium tantùm producere in sua essentia; quam in sua, & alia; quia ea determinatio oritur ex summa simplicitate principij. Dices, saltim erit perfectior causa potens etiam in alio producere, quia continet plures effectus, scilicèt vniones, & actiones quibus suum terminum possit etiam in alio producere. Respondeo, negando ex hoc capite esse perfectiorem, quia tota hæc continentia est respectu

pectu actionis, & termini transeuntis, & determinatio ad operandum in se, oritur ex perfectione operandi immanentèr, & plures actiones transeuntes non adæquant perfectionem vnius actionis immanentis.

18 Objic. 2. Vita physica, & intentionalis, adhuc in creatis, non conveniunt vnivocè in ratione motus: Ergo in nulla ratione conveniunt. Antecedens probatur. Motus intentionalis potest dari per primam repræsentationem obiecti, quæ potest dari absque vlla actione viventis; ex eo solum, quod species expressa producatur, & vniatur intellectui. Nego antecedens, & probationem huius; quia ex disputat. citata, constabit intellectionem formalem obiecti, increatis essentialitèr constitui actione vera viventis. Objic. 3. Appetitus, quibus bruta appetunt cibum sunt vitales: sed illi appetitus, seu appetitiones tendunt ad statum connaturalem viventis: ergo actio ad statum connaturalem viventis tendens est vitalis. Distinguo minorem: tendunt ad statum connaturalem viventis, producendo terminum quo formalitèr constituitur in statu connaturali, nego: quo conservatur vivens in statu connaturali, aliundè habito, concedo minorem; & distinguo consequens eodem modo. Itaque eam solum actionem immanentem excludimus à ratione vitalis, cuius terminus formalitèr constituit vivens in statu connaturali, scilicèt, per productionem passionum, & proprietatum; non autem eam, quæ cum procedat à viventi iam constituto in statu connaturali, conducit, ut in eo conservetur, & huius rationis est ille appetitus brutorũ.

19 Objic. 4. Homo vivit per nutritionem: sed terminus acquisitus per nutritionem, & ipsa nutritio debetur homini in primo instanti generationis, quia homini, ad exercendas operationes vitales, debetur maior quantitas eà, qua generatur: ergo actio debita in primo instanti potest esse vitalis. Respondeo homini, in primo instanti, deberi nutritionem, non pro eo instanti; sed pro sequenti, in quo iã supponitur cõstitutus in sua naturali dispositione. Sed contra, dices 1. Ergo quãdo lapis gravitat extra centrum, v. g. in aëre, vivit per motum ad centrũ. Prob. conf. Motus ad cẽtrũ, licèt debeatur lapidi in primo instanti; non tamen debetur pro primo; sed prosequenti; sed ideò motus nutritionis est vitalis: ergo motus lapidis ad centrũ etiam est vitalis. Maior prob. Instanti, in quo est in aëre non potest petere pro eodem presentiã cẽtricam, aliàs peteret habere duas presentias oppositas: Ergo petit presentiã centricã in eo instanti, pro sequenti. Respondeo:

&

& est considerare lapidem generatum extra centrum secundum se sumptum, & prout coniunctum cum præsentia aërea. Lapis, vt coniunctus cum ea præsentia, non petit pro eo instanti aliam; quia id repugnat: at substantia lapidis secundum se sumpta, in eodem instanti, & pro eodem instanti, petit præsentiam centricam, loco illius præsentiæ aëreæ, quia cum aërea violenta est. Vndè, in eo instanti præsentia aërea non provenit ab intrinseco substantiæ lapidis; sed à circunstantijs extrinsecis ipsi inferentibus violentiam.

20 Dices 2. Homo in primo instanti generationis, etiam est violentus in ea parvitate materiæ, quia ipsi nō est debita materia in ea parvitate: ergo etiam exigit in primo instanti, & pro eodem instanti, nutritionem. Respondeo; hominem non esse violentum in ea parvitate materiæ: quia incrementum non est ita debitum ipsi, vt non patiatur ab intrinseco, eo privari pro primo instanti: lapis verò pro nullo instanti potest ab intrinseco privari sua præsentia; sicut ab intrinseco, aqua non permittit, quod pro aliquo instanti frigididitate privetur. Dices 3. Ideo frigiditas pertinet ad statum connaturalem aquæ, pro primo instanti, quia sine illa nequit suas operationes exercere. Sed vivens nequit suas operationes exercere absque incremento substantiali: Ergo nutritio pertinet ad statum conaturalem viventis. Distinguo minorem: non potest, sine incremento, excedere operationes, quæ ipsi pro primò instanti generationis debetur, nego: quæ in primo instanti ipsi debentur præcise pro alijs instantibus, concedo minorem, & nego consequentiam. Quia vivens ab intrinseco patitur, pro aliquo tempore operationibus aliquibus privari. Alias enim diceremus hominem esse violentum siue dum ad statum pervenit, post aliquos annos, in quo omnes operationes hominis exercere queat, quod quis credat? Cæterum non est cur operationes aquæ, scilicèt in frigiditate passum applicatum, non sint ipsi debitæ pro primo instanti; cum certum videatur, aquam producturam frigiditatem in passo, quod ei in primo instanti applicaretur: sicut sol in primò instanti sui esse, illuminat aërem sibi proximum.

21 Aliter responderi potest primæ instantiæ supra factæ num. 18. dicendo motum, quo lapis pergit in centrum, & præsentiam centricam acquirit, non esse vitalem, quia neque inadæquatè oritur à substantia lapidis; sed adæquatè à gravitate, quæ accidens ipsi est: & actio vitalis saltem inadæ-

quæ

quatè, & partialitèr, debet procedere à substantia viventis. Sed dices: qnando lapis projicitur ad centrum producit præsentias intermedias, quæ non pertinent ad statum connaturalem ipsius: sed ipsæ sunt violentæ: ergo per earum productionem vivit. Respondeo 1. iuxta proximè dicta, eas præsentias non provenire ab intrinseca substantia lapidis; sed adæquarè procedere à gravitate, seu impulsu, quo projiciuntur. Vndè disces motum fluviorum, motum aquæ pluviæ, argenti vivi, pilæ iactæ; item motum, quo pila iacta resilit ab obsistente, non esse vitales: quia non proveniunt ab intrinseca entitate earũ rerum; sed vel ab obsistente, vel ab impulsu, vel à gravitate, vel ab aëre movente nubes, vel ab alijs agentibus extrinsecis, quæ ea corpora gravia contra nativam vim, iam sic, iam alio modo movent. Respondeo 2. iuxta Div. Thom. supra allegatum, eos motus non esse vitales, quia tendunt ad acquisitionem præsentiæ centricæ, qua lapis constituitur formalitèr in statu connaturali. Respondeo 3. Motus gravium, & levium non esse vitales; quia ea corpora non sunt determinata ad producendas in se eas præsentias intermedias; sed æque benè eas producerent in quovis corpore proximo. Vndè actio earum præsentiarum productiva, quia non est per se immanens, non est vitalis.

22 Objicies 5. Actio, qua ignis introducit novam partem formæ suæ, in nova parte materiæ, quam iam possidet, est actio, qua in se agit aliquem terminum non spectantem ad statum connaturalem sui: ergo ea actio est vitalis. Vrgetur. Actio productiva vnionis ignis præcedentis cum nova parte ignis acquisita, per novam aggenerationem, non potest, adhuc de potentia absoluta, ab eo separari, quia est modus illius; neque potest eam vnionem in subiecto extraneo ponere; quia ea vnio essentialitèr est vnio formæ acquisitæ, & formæ præcedentis: ergo hæc actio immanens est, & ex hoc capite vitalis. Deindè terminus acquisitus non est debitus statui connaturali ignis præcedentis; quia non magis eget ignis præcedens conversione pabuli in se, quam homo eget conversione alimenti in suam substantiam: ergo illa actio absolutè est vitalis. Omissa solutione P. Alphonsi petita ex capite immanentię; quia alia via occurrendum est alteri instantiæ, vt eadem solutione, & argumento, & instantiæ satisfaciam. Respondeo, neque actionem producentem in se novam partem formæ, neque producentem vnionem ad novam partem esse vitalem, quia ignis non exclu-

cludit ab intrinseco, quod aliud suppositum creatum æquè primo, ac ipsum, concurrat ad producendam eam partem formæ, & vnionem ad ipsam, nam si duo ignes ita applicentur, vt vnus vniatur cum altero, per eandem actionem indivisibilem poterunt simul producere eam partem formæ, & illius vnionem; vivens verò, iuxta dicta, ab intrinseca exigentia, tale consortium alterius suppositi creati æquè primo concurrentis excludit.

23 Instabis. Actio, qua hic ignis producit in se eam vnionem, ita est modus huius agentis, vt essentialitèr sit actio illius tantùm: ergo hic ignis ab intrinseco excludit aliud suppositum creatum æquè primo concurrere ad eam ipsam actionem. Consequentia patet: quia hæc actio eo ipso, quod sit modus huius agentis solum petit ex suis prædicatis intrinsecis ab eo tantùm provenire: ergo agens ab intrinseco habet, actionem hanc ab eo vnicè provenire: ergo, solutione data, non probatur, eam actionem non esse vitalem. Respondeo non esse vitalem hanc actionem; quia licèt ignis excludat ab intrinseco consortium alterius, æquè primo concurrentis ad hanc actionem numero quæ ab eo solum procedit, non excludit ab intrinseco consortium alterius adhanc actionem in specie, sed ad speciem huius actionis, vt necessarium erat ad vitalitatem, ex dictis. Illud verò consortium non excludere probatur. Quia hic ignis potest ab intrinseco coniungi cum altero igne cum quo per aliam actionem solo numero distinctam à prima, producat eandem vnionem; quia licèt vnio se ipsa vniatur termino acquisito, & acquirenti, tamen non procedit, se ipsa ab igne acquirente; sed media actione superaddita, ea autem actio ab vtroque igne procedens, esset eadem in specie cum actione, quæ à solo igne procederet; quia agens, & terminus in vtroque eventu sunt eiusdem speciei. Si verò hæc actio ex prædicato specifico non est vitalis, absolutè vitalis non est, quia vitalitas est prædicatum essentiale actui vitali, & non est prædicatum essentiale prædicatum non specificum.

24 Vbi observa 1. Vnionem productam per actionem ab vtroque igne procedentem fore eandem numero vnionem; ac esset si produceretur per actionem procedentem ab vno tantùm. Et ratio est; quia ea vnio non esset modus secundi agentis adiuvantis primum; sed solum esset modus primi agentis solius: sicut vnio ponderis constituentis amorem supernaturalem solum

lum vnitur voluntati, licèt indivisibilitèr procedat simul à voluntate, & habitu supernaturali. Et ratio à priori pro vtraque vnione est: quia vnio amoris, & partis acquisitæ, solum vnitur subiecto, quod altera constituit *amans* amore supernaturali, & quod altera constituit *maius*, & substantialitèr augmentatum: sed prima vnio solum constituit *amantem* voluntatem, & non habitum, & secunda solum constituit *maiorem*, & substantialitèr augmentatum primum ignem, nam ignis aggregatus adiuvans, non se auget per novam partem acquisitam: ergo vnio amoris se ipsa solum vnitur voluntati, & vnio partis ignis acquisiti solum vnitur se ipsa igni augmentato. Observa 2. Vnionem partis denuo acquisitæ non esse terminum per se immanentem: quia eo ipso, quod per actionem superadditam producatur, potest ab extrinseco provenire; sicut potest ab extrinseco provenire ipsa pars denuo acquisita, quæ etiam ex hoc capite non est immanens. Observa 3. pro dictis supra num. 1. Hinc etiam excludi à ratione vitalis actionem qua corpus grave producit suam præsentiam in centro: quia ab intrinseco non excludit lapis consortium alterius lapidis, seu corporis ipsi advenientis, æquè primò concurrentis ad eam actionem in specie.

25 Objic. 6. Nutritio est actio vitalis; sed nutritio plantæ potest provenire ab alio supposito creato, æquè primò cum plancta concurrente: ergo vel exclusio huius concursus non requiritur ad vitalitatem actionis, vel nutritio plantæ non est vitalis. Minor probatur. Si duæ plantæ eiusdem speciei penetrarentur, vna posset alteram augere per nutritionem: ergo nutritio plantæ potest provenire ab alio supposito creato æquè primo concurrente. Nego minorem. Ad probationem nego antecedens; quia licèt duæ plantæ penetrarentur nulla posset habere sibi applicatum sufficientèr ad argumentum per intussumptionem, alimentum contentum intra venas alterius; proindequè non posset illud nec in suam, nec in alteriùs substantiam convertere, vera actione conversiva alimenti in substantiam viventis. Confirmatur solutio ex Angelis penetratis quorum nullus potest cum altero ad actionem intellectivam concurrere, vt est communis sententia. Quod aliundè provenire nequit, quam à vitalitate intrinseca actionis intellectivę, & ratio est; quia vt agens creatum cōcurrat cūm alio ad actionē vitalem, non sufficit esse illi intimè præ-

præsens, sed requiritur esse vnitum physice, & ea vnio impossibilis est tam Angelis, quam duabus plantis, & in quibus nulla datur proportio actus, & potentiæ.

26 Objic. 7. Quando equus augetur per nutritionem non solum acquirit novam partem materiæ, & formæ; sed novas passiones, & proprietates pertinentes ad statum connaturalem partis acquisitæ: ergo vel ea actio, qua nutritur equus non est vitalis, vel actio, qua constituitur vivens in statu connaturali est vitalis. Respondeo. Hic duplicem esse actionem; aliam, qua equus acquirit sibi novam partem materiæ, & formæ, & hæc vitalis est: neque per eam acquirit equus statum connaturalem sibi; quia in hoc statu connaturali erat prius absque hac parte materiæ, quam acquirit: aliam actionem esse, qua producuntur propriæ passiones pertinentes ad statum connaturalem partis acquisitæ, & hæc actio non est vitalis, neque procedens ab equo præexistenti; sed à nova parte formæ productæ, quia ea pars acquirit sibi suas perfectiones, per quas in suo statu connaturali constituitur. Vndè, ad maiorem argumenti respondeo, equum, qui nutritur non producere proximè, & formalitèr eas proprietates partis acquisitæ; sed solum remotè, & determinativè, quatenus per actionem vitalem producit novam partem formæ, quæ in primò sui esse suas passiones immanentèr producit.

27 Hinc scies 1. In nutritione hominis esse vitalem eam actionem, qua producitur vnio animæ ad materiam alimenti; seu quod idem est, qua anima sibi eam materiam vnit, & actionem, qua anima producit vnionem vnionum sui cum materia præexistenti, & cum materia alimenti, esse etiam vitalem; quia vtraque actio est per se immanens, & procedit ab homine constituto in suo statu connaturali. Scies 2. In nutritione plantarum, & brutorum, vitales esse actiones, quibus, & producunt novam partem formæ in materia alimenti, & vniunt sibi eam novam partem, sivè qua, ita producunt eam vnionem, vt in ipsis maneat vnio vel vnita, vel recepta. Scies 3. Omnes actiones, quibus viventia nihil sibi acquirunt, aut receptivè, aut informativè, vitales non esse, quia per eas actiones nihil ponit vivens in se, hoc est non ponit immanentèr aliquem terminum. Scies 4. Actiones aliquas viventis proprias, quibus vivens nihil acquirit sibi, solum esse vitales arguitivè, non verò formalitèr.

28 Objic. 8. Angelus Michaël, & Angelus Gabriel sunt supposita distincta:

Sed

sed Michael non excludit Gabrielem concurrere æquè primò cum ipso ad aliquam operationem vitalem: ergo contra superius dicta. Probatur minor: cognitio qua Michael cognoscit Gabrielem; est vitalis; sed ea cognitio ab intrinseco petit à Gabriele, vt obiecto, procedere, & à Michaele, vt principio; ergo Michael non excludit Gabrielem æquè primò ad eam cognitionem concurrere cum ipso. Nego minorem. Ad probationem concessis præmissis, nego consequentiam; quia Michael concurrit, vt principium physicum efficiens eius actionis, & Gabriel, vt obiectum. Vndè, cum concursus obiectivus, non æquè concursus, sit, ac concursus effectivus, Gabriel concurrens ad eam intellectionem cum Michaele, non concurrit æquè primo, ac ipse.

29 Sed instabis. Iuxta nostram sententiam tradendam disp. 6. Sect. 2. Species obiecti, & obiectum ipsum, cuius loco substituitur species, concurrunt physicè, & efficienter in cognitionem: ergo non tenet solutio. Respondeo concurrere quidem physicè efficientèr Gabrielem, sicut quodvis aliud obiectum, ad sui cognitionem; sed adhuc non concurrit æque primò ac Michael: nam hic concurrit modo vitali, seu tanquam principium vivens, ita vt eius influxus in cognitionem, qua cognoscit Gabrielem à nulla alia causa possit supleri: Gabriel autem non concurrit modò vitali, nec vt principium vivens, in illam cognitionem. Siquidem ad hoc, vt cognoscatur à Michaele, de materiali, & per accidens se habet, quod Gabriel sit vivens: nam æquè benè cognoscit Michael, Gabrielem viventem, & lapidem non viventem, & æquè concurrunt physicè ad sui cognitionem Gabriel vivens, & lapis non vivens. Nec ita necessarius est ille influxus physicus Gabrielis, vt supleri non posit à Deo, se solo producente, & immitente intellectui Michaelis speciem impressam Gabrielis, qua specie adiutus Michael æquè cognosceret Gabrielem, ac si hoc concurreret ad cognitionem, vel immediatè se ipso, vel media alia specie à se producta.

SECTIO IV.

Proponitur, & soluitur præcipua obiectio.

30 OBjic. 9. Cognitio, qua Angelus se cognoscit est vitalis: sed ea cognitione constituitur Angelus in suo statu connaturali: ergo actio, qua vivens se constituit in suo statu connaturali est vitalis. Maior est certa; Quis enim

 dicet

dicet Angelum non vivere per sui cognitionem? Minor probatur. Ea constituunt Angelum in suo statu connaturali, quæ ipsi in primo instanti, & pro primo instanti debentur: sed Angelo in primo instanti debetur pro eo instanti cognitio sui, vt communitèr fatentur omnes:ergo ea cognitione constituitur Angelus in suo statu connaturali. Variæ sunt excogitatæ solutiones, quas examinare statui ante propriam: vt clarior doctrina disputationis evadat.

Expendit aliorum solutiones.
§. I.

31 Respondent aliqui 1. Eam cognitionem non fore vitalem; quia consideratur respectu Angeli, vt propria passio: quare ab eo non alitèr procedit, quam alia quævis passio à sua essentia: constat autem, ex supra dictis actionem productivam passionum non esse vitalem essentijs. Sed contra 1. Hæc solutio petit principium nàm argumentum contendit, actionem pertinentem ad statū connaturalem esse vitalem, & talem esse cognitionem Angeli. Solutio autem non alia ratione negat esse vitalem, nisi quia pertinet ad statum connaturalem Angeli, Contra 2. Hæc cognitio per te, esset vitalis si non constitueret Angelum in suo statu cōnaturali sed; Angelus eo modo tendit in obiectum per hanc cognitionem, ac si ipsum non constitueret in statu connaturali: ergo cum in modo repræsentandi obiectum vita intentionalis consistat, dum non addatur aliud, non redditur sufficiens ratio, cur ea actio non sit vitalis.

32 Respondent alij 2. Angelum per eam cognitionem non vivere, vita physica; sed intentionali, sita in sola perceptione obiecti. Sed contra 1. Hoc est cedere difficultati:nam solutio intendit asignare conceptū vitæ omnibus viventibus,& omnibus operibus vitalibus communem, & iam vos dicitis, omnibus cognitionibus Angeli non convenire idem genus vitæ: sed alias esse intentionalitèr vitales, & alias vitales esse physicè. Contra 2. Si solutio vera est, Angelus diverso genere vitæ se cognoscit, ac cognoscit alia obiecta: nam alia percipiendo, vivit physicè, & intentionalitèr, & se percipiendo intentionalitèr tantùm. Quis autem credat, Angelum alio vitæ genere per sui perceptionem, & alio per percetionem aliorum obiectorum vivere? Contra 3. Quia, vel ea cognitio dicitur à te vita intentionalis; quia stat in sola specie expressa, vel quia tendat in obiectum modo cognoscitivo? Si 1. & à te negatur absolutè, & absolutè est falsum; quia constat ex prima conclusione omnem actum vitalem creatum

tum essentialiter includere actionem. Si 2. nihil ad rem: nam etiam cognitione aliorum obiectorum tendit ad ea, modo cognoscitivo, & tamen, iuxta te, Angelus per eam cognitionem vivit vita physica: ergo etiam vivit, vita physica, per cognitionem sui, quo redit argumentum supra factum, cum tota sua vi.

33 Respondet 3. P. Ripalda: hanc cognitionem esse vitalem, quia non pertinet ad statum connaturalem Angeli, & ideò non pertinet; quia, id solum pertinet ad statum connaturalem rei alicuius, quod illam in actu primo complet ad operandum: nec per se supponit subsistentiam, quæ est vltimum cõplementum connaturale: at cognitio Angeli, & supponit Angelum subsistentem, & naturaliter completum, nec illud complet in ordine ad alias operationes: ergo non pertinet ad statum connaturalem, neque ex hoc capite deficit à ratione actus vitalis. Sed contra 1. Quia iuxta hanc solutionem, aqua vivet per acquisitionem præsentiæ centricæ: ergo falsa est. Antecedens probatur. Præsentia centrica non pertinet ad statum connaturalem aquæ, quam subsistentem supponit, nec complet aquam ad alias operationes: ergo vivet aqua per eius productionem. Antecedens probatur, & in primis eam præsentiam supponere aquam cum sua substantia; quia si cognitio Angeli in primo instanti supponit substantiam; cur eam non supponit præsentia centrica? Præcipuè cum aqua in aere detenta exerceat suas operationes, scilicèt infrigidare, & alia, & nulla substantia operetur, quousque substantialiter compleatur. Deindè, præsentia centrica non complet aquam in virtute operativa, nisi ad summum, vt conditio, si ad aliquas operationes eam aliquomodo complet (quod etiam est falsum) sed cognitio Angeli eum complet, saltim vt conditio ad aliquas operationes, scilicèt, ad amorem sui, & Dei, ad cuius cognitionem ex cognitione sui determinatur: ergo vel præsentia centrica non pertinet ad statum connaturalem aquæ, vel pertinet cognitio Angeli ad eius statum connaturalem.

34 Respondet P. Alphonsus. In Angelo & esse rationem *obiecti*, & rationem *essentiæ*: Angelus habet rationem *essentiæ*, quatenus essentia sua est principium radicale cognoscitivum, & secundum hanc rationem non debetur Angelo in primo instanti, neque cognitio sui, neque cognitio aliorum obiectorum. Angelus quatenùs obiectum est virtus concurrendi ad cognitionem sui; vt repræsentati

per illam, & sic iam debetur sui cognitio in primo instanti Angelo: ergo quatenus *essentia* est in primo instanti non debetur cognitio sui. Vnde ea cognitio non pertinet ad statum connaturalem Angeli; quia ad statum connaturalem Angeli pertinet, quod debetur eius essentiæ, vt tali, vt videre est apartitate aliarum passionum, quæ essentijs, vt talibus debentur.

35 Ingeniosa quidem solutio: sed contra 1. realitèr, & ex parte obiecti principium cognoscitivum, in quo dicis stare *essentiam* Angeli, & virtus concurrendi, vt obiectum, ad sui cognitionem sunt ipsissima, & vnica formalitas: ergo si virtuti concurrendi debetur ea cognitio, debetur etiã principio radicali cognoscitivo, ac per consequens, essentiæ. Dices: deberi *essentiæ*, vt coniunctæ cum ratione virtutis concurrendi, seu quod idem est, vt coniunctæ cum ratione *obiecti*. Sed contra: essentia Angeli se ipsa per simplicem identitatem coniungitur realitèr, & verè cum ratione *obiecti*: ergo si essentiæ, vt coniunctæ cum ratione obiecti, debetur cognitio essentiæ, vi ipsius præcisse debetur ipsi cognitio. Explicatur. Ratio obiecti verè, & realitèr est ratio essentiæ: ergo quod debetur essentiæ ratione obiecti, debetur realitèr ratione sui, essentiæ ipsi: nam debetur realitèr, & verè ratione prædicati, quod nihil aliud est, quam ipsa essentia. Vndè ly *essentia, vt coniunctæ cum ratione obiecti debetur*, secus alitèr, si reduplicet coniunctionem obiectivam vtriusque prædicati, non reduplicat duo prædicata; sed vnam simplicissimam entitatem, quæ & *essentia* vocatur, & *obiectum*: si verò reduplicet hos conceptus mentales nostros. *Essentia*; *obiectum*, *essentia coniuncta cum ratione obiecti*; fateor esse diversos. Sed quid indè, vt probetur cognitionem illam realitèr, & verè esse, vel non esse debitam, iure connaturalitatis, essentiæ Angeli in primo instanti?

36 Contra 2. *Essentia*. Angeli per te, vt vitalis essentia est, est principium radicale cognoscitivum sui; sed principio radicali cognoscitivo sui, absolutè debetur ea cognitio in primo instanti: ergo debetur essentiæ, vt essentia est. Probatur minor. Principio radicali cognoscitivo sui (loquor de Angelo) vt est tale principium, debetur cognitio in primò instanti, saltim sub conditione, quod obiectum existat modo proportionato potentiæ, vt videtur certum apud omnes: ergo omninò absolutè debetur illa sui cognitio in primò

ins-

instanti, principio radicali cognoscitivo sui. Consequentia probatur. Principio cognoscitivo sui debetur sui cognitio sub conditione ab eo, essentialitèr inseparabili, & ab eo essentialitèr illata; sed quod alicui debetur sub conditione ab eo essentialitèr inseparabili, & ab eo illata, absolutè debetur: ergo principio cognoscitivo sui, absolutè debetur cognitio sui. Maior probatur: principio cognoscitivo sui debetur cognitio sui, sub conditione, quod existat modo proportionato, vt moveat ad sui cognitionem: sed ea cognitio est essentialitèr inseparabilis ab Angelo in primò instanti, cum nulla maior possit excogitari proportio inter principium cognoscitivum, & obiectum, quam identitas vtriusque: ergo principio sui cognoscitivo debetur cognitio sub conditione ab eo essentialitèr inseparabili, & ab eo essentialitèr illata. Iam absolutè deberi alicui, id quod ipsi debetur sub conditione ab eo essentialitèr inseparabili, certo certius est. Quod enim mihi debetur sub conditione, quod sim homo, absolutè mihi debetur.

37 Confirmatur: corpori gravi in primò instanti generationis absolutè debetur præsentia centrica, vt fateris: ergo essentiæ Angeli, vt tali debetur cognitio sui. Probatur consequentia, ideò primum est verum: quia lapidi debetur præsentia centrica, vt coniuncto cum sua gravitate, & lapis semel existens ab intrinseco inseparabilis ab ea gravitate est: sed per tè, essentiæ cum ratione obiecti debetur cognitio sui in primo instanti, & ratio obiecti in Angelo inseparabilis est (inseparabilitate identitatis) Ab Angelo semel existente: ergo essentiæ Angeli, vt tali, debetur cognitio sui absolutè in primò instanti: ergo vel per illam non vivit; vel actio pertinens ad statum connaturalem viventis, potest esse vitalis.

38 Respondent alij. 5. Eam cognitionem esse vitalem, quia non pertinet ad statum connaturalem Angeli; & ideò non pertinere; quia solum pertinet ad statum connaturalem alicuius rei; quod in tali specie determinata ipsi debetur: & Angelo in primo instanti, non debetur cognitio determinatæ speciei, quam defacto habuit; sed sub disiunctione illa, aut alia alterius speciei; siquidem Angelus per cognitiones specie distinctas potest se cognoscere. Sed contra, si aliqua est natura substantialis, cui deberentur disiunctivè hæ proprietates, aut aliæ specie distinctæ, non viveret potius per productionem aliarum, quam aliarum: ergo, si Angelo pro primo instanti debetur hæc cognitio, aut alia distinctæ speciei, non vivet per productionem

huius consequentia est certa à paritate, dummodo non aliundè, quàm ex debito disiunctivò componatur, cognitionem Angeli esse vitalem. Antecedens probatur: quia cum per quaslibet operationes ea natura, ex intrinseca exigentia æquè compleatur, nullæ poterunt ipsi esse aliquomodo indebitæ ab intrinseco, ac per consequens, actio per quam sivè has, sivè illas produceret, esse simplex emanatio non autem acquisitio termini indebiti.

39 Dices Deo debetur disiunctivè nolitio, aut volitio mundi, & tamen per quamlibet vivit: ergo Angelus cui debetur disiunctivè hæc, aut illa cognitio vivet per productionem cuiuslibet. Respondeo 1. forte antecedens esse falsum: quia potest Deus iuxta probabilem opinionem, neque velle, neque nolle mundum, sed purè omittere libere vtrumque actum. Respondeo 2. si antecedens sit verum, ideò est; quia, vt Deus vivat per suos actus, non requiritur se ipsum perficere, perfectione, quæ non contineatur in sua essentia; sed solum acquirere terminum, qui cum contineatur eminentèr in essentia, solum extendat se, vt sic dicam, ad explicandam perfectionem ipsam essentiæ; quæ talem terminum continet, at viventia creata debent per suos actus vitales perficere se perfectione, quæ neque essentiæ debeatur, neque contineat formalitèr perfectionem solam essentiæ. Constat hoc principium ex D. Thoma, qui quæstione 18. citata art. 3. ad primum cum dixisset esse actionem immanentem, & vitalem, addit, quod ex his capitibus debeat perficere agens vltra perfectionem suæ naturæ: vt etiam colligitur ex art. 1. ad 2. supra allegato; sed si Angelo in primo instanti, in determinatè debetur hæc, aut illa cognitio, nulla perficitur perfectione indebita suæ naturæ, æquo iure (vt aiunt respondentes) vtramque exigenti, neque magis in vnam, quam in aliam inclinanti: ergo licèt actus illi divini vitales sint, magna est discriminis ratio, vt tales censeantur cognitiones Angeli.

§. II.

Expendit veram solutionem.

40 Dupliciter argumento ex num. 28. potest satisfieri. 1. Cum Magistro meo Patre Doctore Gaspare Rivadeneyra in m. s. de Angelis, dicendo Angelum vivere in primo instanti per cognitionem sui, quæ ipsi pro eodem primo instanti, absolutè debetur: quia ita ipsi debetur, vt non debatur ipsi tanquam propria passio, neque per ipsam

sam, in sua naturali dispositione constituatur: cumque aliundè immanens sit, aliasque conditiones habeat requisitas ad rationem vitæ, vitalis est. Ratio autem, cur ea cognitio absolutè debita Angelo non debeatur per modum propriæ passionis, ea est: nam quod essentiæ alicui debetur tanquam propria passio, debetur in tanta perfectione, & intensione, vt neque in primò instanti, neque in sequentibus posit ab intrinseco essentiæ provenire diminutio illius perfectionis, aut intensionis. Sic frigiditas, vt octo est propria passio aquæ; quia ab intrinseco aquæ, pro nullo instanti potest, aut tota illa intensio, aut pars illius deficere. Alitèr res se habent in cognitione Angeli: nam licèt nunquam posit ab ea cessare, nec pro vnicó instanti, ab intrinseco Angeli provenit, quod perfectio eius cognitionis, absque vlla violentia minuatur: quippè cum ipse sit cognoscitivus, & sui, & aliorum obiectorum ab intrinseco provenit alia obiecta cognoscere, qua cognitione posita necessarium est aliquo modo propriam cognitionem remitti, & minui; quia intellectus virtutis limitatæ, non potest adeò intense cognoscere, quando simul cognoscit se ipsum, & alias res, at quando se solum cognoscit.

41 Vt secundò respondeam noto, non esse, vndè determinatè, & absolutè debeatur congnitio sui, Angelo pro primo instanti, ita vt absque violentia nequeat absolutè ab ea cognitione cessare. Probatur. Angelus, pro primo instanti absque violentia potest cessare ab omnimoda cognitione sui, si videlicèt determinetur à Deo, vt ipsum Deum solum cognoscat: ergo Angelo non debetur absolutè, & determinatè, prima cognitio sui pro primo instanti. Consequentia est certa. Antecedens probatur. Angelus est creatura rationalis intrinsicè Deum respiciens tamquam suum finem vltimum. Quis autem credat creaturam rationalem adeò perfectam, ac est Angelus, ab intrinseco non permittere, prius cognoscere suum finem vltimum, quam se. Confirmatur 1. In eo instanti potest se, & vltimum suum finem cognoscere cognitione naturali: sed quatenus creatura rationalis, magis ordinatur ad suum vltimum finem, quam ad suam naturalem fœlicitatem; quia hæc medium est ad illum finem; ergo quatenùs creatura rationalis, ab intrinseco patitur Angelus totum occupari in ea cognitione Dei, & sui cognitione privari. Confirmatur 2. iuxta communem sen-

sententiam D. Thomæ, & TT. Creatura rationalis in primò instanti quo expedita est ad amandum se, & Deum, non petit ab intrinseco potius in suo amore occupari, quam in amore Dei, alias violenta esset in eo instanti, amando Deum, quod quis credat? Ergo in eo instanti, quo expedita est ad cognoscendum se, & Deum, non petit ab intrinseco potius se, quam Deum cognoscere: Imò nisi viderer effugere vim argumenti, dicerem primam cognitionem Angeli esse debitam absolutè, & determinatè soli Deo, & nullo modo ipsi Angelo: nam iuxta D. Thomam primus amor Angeli absolutè debetur Deo, quin violentiam patiatur natura Angeli: ergo, cum natura Angeli non sit magis ab intrinseco cognoscitiva, quam volitiva, similitèr dicere possemus primam eius cognitionem Deo absolutè deberi, quin violentiam patiatur natura Angeli.

42 Hoc posito, respondeo 2. cum P. Vazq. & alijs: Angelo in primo instanti non deberi absolutè cognitionem sui, sed tantùm sub conditione, quod ad alia obiecta cognoscenda eius attentio non destrahatur: nam si ad aliud obiectum distrahatur, nullam patietur violentiam in carentia suæ cognitionis. Constat ratio solutionis ex num. præcedenti. Sed pro maiori explicatione: Dices 1. Angelo debetur in primo instanti cognitio sui, sub conditione quod ad alia obiecta non distrahatur: sicut lapidi debetur præsentia centrica sub conditione, quod non detineatur à potentiori agenti: sed lapis non vivit per nos, acquisitione præsentiæ centricæ: ergo nec Angelus sui cognitione. Respondeo: magnum esse discrimen inter exigentiam lapidis, & Angeli: nam Angelus petit sui cognitionem sub conditione, quod non distrahatur ad alia obiecta, ita, vt in ea distractione, violentus non sit: quia potest ab intrinseco ipsi provenire: lapis verò ita petit præsentiam centricam, sub ea conditione, vt violentus fiat quando ab agente fortiore detinetur; quia ea determinatio ad detentionem, non provenit ab intrinseco; sed ab extrinsecis circunstantijs, quas deficere natura lapidis petit.

43 Dices. 2. Essentia, cui disiunctivè deberentur hæ, vel illæ proprietates non viveret per productionem harum, vel illarum: sed Angelo disiunctivè debetur cognitio sui, vel aliorum obiectorum: ergo per nullam harum cognitionum vivet. Nego minorem. Angelo enim non debetur disiunctivè hæc, aut illa cognitio; sed determinatè cogni-tio-

tio sui, non absolutè; sed sub conditione defectus aliarum. Et ratio est: quia vt Angelus distinctivè peteret cognitionem sui, vel alterius (Dei v. g.) necesse erat, quod non esset titulus, quo magis determinaretur ad vnam, quam ad aliam: at summa coniunctio, quam secum ipso habet, determinat ipsum, vt magis propendeat in cognitionem sui, quam in cognitionem aliorum obiectorum, cum quibus non est ita coniunctus; ideoque absolutè debetur ipsi cognitio sui quoties ad alia obiecta non distrahitur: & ideò non æque respicit cognitionem sui, & cognitionem aliorum; sed magis cognitionem sui.

44 Dices 3. Exigere hoc sub conditione defectus alterius, est exigere disiunctivè hoc, vel illud: Sed, si datur Angelo hæc exigentia cognitionis sui, vel aliorum obiectorum, non vivit per hanc cognitionem: ergo neque vivit per eam, si respectu illius habeat exigentiam illam conditionatam. Nego maiorem alias idem erit Deum mihi præcipere jejunium sub conditione, quod non ægrotem, ac præcipere me jejunare, vel ægrotare; quod est plusquam falsum: & ratio à priori negandi mai. est; quia exigentia disiunctiva duorum ita respicit ea tamquam terminos; vt per quodlibet eorum contenta sit, & adimpleta talis exigentia: exigentia autem vnius, sub conditione defectus alterius, non respicit hoc secundum, tanquam terminum adimpletivum exigentiæ; se præcise tanquam terminum, cum quo, si detur, violenta non erit talis exigentia. Ex quo fit exigentiam conditionatam non esse formalitèr disiunctivam; quidquid sit: an virtualitèr vtraque reputetur eadem, quoad effectum exigentiæ.

SECTIO V.

Quæ sint viventia creata in actu primò? Et quæ actiones vitales?

45 Quoad 1. quæstionem, omnes substantiæ viventes enumeratæ supra num. 1. sunt viventia in actu primo; quia hoc nomine significantur substantiæ, quæ possunt se exercere per actus vitales. *Primò* vivens substantiale in actu primo sic dividendum est. Aliud cognoscitivum: aliud vegetativum tantum: cognoscitivum aliud est intellectivum tantum; aliud intellectivum, sensitivum, & vegetativum; aliud sensitivum, & vegetativum tantùm: vegetativum tantùm continet sub se plantam; quæ per particulam *tantùm*, ab alijs viventibus distinguitur, cog-

cognoscitivum tantum continet sub se, intellectuale tantùm, qualis est Angelus, qui per particulam *tantum* differt ab alijs cognoscitivis. Intellectivum, sensitivum, & vegetativum; vt *homo*. Tandem sensitivum, & vegetativum tantùm; seu non intellectuale, vt equus. Secundo vivens accidentale, in actu primo, dicitur comprincipium animæ datum ad suos actus eliciendos, quod comprincipium erit naturale, si actus eliciendi naturales sint, & erit supernaturale, si actus sint supernaturales. Rogabis: an hæc comprincipia iure viventia dicantur? Quæstio de nomine; in qua dicatur, si actus illi ad quos iuvatur Anima, aut Angelus, aut aliud vivens, vniantur, aut recipiantur, saltem inadæquatè in eis principijs, iure dicentur viventia; quia per has actiones aliquid in se ponent, saltim informativè, proindèque ea actio erit immanens respectu illorum principiorum; secus dicendum, si hi actus, neque inadæquatè recipiantur, aut vniantur illis comprincipijs, si potentiæ ab anima distinguantur. Rogabis: an intellectio, & volitio recipiantur in anima sola; an in Anima, & potentijs? Quæstio hæc, iuxta nos, est de falsa suppositione quia nō distinguimus potentias ab anima; quare tàm in Anima, quàm in potentijs intellectio, & volitio recipiuntur.

46. *Tertio*. Habitus sivè naturales, sivè supernaturales nō sūt viventes: Non naturales; quia licèt eliciant, sed non recipiunt, nec sibi vniunt actus. Non supernaturales; quia non operantur immanentèr: patet; quia actiones habituum supernaturalium neque vniuntur, neque recipiuntur in habitibus, neque in subiecto constituente vnum compositum cum ipsis: quia Anima substantialis, & habitus supernaturalis non vniuntur ad constituendum vnum per se. Idem dicendum est, de speciebus impressis, quæ, propter eandem rationem non operantur immanentèr. *Quarto*: potentia generativa, vt tales, non est vitalis; quia generatio, & actiones ad illam præcedentes, sunt transeuntes in materiam fœtus; siquidem ordinantur ad aliud vivens generandum extra se, & vltra has, potentia generativa non habet aliàs actiones. *Quinto* intellectus agens, vt agens, non est vitalis; quia vt agens solum habet actionem productivam speciei impressæ, & ea actio non est vitalis, neque immanens nam oritur ab intellectu agente vt supplente vices obiecti: & obiectum eam speciem non produceret immanentèr. Quare si intellectus Petri vniretur intellectui Ioannis, posse in illo Ioannes producere speciem im-

impressam, actione transeunte ad intellectum Petri.

47 Sexto. Potentia loco motiva vitalis non est; quia non est natura sua productiva sui termini in se; sed vel in se, vel in quolibet alio sibi approximato passo: nam experientia constat; vnum corpus movere aliud localitèr. Cæterùm omnes hæ potentiæ poterunt, dici vitales illativè, seu arguitivè; quia vel supponunt, vel conducunt ad aliquos actus vitales. Septimo, dicitur communitèr vivens substantiale debere esse principium activum, & passivum operationum vitalium: quod non ita intellige, vt nequeant vivere per terminum in se vnitum tantum, & non receptum: sed quia defacto principium vivens agit, & recipit in se suum terminum. Ratio est; quia quælibet actio vitalis creata, vel producit accidens, vel substantiam materialem. Cum autem quodlibet accidens, & quælibet forma substantialis materialis, naturalitèr recipiatur in subiecto, cui vnitur, si aliundè, ut est certum, terminus actionis vitalis vnitur viventi, vt illud constituat vivens in actu secundò, in ipso etiam recipietur. Hæc de potentijs vitalibus & viventibus in actu primo. Quod verò ad actiones vitales attinet.

48 Dico 1. Sensatio interna, & externa, appetitiones naturales brutorum, intellectio, volitio, & nutritio sunt formalitèr actiones vitales: constat ex dictis. Sed, pronutritione, vltra dicta, nota. Actionem producentem vnionem viventis ad novam partem formæ esse essentialitèr immanentem: nam hæc actio per se, & essentialitèr habet ponere vnionem, quam producit in subiecto; quia cum ea vnio si modus subiecti, implicat per eam actionem produci, & subiecto non vniri: sed eius subiectum est vivens cui se ipsa vnitur talis vnio, & à quo procedit eius actio productiva: ergo ea actio est immanens suo principio. Eiusdem naturæ est actio productiva novæ partis formæ; quia hęc actio ab intrinseco habet manere cum suo termino, recepta in suo principio ex exigentia sui principij. Sed dices 1. hanc actionē nō esse immanentē, immanētia requisita ad rationem vitalitatis; quia eius terminus, scilicèt, forma potest saltim miraculosè, produci ab alio, quàm ab ipso viventi. Respondeo, quod, quidquid sit de hoc, ea actio est essentialitèr immanens, sivè in numero, sivè in specie sumatur: ipsa numero: quia se ipsa, & vnitur, & recipitur in vivente & ex prędicatis suis pōnit in vivente suū terminum receptum: ipsa in specie; quia nullum aliud vivens huius speciei potest viventi huic vni-

vniri, aut per aliam actionem eiusdem speciei indivisibiliter ab vtroque procedentem, in hoc vivente, producere hanc partem formæ; quod aliter contingere in igne, & in alijs non viventibus diximus supra.

49 Sed dices 2. Angelus benè poterat vniri huic viventi, & disponere materiam alimenti, vt Deus introducat novam partem formæ. Sit ita. Hoc tamen dato, Angelus non concurrit concursu æquè principali, ac vivens: nam vivens concurrit physicè producendo suum terminum Angelus autem moraliter tantùm concurrit per exigentiam, nempè, dispositionum illarum, quas introduceret: ergo semper est verum vivens creatum ita operari à se, suum terminum, vt excludat aliud suppositum creatum æquè primo concurrere cum ipso. Quare actio, de qua loquimur immanens semper, & vitalis erit. Dico 2. Motus progressivus animalium, motus cordis, respiratio, locutio, & motus arteriarum non sunt vitales actus; quia hæ omnes actiones non sunt immanentes per se; dicuntur tamen illativè, & arguitivè vitales; quia vel supponunt, vel necessariæ sunt ad actus vitales. Tertio dicendum est: vitalem non esse actionem, qua in plumis avium producuntur tales, vel tales colores, quia colores isti producuntur à temperamento primarum qualitatum, quod principium vitale non est.

SECTIO VI.

Vtrum detur aliquis conceptus viventis, respectu Dei, & creaturæ communis?

50 Suppono 1. Conceptum viventis assignatum, vnivocum esse, etiam Deo, respectu generationis, qua Pater producit Filium, & respectu spirationis activæ, qua Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum; quia prima provenit à Patre constituto in statu connaturali, & secunda à Patre, & Filio constitutis in suo statu connaturali. Vndè licèt, nec Personalitas Filij, nec Personalitas Spiritus Sancti sint termini vitales respectu essentiæ Divinæ secundum se sumptæ; quia sunt proprietates ipsius essentiæ ipsam constituentes in suo statu, quasi connaturali; quælibet tamen personalitas vitalis est respectu sui principij producentis, quod constitutum in suo esse supponitur ante cuiuslibet personalitatis productionem. Certùm esset 2. Conceptum assignatum esse vnivocum Deo respectu scientiæ, & decreti contingentis: quia cum scientia, & decretum contingens virtualitèr distinguantur à Deo iam constituto in suo esse essentiali, & naturali

tam immanentèr ab ipso proveniunt realitèr. Difficultas est de scientia, & amore necessario. Circa quæ.

51 Dico 1. In sententia distinguente virtualitèr ab Essentia Diviva, cognitionem, & amorem necessarium, vnivocus est Deo, & creaturis conceptus vitæ supra assignatus. Probatur. Posita hac distinctione, Deus in suo esse constitutus per attributa, & formalitates, quæ proprietates Divinæ Essentiæ censentur, immanentèr producit virtualitèr in se, & per se aliquem terminum, scilicèt, scientiam, & amorem necessarium. Sed hic est conceptus, pro creaturis assignatus: ergo vnivocè Deo convenit. Maior est certa in ea sententia. Minor est indubitata. Probatur consequentia. Ideo ille conceptus non convenit vnivocè Deo; quia illi actus, absque vlla vera actione distincta ab ipso existerent in ipso: Sed, in ea suppositione, existerent in Deo per veram productionem virtualem: ergo vnivocè, convenit cum creaturis in illo conceptu. *Confirmatur.* Productio actum Divinorum contingentium, apud omnes, habet rationem vitæ sufficientem, vt in ordine ad ipsos, Deus conveniat vnivocè cum viventibus creatis, in conceptu asignato: sed, in suppositione, de qua loquimur, æquè producuntur ab essentia actus necessarij, ac actus contingentes; ergo, in ea suppositione, vtrisque convenit ille conceptus.

52 Dico 2. In sententia probabiliore, negante distinctionem virtualem inter essentiam Divinam, & actus necessarios, conceptus asignatus non est vnivocus Deo, & creaturæ, respectu horum actuum necessariorum. Probatur: ille conceptus asignatus postulat vivens, per veram actionem se movere, operando eas perfectiones, quæ ipsi non debentur ad statum connaturalem: sed, in hac sententia negante distinctionem virtualem, nullam veram actionem physicam, neque virtualem quidem, habet Deus circa actus necessarios: ergo nequit per hoc actus ita vivere, vt vnivocè conveniat cum viventibus creatis. Hinc infero, & dico 3. In hac ipsa sententia; nullus datur conceptus viventis, qui æquivocus non sit Deo, & creaturis. Probatur: nam conceptus æquivocus ille est, cuius ratio significata, est diversa: sed ratio vitæ conveniens Deo, respectu actuum necessariorum diversa est, à ratione vitæ conveniente creaturis! ergo æquivocus est omnis conceptus vitæ creaturis, & Deo respectu actum necessariorum. Minor patet; quia ratio vitæ conveniens Deo, nullam includit actionem,

tionem, adhuc virtualem, respectu horum actum necessariorum. Ratio autem vitæ conveniens creaturis, essentialitèr, & formalitèr claudit actionem. Ex quibus.

53 Infero 1. Vnivocum non esse respectu Dei, & creaturæ conceptum vitæ, quem tradit P. Alphonsus, nempè: *Quod constitutum in suo esse naturali, determinatum est ad habendum à se, & per se suam perfectionem*: Nam ly *ad habendam à se*, diversam rationem significat in Deo; ac in creaturis: Deus enim habet à se suos actus necessarios, omni actione, (etiam virtuali,) seclusa; creaturæ verò à se habent suos actus, & suam perfectionem per suam veram actionem. Inferes. 2. Neque vniuocum esse hunc conceptum: *Quod ab intrinseco fertur intentionalitèr in obiectum*: nam ly *fertur intentionalitèr* nullam dicit actionem respectu Dei; respectu verò creaturarum, actionem veram, & physicam importat. Inferes vltimo. Conceptum à nobis asignatum æquivocum esse Deo, & creaturis: nam, respectu creaturarum importat veram actionem; respectu vero Dei metaphoricam, seu grammaticalem, aut vocalem significat.

54 Ad calcem huius disp. Rogabis: an res non vivens possit supernaturalitèr elevari ad vivendum? Respondeo negativè cum communi TT. & Philosophorum sententia: nam omnes vnanimitèr supponunt, lapidem non posse elevari ad sentiendum, vel discurrendum. Ratio autem huius impotentiæ est; quia actio vitalis est illa, qua vivens constitutum in statu connaturali, producit immanentèr *in se*, & *per se* aliquem terminum, seu; qua vivens se ipsum, à se ipso movet: idest ab intrinseca sua natura, & inclinatione. *Quare* dixit Div. Thomas 2. 2. q. quæst. 179. art 1, in corpore: *illa propriè dicuntur vivere, quæ ex se ipsis moventur: illud autem convenit alicui per se ipsum, quod est proprium ei, & ad quod maximè inclinatur.* Sed terminus ille, vel actio, ad quam entitas supernaturalitèr elevatur, implicat, quod sit ei propria, & debita eius inclinationi: nam idem est aliquid advenire entitati supernaturalitèr, & per elevationem, ac esse indebitum eius naturæ, & supra eius inclinationem: ergo nulla actio, ad quam entitas non vivens potest elevari divinitus, potest esse actio vitalis.

***

DIS-

DISPVTATIO V.

De Potentijs Animæ in genere.

ANima varias potentias dicitur habere pro diversitate suorum actuum: alias spirituales, quales sunt memoria, intellectus, & voluntas: alias verò materiales, quales sunt potentia visiva, potentia nutritiva, & potentia appetitiva. Difficultas est in hac disputione examinanda. An anima ab omnibus, vel ab aliquibus ex his potentijs, distinguatur? Et quo modo ad earum actus concurrat, sivè activè, sivè passivè?

SECTIO I.

Statuitur identitas Animæ cum suis potentijs activis.

1 DIco 1. Anima, hominis v. g. non distinguitur realitèr à potentijs spiritualibus activis. Est contra omnes Thomistas sequtos Div. Thomam 1. p. q. 77. art. 1. quem etiam sequuntur ex nostris non nulli antiqui, P. Rub. de pot. anim. q. 1. Cardin. Tolet. cap. 4. P. Vazq. t. 1. in 1. 2. disp. 34. P. Valent. 1. p. disp. 6. & Conimbr. Stant pro conclusione nostra reliqui omnes AA. nostræ societatis, quos longum esset referre: plures citat P. Quiros dis. 82. s. 1. Nec non vniversa scola Scoti, cum ipso D. Subtili in 2. distinctione 16. q. vnica. Eandem conclusionem satis expresse docent SS. PP. Augustinus Bernardus, Isidorus, Bonaventura, & alijs, quos citant AA. nostræ sententiæ. Cum quibus.

2 Nostra conclusio, probatur 1. Authoritate: nam Augustinus *lib. de Spiritu, & lib. cap. 4.* ita ait: *Potentiæ secundum exercitia sunt multæ; secundum essentiam, vnum sunt in anima, idem cum ipsa*, & ibidem cap. 14. *Potentiæ non differunt in substantia, sicut in nominibus, quoniam omnia ista vna anima est; nec aliud, nec minus est potentia, quam vna anima.* Et serm. de imag. inquit: *Anima est intellectus, anima est memoria, & anima est voluntas.* Mitto alia verba eiusdem Magni Parentis Augustini, alijs in locis, adeò clara; vt nullam interpretationem patiantur. Deindè Div. Isidorus *Lib. 11. Ethimolog.* ita haber. *Anima dum vivificat corpus, anima est; dum vult, voluntas; dum intelligit mens; dum recolit, memoria.* Quid clarius? Nisi fortè illud, quod docet Div. Bernardus *serm. 11. in Cantic. In anima tria in-*

tentiam activam distinctam ab anima: ergo sine necessitate adstruitur talis potentia distincta. Antecedens probatur: nam si aliquod prædicatum, id exigeret, maximè vitalitas, sensatio, aut talitas sensationis; nempè auditio, visio, &c. sed hæc omnia possunt procedere ab anima, quæ realitèr est vita substantialis sensitiva, auditiva, visiva, &c. ergo nullum est prædicatum in operationibus materialibus, exigens procedere à potentia materiali distincta ab anima. Dices: Aristotelem tribuere materiæ concursum inadæquatum in operationes materiales; sed materia distinguitur ab anima: ergo potentia materialis, saltim, inadæquatè, distinguitur ab anima. Respondeo Aristotelem solum tribuere materiæ concursum passivum inadæquatum in operationes materiales, quem nos etiam tribuimus sect. 2.

6 Objic. 1. Entitas, quo imperfectior est, habet maiorem compositionem. sed anima rationalis imperfectior est alijs creaturis intellectivis, videlicèt, Angelis: ergo maiorem habet compositionem. Componitur igitur ex potentijs superadditis. Insto 1. Potentia intellectiva superaddita imperfectior est anima rationali, vt est evidens: ergo componitur ex sua virtute operativa, & hæc ex alia, & sic in infinitum. Insto 2. ergo indivisibile quantitatis perfectius erit homine, quia homo componitur ex materia, & anima, & indivisibile nullam habet physicam compositionem. Ideò nego maiorem. Imperfectio enim, qua anima est infra Angelos, sufficientèr desumitur, ex imperfectiori modo operandi; quia Angelus modo vniversaliori cognoscit nullasque habet operationes ex natura rei dependentes à corpore, sicut habet anima. Objic. 2. Potentiæ ignis, & aquæ, scilicèt, calor, & frigiditas, distinguuntur ab ipsorum substantijs: ergo, & potentiæ animæ distinguuntur ab anima. Nego consequentiam. Disparitas est; quia illæ potentiæ à suis substantijs separantur, vt passim videmus, quando ignis expellit ab aqua frigiditatem: intellectus verò, & voluntas nunquam ab anima separantur. Deindè calor, & frigus dispositiones sunt ad formam ignis, & aquæ: cum tămen intellectus, & voluntas non sint dispositiones præcedentes ad introductionem animæ.

7 Objic. tertiò. Ex parte principij passivi operationum vitalium requiruntur accidentia, & organizatio, vt recipiat operationes ergo ex parte principij activi requiruntur aliqua acciden-

tia, vt eas operationes agat: Ea autem accidentia erunt potentiæ supperadditæ. *Confirmatur*, 1. Operationes materiales, & accidentia, non solum recipiuntur in materia, sed etiam in quantitate: ergo operationes vitales non solum proveniunt ab anima, sed etiam à potentia superaddita. *Confirmatur*. 2. Anima non est potentia activa visionis: ergo neque aliarum operationum. antecedens probatur; quia homo cæcus habet animam, & non habet potentiam visivam; ergo anima non est potentia activa visionis. Ad argumentum distinguo antecedens, requiruntur accidentia, vt dispositiones concedo; vt principium pasivum, nego antecedens; & distinguo consequens: accidentia requiruntur ex parte principij activi, vt dispositiones ad operationes eas eliciendas concedo; vt principia aut comprincipia earum, nego, & consequentèr nego hæc accidentia esse potentias superadditas; nam ea accidentia, & non alia, quæ ex parte pasi conditiones sunt, vt recipiat, conditiones etiam sunt petitæ ab agente ad eas operationes eliciendas, quæ produci nequeunt nisi cum dispositionibus præcedentibus. Ad primam confirmationem, nego consequentiam nam fundamentum non est, vt sola anima adæquatè non agat, sicut fundamentum datur, vt accidentia recipiantur in quantitate. Ad secundam nego antecedens, & ad probationem nego antecedens: nam cæcus non caret potentia visiva, sed caret solum organis, & dispositionibus requisitis in oculis ad videndum.

8 Objic. 4. Potentiæ materiales activæ sunt corporeæ: ergo distinguuntur ab anima. Antecedens probatur 1. Hæ potentiæ dependent à corpore in operando. 2. Illæ potentiæ ordinantur natura sua ad operationes corporeas. 3. Apetitio est corporea: ergo dependet à potentia corporea: potentia enim appetitionis corporeæ productiva, corporea est. Nego antecedens. Ad primam probationem, fateor eas potentias dependere à corpore, quoad operationes materiales eliciendas; hæc autem dependentia non sufficit, vt potentiæ corporæ sint; quia natura sua possunt existere separatæ à corpore. Ad secundam, distinguo antecedens: ordinantur natura sua ad operationes corporeas, vt ad terminum intrinsecum, à quo nequeant naturalitèr se-

pa-

parari, nego: vt ad effectum extrinsecum, & defectibilem ipsis potentijs concedo. Ad 4. concesso antecedenti, distinguo consequens: dependet à potentia corporea activa, nego: à potentia passiva corporea, concedo consequentiam. Sufficit enim, vt aliquis actus corporeus sit, natura sua esse inseparabilem à subiecto corporeo, & talis est appetitio. Objicies 5. Anima, indifferens est ad intellectionem & volitionem: item ad volitionem huius, vel illius speciei: ergo habet potentias à quibus determinetur. Insto: intellectus, & voluntas à te superadditæ indifferentes sunt ad intellectionem huius, vel illius speciei, & ad volitiones speciei distinctas. Igitur determinantur à potentijs superadditis. Respondeo: animam ad actus materiales necessarios, & spirituales, determinari, vel ab specie obiecti, vel ab spe cie simul cum humorum dispositione; ad actus verò liberos, se ipsa determinari, propter libertatem, qua gaudet.

9 Objic. 6. Si anima est idem cum potentijs fit 1. substantiam esse immediatè operativam, quod est falsum. Fit 2. Actum, & potentiam non esse in eodem genere. Siquidem potentia erit substantialis, & actus accidentalis. Fit 3. si anima est immediatè operativa semper erit in continua operatione, quod est contra experientiam. *Confirmatur*: si seipsa operatur, non esset cur fatigaretur: nam quia Angelus seipso operatur in motu Cœlorum non fatigatur. Respondeo ad 1. substantiam esse immediatè operativam, quod falsum non esse constat ex physica. Ad 2. nego potentiam, & actum debere esse in eodem genere, aliàs Deus nullam haberet operationem creatam: & instatur, iuxta Adversarios, iuxta quos accidens producit substantiam: ergo potentia, quæ accidens iuxta ipsos est, & actus qui est substantia non sunt in eodem genere: Ad 3. Respondeo instando: ergo potentiæ superadditæ, se ipsis operantur: ergo erunt in continuo motu: neque erit cur fatigentur. Respondeo igitur. Animam sistere, & fatigari in operando: quia ad operandum indiget spiritibus vitalibus, qui cum ab extrinsecis agentibus destruantur, iam anima sistit, quia paucissimi sunt spiritus iam cum labore operatur; quia adeò sunt pauci spiritus vitales, vt nequeant eis vti ad operandum, nisi cum magna attentione, &

& conatu. *Ad confirmationem* respondeo, animam potius, quam Angelum fatigari; quia anima eget spiritibus vitalibus ad operandum, secus Angelus.

10 Objic. 7. si potentia activa auditionis est anima, cur anima separata non audit? Respondeo; quia auditio materialis indiget tali organizatione corporea, qua caret anima seiuncta à corpore. Objic. 8. Potentia activa specificatur ab actibus, & obiectis: sed actus, & obiecta circa quę anima versatur, diversissima sunt: ergo potentiæ activæ illorum actuum circa illa obiecta distinctæ sunt. Respondeo 1. Animam extrinsecè specificari ab actibus, & obiectis, ita tamen, vt non sumat speciem ab vno, vel alio actu, sed à collectione omnium: aliàs adhuc in sententia Adversariorum, intellectus non distingueretur à voluntate; quia circa obiectũ circa quod intellectus versatur, versatur etiam voluntas, per amorem, tùm etiam: quia plures deberent dari intellectus, & voluntates pro diversitate actuum, & obiectum. Respondeo 2. falsum absolutè esse potentiam specificari ab obiectis; siquidem, adhuc iuxta Adversarios, specificatur ex diverso modo tendendi circa idem obiectum; nam iuxta illos, intellectus, & voluntas distinguuntur, & tamen vtriusque obiectum est ens in tota sua latitudine: vndè solum distinguuntur penès diversum modum tendendi circa idem obiectum.

11 Objic. 9. Loca Sacræ Scripturæ, in quibus dicitur, hominem teneri amare Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente*, & cum omnibus, quæ intra ipsum sunt, quæ videntur supponere distinctionem potentiarum. Objic. 10. Concilium Tridentinum distinguere voluntatem, & appetitum. Objic. 11. intellectus dicitur *intelligere*, *& non amare*, & è contra, voluntas dicitur *amare: & non intelligere.* Iam habitus charitatis datur voluntati, & non intellectui: habitus autem fidei datur intellectui, & non voluntati. Ad 9. respondeo è loca Scripturæ solum intendunt, hominem esse obligatum ad amandum Deum maiori, & puriori, quo possit amore: item hominem debere Deum laudare, & benedicere omnibus suis actibus. Nec verba allata denotant distinctionem realem: sicut etiam non denotant inter animam,

mam; & spiritum Iustorum illa verba Cantici Puerorum (apud Daniel cap. 3.) *Benedicite spiritus, & Animæ, Iustorum Domino.* Ad 10. Concilium non distinguit voluntatem à potentia appetitiva; sed tantùm distinguit actus appetitus ab actibus voluntatis: vel si distinguit à voluntate appetitum summitappetitum, non pro sola potentia appetitiva; sed pro ea coniuncta cum ea parte organica, qua indiget ad appetendum: quod verum est; sed neutiquam contra nos.

12 Ad 11. in sensu reali voluntas intelligit, & intellectus amat; habitus charitatis datur intellectui, & habitus fidei voluntati. Cæterùm in sensu formali, nec intellectus amat, nec voluntas intelligit: nam hoc non est aliud, quam totam animam expressam sub conceptu *intellectus*, non definiri per virtutem volendi; & expressam sub conceptu *voluntatis* non definiri per conceptum *intelligendi*, quod stat cum reali identitate intellectus, & voluntatis, cum sola distinctione formali potentiarum inter se, & ab anima. Hunc facit D. Isidorus supra citatus, dum dicit, *Anima dum reminiscitur memoria est, dum vult voluntas*: hoc est totam animam sub expressione *memoria*, esse vim ad reminiscendum, & sub expressione *voluntas*, esse vim ad volendum. Ex quo fit: habitum fidei, & charitatis habitum, cum dantur animæ, dari vtrique potentiæ: dicitur tamen in sensu formali vnum dari intellectui, & alterum voluntati: nam vnus tribuitur animæ, vt supernaturaliter credat, & alius, vt supernaturaliter velit.

13 Objic. tandem. Plura PP. testimonia. Nam alij, vt Dionysius, cap. 11. *de Cœlest. Hierar.* dicunt. *potentiam, essentiam, & actionem esse tria diversa*, & intelligunt, & colligitur ex contextu, per potentiam, intellectum, & per actionem voluntatem. *Secundò.* alij, & Augustinus, lib. 5. de *Trinitate*. cap. 7. Dicunt, *mentem non esse animam. Tertiò* alij, vt Epiphan. *Hæres.* 67. dicunt, *mentem non esse substantiam*; cum tamen anima substantia sit. *Quartò*: alij, vt Damasc. cap. 51. *Dialect.* cum Aristotele, constituunt potentias in prædicamento *qualitatis*. Ad 1. respondeo. Illos PP. solum loqui de distinctione rationis. Ad 2. *per mentem* intelligunt actum intellectionis, qui realiter distinguitur ab anima. Ad 3. constat etiam ex PP. solum intendere, animam non esse substantiam divinam, aut particularem Deitatis. Ad 4. non loquuntur absolutè, & ex propria mente, sed ex suppositione opinionis probabilis, animam distinguentis à potentijs; in qua suppositione, nos etiam dicimus,

potentias pertinere ad prædicamentum *qualitatis*, vel de his potentijs loquuntur in sensu logico, & formali: in quo formaliter ratione nostra tales potentiæ sunt logicè qualitates: neque alia potest esse mens Aristotelis, qui satis expressè stat pro nostra sententia: tùm lib. de *Anima* textu 64. dum ait: *hominem operari anima*: tùm textu 65. vbi ait: *intellectum esse substantiam*.

14 Dico *Tertio*: Potentiæ vitales activæ (idem dicito de passivis, quæ identificentur cum anima, iuxta ea, quæ dicemus sect. sequenti) ab anima distinguntur formalitèr inadæquatè. Probatur: nam ea formalitèr inadæquatè distinguntur (vt constat ex logica) quorum vnum pertinet ad conceptum alterius, secus è contrario: sed potentiæ vitales pertinent ad conceptum definitivum animæ; Anima autem non pertinet ad conceptum definitivum potentiarum: ergo hæ distinguntur formalitèr inadæquatè ab anima. Minor probatur quoad primam partem: nam anima definitur per hunc conceptum: *virtus immanentèr a se, & per se operativa*: sed hic conceptus formalitèr explicat animam per voluntatem, intellectum, & reliquas potentias operativas: ergo anima definitur per suas potentias. Quoad secundam partem probatur: nam voluntas, intellectus, &c. Non definiuntur per animam. Siquidem intellectus, & voluntas latius patent, quàm anima: extenduntur enim, ad Deum, & Angelos, qui anima vti, & forma carent. Dico *quarto*: hæ potentiæ formalitèr adæquatè distinguuntur inter se. Probatur: nam hic conceptus *voluntas* non explicatur per hunc *intellectus*, neque per huius definitionem: neque hic conceptus *intellectus* explicatur per hunc conceptum *voluntas*, neque per eius definitionem, voluntas, enim definitur per hunc conceptum: *principium volitivum*, & intellectus, per hunc, *principium intellectivum*: ergo neque intellectus est de conceptu formali voluntatis: neque voluntas de conceptu formali intellectus: distinguuntur ergo formalitèr adæquatè.

SECTIO II.

Vtrùm Anima distinguatur realitèr à potentijs passivis actuum vitalium.

15 SVppono vt certum, omnes operationes vitales hominis immediatè vniri animæ cum eo tamen discrimine, quod operationes spirituales vniuntur

tur soli animæ; quia solam animam constituunt operantem. Materiales verò vniuntur immediatè materiæ propter connexionem, quam titulo materialitatis, & corporeitatis, habent cum materia corporea: & vniuntur etiam animæ, quia ipsam constituunt formalitèr sentientem. Quare tota quæstio devolvitur ad potentiam passivam: nempè, quænam sit potentia passiva, & receptiva operationum vitalium: materialium, & spiritualium in qua.

Dico *Primò*. Potentia passiva operationum spiritualium adæquatè identificatur cum anima. Probatur 1. Hæ operationes vniuntur adæquatè animæ: ergo recipiuntur adæquatè in anima. Probatur consequentia; quia omnis forma accidentalis recipitur in subiecto cui vnitur: accidentis enim est inhærere subiecto, quod informat: tum; quia subiectum receptionis alicuius formæ non est distinguendum à subiecto vnionis, nisi ratio oppositum suadeat, & non suadet nunc. Probatur 2. operationes istæ, vtpotè accidentia in aliquo subiecto recipiuntur; sed non recipiuntur, adhuc inadæquatè, in materia: ergo adæquatè in anima. Minor probatur. Quia alias dependeret intrinsecè à materia, vt à termino intrinseco vnionis, quod spiritualitati harum operationum officit, iuxta dicta disp. 3. ergo anima debet esse potentia passiva adæquata operationum spiritualium.

16. Dico *secundò*, potentia passiva, & receptiva operationem materialium identificatur, saltem inadæquatè cum materia prima. Conclusio est communis inter nostros AA. Probatur 1. est Aristotele dicente *materiam irasci*, quod ad minus de concursu passivo materiæ in iram, intelligendum est. Deinde ait: *sentire* non esse solius animæ: sed *esse motum animæ per corpus*, seu motus totius compositi, quod rectè intelligi nequit, nisi per sensationem materia etiam mutetur, videlicèt per passionem, & receptionem illius. Probatur 2. Quia sensatio corporei debet habere aliquam connexionem cum corpore: ergo debet corpori saltim vniri: sed forma accidentalis, debet recipi in subiecto cui vnitur; nisi oppositum efficacitèr probetur: ergo sensatio recipitur in materia. Probatur. 3. Sensatio materialis potius debet recipi in materia, quam ipsi vniri; sed aliquod horum debet habere, titulo materialitatis; ergo habebit receptionem. Minor probatur: quia vnio non petitur à forma, titulo exis-

existendi in rerum natura; sed titulo tribuendi subiecto suum effectum formalem; sed sensatio non potest tribuere materiæ effectum formalem sentiendi, cuius est incapax: ergo attenta ipsius natura, potius debet recipi in materia, quam ipsi vniri. 4. *Tandem*; quia vt anima eliciat operationes materiales, requiruntur dispositiones ex parte materiæ, organizatio, nempè, & alia accidentia: ergo si in materia subiectantur dispositiones ad operationes materiales, ipsæ quoque operationes in materia recipiuntur.

17 Dico *tertio:* Sensationes materiales recipiuntur etiam inadæquatè in anima; ideòque potentia passiva adæquata harum operationum identificatur cum toto composito. Hoc *secundum* constat ex conclusione præcedenti. *Primum*, quod est ferre omnium nostrorum contra P. Hurtado disp. 4. sect. 3. Probatur 1. Anima de se receptiva est omnium operationum vitalium, si ex harum receptione nullum inconveniens sequitur; sed non sequi, probabitur solutione argumentorum: ergo dicendum est, eas operationes inadæquatè recipi in anima. Probatur 2. Quia hæ operationes vniuntur animæ; quia ipsi tribuunt suum effectum formalem: ergo etiam in anima recipiuntur. Probatur consequentia; quia forma accidentalis petit vniri, & recipi in subiecto, cui tribuit suum effectum formalem.

Sed dices: Absque receptione, potest animæ tribuere suum effectum formalem per solam sui vnionem: Quod patet: tùm in anima rationali, quæ sine receptione in materia illi tribuit suum effectum formalem: tùm etiam in vnione animæ rationalis ad corpus, & in vnione hypostatica: nam vnio in materia tantùm recepta, & vnita animæ, huic tribuit suum effectum formalem, & vnio hypostatica non recepta in verbo Divino, tribuit ipsi suum effectum formalem vniti. Respondeo; verum esse, stare effectum formalem alicuius formæ, absque receptione, quod probant exempla allata, & ideò non probamus receptionem operationum materialium in anima ex indigentia talis receptionis ad tribuendum effectum formalem; sed ex eo, quod subiectum receptionis, & subiectum vnionis, absque positivo fundamento, distingui non debent. Quare sic vrgetur, & firmatur nostra probatio, 2. In forma accidentali, qualis est sensatio, absque positivo fundamento, non est distinguendum subiectum, a forma.

tionis; à subiecto receptionis: sed anima est subiectum informationis operationum materialium, & non est fundamentum positivum suadens, non esse subiectum receptionis operationum materialium: ergo hæ recipiuntur in anima. Non adæquatè, vt probatum est: ergo inadæquatè in anima, & adæquatè in toto composito.

18 Objic. 1. Materia est subiectum adæquatè receptivum formæ substantialis materialis ergo, & sensationis materialis, quæ imperfectior est ea forma. Respondeo 1. concesso antecedente; negando consequentiam; quia materiæ adæquatè vnitur forma substantialis materialis, & ideò adæquatè recipitur; quia subiectum receptionis, non est distinguendum à subiecto vnionis absque fundamento, quale ibi non datur, & propter eandem rationem, cum sensatio materialis vniatur inadæquatè animæ, in ea etiam debet inadæquatè recipi. Respondeo 2. illam consequentiam esse malam: quia hæc non valet: *Potest recipere perfectius: ergo, & imperfectius*: sicut non valet hæc: *Homo producit adæquatè alterum hominem perfectiorem equo: ergo adæquatè producit equum imperfectiorem*: neque valet: *Homo adæquatè producit alterum hominem; ergo eius proprietates eo imperfectiores*. Objic. 2. Sensatio nec inadæquatè recipitur in materia; quia illam redderet sentientem; sicut recepta in anima, animam reddit sentientem: Item sicut anima vnita materiæ, materiam reddit animatam. Respondeo 1. sensationem receptam in materia non reddere illam sentientem; quia incapax materia est huius effectus; illam, tamen, redderet habentem sensationem: vt, enim, subiectum recipiat aliquam formam, sufficit esse capax alicuius effectus formalis illius; nam si omnes effectus deberet recipere, non posset materia recipere formam viventis: quia forma non reddit materiam viventem. Respondeo 2. Hoc argumentum probare, neque vniri inadæquatè materiæ; quia illam per vnionem redderet sentientem; sicut anima per vnionem reddit materiam animatam.

19 Objic. 3. Sensatio non potest, adhuc inadæquatè, recipi in anima. *Primo*; quia nihil spirituale potest, adhuc inadæquatè, recipi in materiali substantia: ergo, & nihil materiale potest, adhuc inadæquatè, recipi in spirituali subiecto. *Secundò*; quia receptum, & recipiens debent proportionari; sed materiale, & spirituale impro-

improportionata sunt: ergo materiale in spirituale nequit recipi. *Tertio*: sensatio non recipitur adæquatè in anima; quia anima, sua spiritualitate, improportionata est, vt adæquatè recipiat materiale: ergo improportionata est etiam, vt recipiat inadæquatè materiale. *Quarto*: si anima est subiectum materialis sensationis ab intrinseco petet recipere, sibique vnire sensationem, sed hoc ipso, anima foret materialis, sicut ipsa sensatio materialis est, ex eo, quod ab intrinseco petit vniri, & recipi, saltim inadæquatè, in materia: ergo anima rationalis non potest esse potentia passiva, adhuc inadæquata, sensationis materialis. *Quinto*; quia effectus sequitur nobiliorem partem. Ergo sensatio recepta in materia corporea, & in anima spirituali, ab hac nobiliori parte evadet spiritualis, & non erit corporea.

20 Ad argumentum nego assumptum. Ad 1. probationem, concesso antecedenti, nego consequeniiam. Disparitas est; quia si aliquid spirituale reciperetur inadæquatè in subiecto materiali, haberet naturalem connexionem cum corpore, tanquam cum termino intrinseco sibi per receptionem; ideòque non spirituale; sed corporeum esset, iuxta dicta disp. 3. verum quod aliquid materiale inadæquatè recipiatur in subiecto spirituali non facit, quod spirituale fit; quia hæc receptio non facit terminum receptum natura sua independentem à corpore; cum potius in corpore connaturalitèr simul recipiatur inadæquatè. Ad 2. vt forma recipiatur in subiecto, non debet cum eo proportionari, proportione eiusdem ordinis; sed proportione subiecti, & formæ: hoc est, proportione, in eo stante, quod subiectum capax sit alicuius effectus formalis formæ: sic anima rationalis spiritualis proportionata est materiæ corporeæ, vt ipsi vniatur, eamque animatam reddat. Ad 3. ideò anima improportionota est, vt adæquatè recipiat sensationem; quia hæc, natura sua, exigit à corpore dependere per vnionem, aut receptionem; & cum hæc dependentia non tollatur per inadæquatam receptionem; ad ipsam inadæquatè recipiendam proportionata est.

21 Ad 4. Licèt anima ab intrinseco petat vniri, & recipere in se sensationem materialem, non evadet materialis; quia connaturalitèr separari potest ab ea vnione, & receptione: sicut potest connaturalitèr separari à materia, cum qua ab intrinseco petit vniri. At sensatio non est capax

pax ab intrinseco existendi connaturaliter separata à subiecto corporeo, ideóque materialis manet, licèt inadæquatè recipiatur in anima. Ad 5. nego antecedens absolutè loquendo; quia homo est corporeus à parte corporea ignobiliori, & conclusio illata ex vna præmissa euidenti, & altera obscura, obscura est. Quod autem effectus sequatur, vel non, partem nobiliorem, aut ignobiliorem desumendum ex maiori vi vnius, quam alterius, vt effectui suam conditionem communicet, & hoc rursus ex ipsa natura effectus pensari potest: sic, autem, cum effectus, scilicèt sensatio, licèt recepta in anima rationali, & spirituali, maneat natura sua inseparabilis à corpore, corporea, & materialis est.

SECT. III.

Quo modo anima concurrat ad operatoines potentiarum?

22 SI potentiæ non distinguuntur ab anima (vt nos verum opinamur) certum est, animam immediatè concurrere ad operationes intellectus, memoriæ, & voluntatis; quia intellectus, memoria, & voluntas immediatè eliciunt intellectionem, memorationem, & volitionem. Quare, vt locum habeat præsens quæstio, examinanda est, admissa distinctione, inter animam, & potentias. Inquiritur ergo: vtrùm, admissa hac distinctione, inter animam, & potentias, anima concurrat immediatè, & per immediatum influxum in operationes potentiarum? Negant Thomistæ, cum D. Thoma, eo ducti fundamento, quod substantia non est immediatè operatiua, quod in Physica probabimus non esse verum. Affirmant AA. Societatis, etiàm illi pauci, qui distinctionem potentiarum ab anima admittunt: & hæc est etiam sententia inter Scotistas communis. Cum quibus.

23 Conclusio sit. In ea suppositione animam concurrere immediatè ad operationes potentiarum. Probatur 1. Anima rationalis, vt distincta à potentia accidentali superaddita, est verè, & propriè viuens: ergo verè, & propriè debet elicere aliquam operationem vitalem; sed, si immediatè non concurrit ad operationes potentiarum, scilicèt, ad operationes intellectionis, & volitionis, non elicit propriè,

&

& verè aliquam operationem vitalem: ergo immediatè concurrit ad eas operationes. Vltima consequentia evidenter infertur si probentur propositiones præcedentes ipsam, & in primis primum antecedens est certum; quia in homine nulla alia potest esse substantia vivens, nisi anima, vt distincta à potentia accidentali: sed in homine est aliqua substantia vivens; siquidem *hoc, nomen vivens* ex D. Thoma 1. part. quæst. 18. art. 2. in corpore; *impositum est ad significandam substantiam, cui convenit secundum, naturam movere se ipsam*: ergo anima, vt distincta à potentia accidentali propriè est vivens. Iam prima consequentia probatur. Nam vivens, adhuc, iuxta Thomistas, est, *quod se movet ab intrinseco*: sed vivens se movere ab intrinseco, est ab intrinseca sua virtute, aliquam operationem producere, vt constat ex Div. Thoma adducto disp. 4. Ergo verè, & propriè debet producere vivens aliquam vitalem operationem. Iam minor subsumpta probatur facile. Si anima non concurrit immediatè ad intellectionem v. gr. Circa illam non aliud præstat, quam substentare in se potentiam intellectivam: sed substentare in se potentiam intellectivam, non est propriè producere operationes intelligendi, sicut aquam substentare in se calorem, non est propriè aquam calefacere, sed denominativè tantum: ergo, si anima non currit immediatè ad intellectionem, non producet propriè operationem intelligendi, ac proinde nullam aliam eliciet operationem vitalem.

24 Dicunt Thomistæ: aquam sustentare calorem, quam ex natura rei non exigit; animam autem, substentare potentiam intellectivam, quam exigit ex natura rei, & hoc sufficere vt anima dicatur verè, & propriè producere intellectionem, licèt aqua non dicatur propriè producere calefactionem. Sed contra: licèt intellectus debeatur ex natura rei animæ, circa illum tamen, non alium concursum præstat anima, quam mere passivum; quia ab anima, iuxta Thomistas, non producitur intellectus, sed à generante: ergo, non maiori proprietate, anima producet intellectionem, quam aqua calefactionem. Vrgetur: anima, per tè, non producit immediatè intellectionem; sed neque mediatè. Probatur minor. Eatenus mediatè produceret intellectionem, quatenùs produceret immediatè intellectum: quippè ea est causa mediata effectus, quæ immediatè producit causam eius immediatam. Sed, per te, anima non producit intellectum immediatè; sed à solo generante produ-

ducitur: ergo non producit anima mediatè intellectionem. Nec dicas, animam posse dici producere intellectionem: quia eam producit intellectus, qui est passio animæ; sicut ignis dicitur calefactivus passi approximati; quia illud calefacit calor existens in igne, vt ipsius passio. Tum quia ignis est propriè calefactivus, siquidem verè, & propriè producit in se suum calorem; anima autem, in tuis principijs, non producit in se suum intellectum: tùm quia cum ignis immediatè producat calorem, qui immediatè calefacit, verè dicitur ignis producere mediatè calefactionem. Dices: animam producere intellectionem; quia intellectus eam producit in virtute animæ. Sed contra; quia hoc nihil aliud est, quam intellectum debitum animæ, vt ipsius proprietatem immediatè producere intellectionem, sed hoc nullatenùs sufficit, vt anima, adhuc mediatè, producat intellectionem, si immediatè non producit intellectum: ergo vel debes dicere animam producere in se intellectum, vel immediatè influere in intellectionem: alioqui nullo modo erit vivens.

Probatur 2. conclusio. Anima immediatè meretur, aut demeretur per volitionem bonam, aut malam: ergo volitio bona, vel mala est immediatè libera animæ. Antecedens est evidens; potentia enim accidentalis incapax est meriti, aut demeriti. Consequentia probatur: illa volitio debet esse libera immediatè principio, cui imputatur immediatè ad laudem, vel vituperationem; sed ea volitio immediatè imputatur animæ, siquidem anima propter ipsam, aut præmiatur, aut punitur: ergo ea volitio bona vel mala, est immediatè libera animæ: num sic; ergo anima immediatè producit eam volitionem. Probatur consequentia. Nulli potest imputari immediatè actio, quam immediatè non facit: sed animæ immediatè imputatur ea volitio: ergo anima immediatè eam volitionem facit. Confirmatur quia animæ immediatè imputatur volitio ea, est immediatè libera animæ: hoc est certum nam imputabilitas consequitur modum libertatis: sed si est immediatè libera animæ, eam anima immediatè facit. Hæc minor probatur. Si est immediatè libera animæ, anima immediatè se determinat ad ipsam: sed si immediatè se determinat ad ipsam, eam immediatè facit. Non enim est alius motus determinandi immediatè actionem liberam, quam ipsam immediatè ponendo, seu producendo: ergo si animæ est immediatè libera, eam anima immediatè facit. Maior probatur: nam non potest esse mihi immediatè libera

bera ea actio, ad quam me non determino; sed quam habeo adæquatè determinatam ab alio.

26 Respondent Thomistæ. 1. Volitionem non esse immediatè liberam animæ; sed voluntati; vndè voluntas se determinat immediatè ad illam, eamque immediatè facit; & non animæ. Sed contra 1. Anima immediatè meretur, aut demeretur per ipsam volitionem, animæque imputatur ad laudem, vel vituperium: ergo ea est animæ immediatè libera 2. Si non est immediatè libera animæ, neque mediatè erit libera: ergo est libera immediatè. Probatur antecedens. Eo esset mediatè libera: quia licèt non efficiat immediatè volitionem, eam efficit mediatè: sed, si eam non efficit immediatè, neque efficit mediatè, vt constat ex dictis num. 24. ergo, si non est libera animæ immediatè, neque mediatè est libera 3. Ea volitio non esset animæ mediatè libera; quod sic probo. Tunc operatio est mediatè libera alicui principio, quando hoc ponit immediatè liberè causam eius operationis: sed anima non ponit immediatè libere, imò nec vllo modo *libere* ponit causam eius volitionis ergo ea volitio non est mediatè libera animæ. Maior est certa à paritate causæ efficientis non liberæ. Minor probatur. Anima non ponit neque immediatè libere eam potentiam volitivam; siquidem illam nullo modo producit per tè, sed eam accipit à generante productam. Neque, licèt eam produceret, produceret *libere*; quia productio propriæ passionis, qualis (iuxta nos) est voluntas, nulli essentiæ libera est; sed necessaria: ergo anima non ponit, neque immediatè, neque mediatè *libere* causam eius volitionis.

27 Respondent 2. Immediatè mereri animam, licèt immediatè non producat volitionem; quia sibi immediatè *libere* vnit volitionem adæquatè productam à voluntate; hacque ratione se determinat ad amandum. Quia amare includit formalitèr vnionem volitionis ad animam cumque anima vnionem amoris in se immediatè *libere* producat, immediatè liberè amat. Contra 1. Producta volitione, nulla manet potestas libera in anima, vt sibi vniat, vel non vniat eam volitionem, & amorem: ergo immediatè liberè non vnit sibi eam volitionem. Antec. probat quia volitione producta, necessarium omnino est, secluso miraculo, voluntatem amare ea volitione: ergo ea producta nulla manet potestas libera in anima, vt eam volotionem sibi vniat, vel non vniat. Contra 2. Vel anima producit immedia-

te eam vnionem, vel non? Si 2. redit argumentum supra factũ. Si 1. ergo anima aliquid immediatè operatur. Ex quo fiunt duo; vnum, substantiam esse immediatè operativam. Alterum, non esse cur producat immediatè vnionem volitionis, & ipsam volitionem non producat.

28 Respondent 3.° Sine influxu animæ in volitionem, hanc de facto ipsi imputari immediatè; quia Pater non producit actionem Filij, & tamen actio Filij imputatur Patri, sed contra clarè; ideò Patri imputatur actio Filij; quia licèt ipsam non producat, in sua potestate est aliquid ponere immediatè influens in bonas, vel malas operationes Filij, videlicèt educationem, & directionem Filij: sed in potestate animæ non est aliquid ponere influens immediatè in bonas, vel malas operationes voluntatis: ergo illæ operationes nullo iure imputabuntur animæ. Minor est certa: quia solum potest esse in potestate animæ, ponere ipsam voluntatem, quæ immediatè influit in suas operationes: sed in potestate animæ non est voluntatem ponere, siquidem illam non producit, & si eam produceret, non produceret libere. Ex quibus instauro argumentum, seu rationem à priori. Anima neque immediatè, neq; mediatè se determinat ad operationes voluntatis; sed præcisse præstat in se recipere potentiam volitivam, quæ vnicè, & adæquatè determinat se ad suas operationes, receptione, inquam, ipsi animæ necessaria: ergo, absq; iure, Deus animã punit; & præmiat propter operationes bonas, & malas. Prob. conseq. ex ipsa terminorum apprehensione. Quis enim censetur dignus præmij, propter operationes, quas neq; in se, neque in sua causa exercet vllo modo liberè? Aut quis propter operationẽ non liberam sibi, censetur dignus pœna æterna?

29 Probatur 3. Conclusio. Principium immediatè se determinans ad amorem non est sola voluntas: ergo anima est principiũ, saltem inadæquatè, se determinans simul cũ voluntate ad amorẽ. Conseq. constat; quia non est assignabile aliud: intellectus, enim, iuxta vos, volitivum non est. Antec. proba. Quia principium se determinans immediatè ad amorẽ, est principium cognoscens bonitatem obiecti: sed principiũ cognoscens bonitatem obiecti, non est sola voluntas, quæ, vt ponitè distincta ab intellectu non informatur actibus intellectus, in sententia opposita: ergo principiũ immediatè se determinãs ad amorẽ non est sola voluntas. Maior prob. Principium immediatè se determinans ad amorem est principiũ eligẽs bonitatẽ obiecti, eamque præferens malitiæ op-

oppositæ; sed implicat principium non cognoscens bonitatem obiecti facere electionem, & prælationem inter bonitatem, & malitiam oppositam: ergo principium immediatè se determinans ad amorem, est principium cognoscens bonitatem obiecti: tùm sic. Principium cognoscens bonitatem obiecti, & se ipsum determinans ad obiecti amorem, non est sola voluntas, non volūtas, & intellectus; quia intellectus nullo modo se determinat ad amorem, neque est volitivus, iuxta Adversarios: ergo hoc principium est voluntas, & anima: atque ideò anima concurrit immediatè ad amorem.

30 Dices: Voluntatem se determinare elicitivè, & electivè ad amorem obiecti: quia intellectus existens in eadem anima, in qua est voluntas cognoscit bonitatem obiecti, & hoc sufficit, vt voluntas dirigatur, & moveatur ex illa cognitione existente in intellectu ad eligendam bonitatem ab intellectu repræsentatam, & ad eliciendum actum amoris; sicut manus movetur ad imperium voluntatis, quin imperium sit in manu; sed in voluntate. Contra 1. Exemplum vim non habet; quia manus ad imperium voluntatis movetur per sympatiam, ad quod necessarium non est, imperium informare manum se moventem: principium autem amans non movetur per naturalem sympatiam à cognitione; sed inclinativè, & intentionalitèr, scilicèt, quatenùs cognitione proponente bonitatē obiecti movetur, & allicitur ad amorē. Principiū verò volitivum nequit in obiectum ferri cognitione ductum, nisi ipsa cognitione informetur; quia cognitio, media sua informatione in genere causæ formalis movet ad amorem. Quomodo, autem, informabitur cognitione principium volitivum, quod sit pura voluntas nullo modo cognoscitiva?

31 Contra 2. Si intellectio non informat principium volitivum non potest movere ad amorem: quia per præcissam suam existentiam in intellectu, eodem modo se habebit illa intellectio ad volitionem, ac si existeret in alieno subiecto: neque alitèr poterit voluntas moveri à cognitione existente in Petro, & nullatenus mihi nota per aliam cognitionem. 3. Quia cognitio eatenùs dicitur movere ad amorem, qnatenùs allicit, invitat, manifestatque principio volitivo bonitatem amandam: ergo non sufficit, quod cognitio existat, vt cumque in principio volitivo; sed necessarium est, quod principium volitivum informet: alias, qua ratione manifestabit bonitatem amandam? Qua ratione invitabit tale prin-

principium, ipsumque alliciet ad amorem? Non nulla alia solent hic disputari ex suppositione distinctionis potentiarum ab anima; ea tamen omitto: tùm quia nobis eam distinctionem negantibus infructuosus esset labor: tùm quia præcedenti difficultate seclusa reliquæ parvi momenti sunt. Vide Patrem Alphonsum, & Oviedo.

DISPVTATIO VI.

De speciebus Impressis.

Species ab animastico sumitur, pro qualitate repræsentativa obiecti; & est duplex: alia expressa, quæ cum actuali cognitione, à pluribus identificatur: expressa; quia exprimit intellectui obiectum. Alia est impressa, quæ dicitur virtualis repræsentatio: quia potentiæ cognoscitivæ deservit, vel vt conditio, vel vt comprincipium ad producendam speciem expressam, & formalem repræsentationem obiecti. De hac specie impressa est quæstio, & disputatio.

SECTIO I.

De Existentia, Natura, & causis speciei impressæ.

1 Existere defacto speciem impressam sumptam pro qualitate missa ab obiecti potentiæ cognoscitivæ, vt cuum illa concurrat ad actum cognitionis, præter communem Philosophorum consensum, probatur 1. Quia iuxta D. Augustinum, cum quo omnes Philosophi, & Theologi conveniunt, *ab obiecto, & potentia paritur notitia*: ergo obiectum simul cum intellectu influit in notitiam, & cognitionem actualem, sed obiectum sæpè, non potest influere immediatè, propter distantiam, quam habet à potentia cognoscitiva: ergo influit medio alio ab ipso producto, & loco ipsius, cum potentia concurrente. Hoc igitur vocamus speciem impressam. Dices. Lucem medij concurrere ad visionem obiecti distantis Sed contra 1. Quia aër intermedius nocturno tempore est tenebrosus, & tamen videtur obiectum longincuum, si lucidum sit; ergo aliud datur principium visionis distinctum à luce medij. 2. Quia gratis fingitur in luce virtus activa visionis coloris.

2 Probatur 2. varijs exemplis, & experientijs. *Prima*. Quia quo magis distat obiectum à potentia, eo remisius videtur, & eo intensius, quo propinquius est: ergo aliquid, vt videatur producit in potentia, quod remisè producit dum distat, & intensè dum non distat: non alitèr, ac ignis maiorem,

aut minorem calorem producit in passo, iuxta maiorem, aut minorem approximationem, quam habet. Et confirmatur. Quia si inter obiectum, & potentiam ponatur corpus opacum obiectum non videtur: si ergo corpus interpositum non impedit, pervenire ad potentiam aliquid missum ab obiecto potentiæ, cur non videtur obiectum æquè, ac dum corpus medium non erat interpositum? Dicere autem vt volunt nonnulli, id reducendum esse in specialem naturam potentiæ, est parum phylosophicè discurrere, cum passit ratio experientiæ reddi his admissis speciebus.

3 *Secundò.* Quia obiectum à tergo positum videmus in speculo quod non fieret nisi ad speculum perveniret aliqua qualitas ab obiecto missa, quæ propter specialem dispositionem corporum, in quibus impingitur ad oculos reflectitur. *Tertia.* Potentia visiva, quæ propter sui debilitatem, aut obiecti distantiam, ipsum non videret, adhibitis perspicilijs, clarè videt. Item per tubum opticum Mathematici solem, & lunam, imò, & minutissimas stellas clarissimè distinguunt; sed huius ea sola potest esse ratio; quia qualitas ab obiectis immissa in eis corporibus recepta propter specialem dispositionem illorum intensior fit: ergo talis, qualitas admittenda est. Vide alias experientias tùm pro speciebus visus, tùm auditus apud Patrem Hurtado disput. 12. sect. 1.

4 Hinc rejicienda est sententia P. Linze asserentis, nullas esse species intencionales; sed visionem ideò fieri; quia ab oculis radij, & igniculi emittuntur, qui ad obiectum perveniunt, & ibi hausta horum imagine, iterum ad oculos redeunt ipsis quasi nuntiantes res, & obiecta, ad quæ pervenerunt. Sed hæc sententia non est admittenda. *Primò.* Quia contra communem iam Philosophorum consensum, quidquid sit de mente antiquorum, quos pro se adducit. *Secundò.* Quia inexplicabile est, quomodo illi igniculi hauriant noticiam obiecti, & eam potentiæ nuntient: siquidem omne, quod vitale est, repugnat radix, & igniculis non vitalibus; sed à potentia exire, iterfacere vsque ab obiectum, ibi eius naturam inquirere, eam notitiam in se asservare, postea redire ad potentiam, eique nuntiare naturam, & proprietates obiecti, sunt actiones vitales, seu propriæ viventium: ergo repugnant illis radiolis, & igniculis. *Tertiò*, præcipuè, Vel ipsi radij habent ex se virtutem iuvandi potentiam ad visionem, vel eam virtutem ab obiectis recipiunt? Si *primum*: ergo per sui informationem in potentia, se-

feclusso itinere ad obiectum, potentiam iuvabunt ad visionem. Si *secundum*: ergo ab obiectis aliquam accipiunt qualitatem, quæ cum radij illi redeunt ad potentiam, iuvat ad visionem; & ecce admittis iam qualitatem, quam negas. Probatur consequentia: radij illi ex eo, quod ad obiectum perveniant, non amittunt, nec immutant propriam essentiam: ergo si ab eo obiecto virtutem accipiunt iuvandi ad visionem, quam virtutem intrinsecè, & in se non habent, ideò est; quia ab obiecto accipiunt aliquam qualitatem, iuvantem potentiam, quam qualitatem vocamus speciem.

5. Obijc. 1. Nullum est fundamentum ponendi species: ergo ponendæ non sunt. 2. Si existerent species istæ, eas experiremur; sicut experimur alias qualitates; sed istæ species non cadunt sub nostram experientiam: ergo non existunt. Respondeo ad *primam*, fundamentum dari; nempè rationes, & experientias allatas à num. 1. Ad *secundam* respondeo. Plura admittenda esse, quæ non cadunt sub nostram experientiam, vt possimus dare rationem aliorum, quæ experimur: sic admittimus habitus, & substantiam, cum tamen ipsorum nullam habemus experientiam. Hæc de existentia specierum.

6. Circa ipsarum naturam. Dicendum est 1. Esse accidens de prædicamento qualitatis: tùm quia advenirent enti in suo esse completo: tùm quia non est fundamentum, vt dicamus, esse substantias. Dicendum est, 2. Non esse eiusdem naturæ cum obiectis. *Primò*; quia species albedinis, & nigredinis, existunt in eodem medio simul: cum tamen albedo, & nigredo nequeant simul existere in eodem subiecto. *Tertiò*; quia intellectus habens in se species hominum, & iumentorum, in se haberent formaliter homines, & iumenta, quod quis non rideat? *Quarto.* Expressa species, seu actualis cognitio non est eiusdem naturæ cum obiecto: ergo neque species impressa. Patet; quia species impressa præcisse ponitur, vt causet speciem expressam.

7. Dicendum est 3. Species non videntur, quando medijs ipsis videntur obiecta. Probatur conclusio experientia ipsa; alias sicut nullus negare potest se videre obiectum, ita negare non posset existere speciem, quod aliqui negant. Sed dices *Primò*: in speculo non sunt obiecta; sed species; & tamen

in illo obiecta videmus: ergo vel videntur species, vel species sunt eiusdem naturæ cum obiectis. *Secundò.* Quando lux per vitrum rubrum intrat, omnia è regione posita rubra videntur: sed ibi præcisse sunt species coloris rubri: ergo hæ species videntur. *Tertio.* Quando in cubiculo ingreditur lux, si hæc excipiatur in papyro, in ea videntur omnia, quorum species simul cum luce ingrediuntur; sed in papyro non sunt ea omnia: ergo solum sunt ipsorum species: ergo hæ videntur.

8 Ad *primum* respondeo, in speculo non videri species; sed obiecta; quia species talis sunt naturæ, vt dum à speculo repercussæ, propter ipsius tersitatem, & alias dispositiones reflectunt ad me, ab ea pars se repræsentant me, à qua incipiunt reflecti, & moveri versus me: ideò dum in fluvio video turrim, & arborem, eas video inverso ordine, quia videlicèt species reflexæ repræsentant obiectum, cum ea distantia, qua repræsentant species directæ: cumque species directæ repræsentent fundamentum turris, & radices arboris, vt aquæ propinquiores, quàm cacumina ipsarum, ideò species illæ dum reflectuntur, repræsentant fundamentum propinquiùs, & cacumen distantius. Hinc etiam sub aquis video Cœlum; quia species Cœli, dum reflectitur ex aqua, repræsentat mihi Cœlum cum ea distantia, quam species directa repræsentabat.

9 Ad *secundam*, repondeo eodem modo; non videri species coloris; sed species reflexæ me determinant, vt colorem quem repræsentant, videam à parte in qua ipsæ sunt, & reflecti incipiunt. Ad *tertiam* similitèr non video in papyro species rerum; sed ipsas res; quia à papyro incipit versus me reflexio specierum in ipsa papyro exceptarum: si autem roges, cur in speculo solum videatur obiectum per lineam rectam? cum tamen in alijs corporibus, in quibus fit reflexio à qualibet parte videatur, vt patet in rubro vitro, & in papyro, in qua à qualibet parte video obiecta? Dicendum est, id provenire ex diuersa dispositione corporum à quibus fit reflexio specierum: eadem enim, species hominis diversis speculis recepta, diversimodè repræsentat hominem per reflexionem, vt experientia constat.

10 Dicendum est. 4. Species non dici similitudines obiectorum, quia ipsæ sint imagines, & repræsentationes formales obiectorum siquidem non per ipsas; sed per cognitionem, ad quam de-

determinant obiectum formaliter repræsentatur potentiæ. Sed ideò solum imagines dici, aut similitudines; quia similes sunt obiectivis in virtute productiva cognitionis: quia tam, cum potentia producunt cognitionem, quam obiectum, si applicatum esset, produceret. Vndè. 1. Species ideò dicuntur *formæ sine materia* ; quia receptæ in potentia, & ipsi vnitæ concurruntur ad cognitionem obiecti, quod secundum suam entitatem non existit in potentia. Vndè 2. Dum dicitur : *nihil cognoscitur nisi à simili* , ita intelligendum est, vt nihil cognoscatur, nisi à potentia, in qua præcedat species obiecti, quæ similis obiecto dicitur in sensu explicato. Hæc de natura specierum.

11 Circa ipsarum causas. Dicendum est 1. Species sensuum externorum efficienter producuntur ab obiecto; aliæ immediatè, aliæ mediatè: immediatè producuntur, quæ existunt in aëre proximo obiecto: mediatè autem, quæ in medio distantiori; quia hæ sufficienter produci possunt ab speciebus existentibus in parte proxima obiecto agenti, vtpotè intensioribus. Si autem velis, obiectum immediatè concurrere cum speciebus intermedijs, ad alias distantiores producendas per totam spheram, vsque ad potentiam; id non renuam, imò hoc mihi probabilius est, juxta dicta disp. 3. de Generat. videlicet, agens principale concurrere cum effectu à se producto in partibus vicinioribus, ad alium producendum in partibus distantioribus. Hæ species in conservari, dependent ab obiecto. Probatur; quia ablato, aut remoto obiecto, nimis impeditur visio: ergo ideò est; quia deficiunt species. Si autem aliquando clausis oculis, aut remotò obiecto nobis videatur obiectum videri hoc, quidem, est phantasiæ error procedens ex vehementi apprehensione, & imaginatione visionis, & obiecti.

12 Dicendum est. 2. Causa efficiens speciei sensus interni, non est species sensus externi; nec coniunctum ex ipsa, & obiecto. Non sola species sensus externi. Quia hæc imperfectior est specie sensus interni; species, enim, sensus interni, perfectior debet esse specie sensus externi; sicut ipsa sensatio interna, perfectior est externa. Non coniunctum ex specie externa, & obiecto. Quia licet hoc totum coniunctum detur, si non fiat sensatio externa, non datur species interna: ergo coniunctum ex specie externa, & obiecto non est causa adæquata speciei internæ. Quare dicendum est 3. Causam adæquatam speciei sensus interni esse, vel sensationem externam solam,

vel coniunctum ex ipsa, & specie externa; & si placet, ex obiecto. *Prima pars* probatur. Quia sensatio externa perfectior est specie sensus interni: sed est immediatè applicata: ergo poterit adæquatè producere speciem in sensu interno. *Secunda pars* Probatur: quia licèt species externa sit imperfectior specie interna, coniunctum tamen ex illa, & sensatione externa, perfectius est: ergo poterit adæquatè producere illam speciem internam. Posse etiam obiectum inadæquatè concurrere, certum est: quia sufficientèr applicatur media specie externa ab ipso producta, & simul concurrente ad productionem speciei internæ. De causa efficienti speciei intelligibilis agemus lib. 2. disp. 1. sect. 1.

13 Dicendum est 4. Species, vt concurrat ad cognitionem cum potentia, non eget causa materiali, indiget tamen, causa materiali ex prædicato accidentis. *Prima pars* probatur quia species, ex sectione sequenti, est causa efficiens inadæquata visionis: sed, vt causæ duæ simul operentur inadæquatè: sufficit ipsarum applicatio localis, omni vnione, & receptione seclusa: ergo vt species efficientèr concurrat cum potentia non eget subiecto receptionis, ideoque, si à Deo conservaretur supernaturalitèr, applicata potentiæ absque receptione; & vnione eodem concursu, quoad substantiam concurreret, ac modo concurrit. *Secunda pars* constat. Quia omne accidens eget aliquo subiecto receptionis, vel saltem cui vniatur. Sed rogabis; ex prædicato accidentis, in quonam subiecto defacto recipitur species? Respondeo, recipi in corporibus intermedijs, inter obiectum, & potentiam, & in ipsa etiam potentia. *Prima pars* constat; quia alias obiectum ageret in distans, quin ageret in propinquum, quod naturalitèr impossibile est. Secunda pars etiam constat experientia, qua novimus potentiam cognoscitivam informari speciebus ab obiecto missis.

14 Difficultas tamen est. An recipiantur species in sola materia prima? An in ipsa anima etiam? Respondeo, vt adiuvent ad visionem, non requiratur, vt in anima recipiantur. Patet id. ex conclusione 4. Deindè ex prædicato accidentis species non exigit recipi in anima; quia titulo accidentis satisfit, si recipiatur in materia. Vlterius contra spiritualitatem animæ non est, quod in ipsa recipiantur species, vt patet ex dictis disp. præterita circa sensationes materiales: neque est contra materialitatẽ specierum; eas recipi in subiecto inadæquatè spirituali, vt etiam constat ex dictis

dictis eodem loco, & disp. Quare dico, omninò esse incertum: an in sola materia; an in anima, & materia recipiantur species? sed probabilius mihi videtur, in sola materia media quantitate recipi, neque in toto composito, alia recipi accidentia præter vitalia, iuxta dicta in physicis, & tract. 1. de Generat. disp. 1. Eodem modo philosophandum est de subiecto passivo specierum sensus interni.

SECT. II.

De concursu speciei impressa in cognitionem.

15 DIfficultas est, An species impressa efficientèr concurrat ad cognitionem, vt causa inadæquata ipsius: an præcisè se habeat, vt conditio applicans potentiæ obiectum cognoscendum? quæ quæstio eodem modo procedit de speciebus materialibus, ac de spiritualibus. Negant aliqui AA. quos pro se adducit P. Alphonsus disp. 7. sect. 2. cui RR. Aliqui subscribunt. Affirmant plures ab eodem relati, quibus adde Patrem Oviedo controversia 13. punct. 4. & RR. aliquos. Hæc sententia est, inter Nostros longe communior, ideòque,

16 Sit conclusio. Species impressa efficientèr physicè concurrit simul cum potentia ad cognitionem. Probatur 1. iuxta omnes, species est *semen obiecti*, hoc est semen ab obiecto missum potentiæ, vt pariat cognitionem, iuxta illud *ab obiecto, & potentia paritur notitia*: ergo species ita se habet respectu cognitionis, vt semen se habet respectu prolis generandæ: sed semen, iuxta omnes, efficientèr concurrit ad generationem prolis: ergo species efficientèr concurrit ad generationem cognitionis, quæ est proles obiecti. Deindè: species dicitur *substituta, & vicaria obiecti*, eamque agere vices, quas ageret obiectum, si esset immediatè applicatum potentiæ: sed si obiectum esset immediatè applicatum potentiæ efficientèr concurreret cum potentia ad cognitionem: ergo species immediatè efficientèr concurrit cum potentia ad cognitionem. Maior est certa. Probatur minor 1. Angelus A immediatè applicatus, imò penetratus cum Angelo B. potest immediatè impedire, pro sua libertate, quod cognoscatur ab Angelo B. vt commune est Theologis tract. de Angelis: ergo immediatè efficientèr concurrit ad cognitionem, qua cognoscitur ab Angelo B. Probatur consequentia: Immediatè impedire hanc cognitio-

nem, nihil aliud esse potest, quam, liberè non præstare concursum efficientem, quem præstare debet, vt cognoscatur: ergo si potest immediatè impedire cognitionem Angeli B. efficientèr concurrit ad cognitionem, qua cognoscitur ab ipso. Antecedens probatur. Immediatè impedire hanc cognitionem, non potest esse impedire applicationem ad potentiam intellectivam: nam, vt supponimus, est intimè præsens, & penetratus cum potentia Angeli B. & quidem, vt vires sumat maiores argumentum, supponamus, esse penetratum penetratione, quam ipse non posit impedire, sed solus Deus: quid, igitur, aliud potest præstare Angelus A. vt impediat cognitionem, qua cognoscatur ab Angelo B. nisi liberè non præstare in cognitionem concursum efficientem, quem liberè præstat dùm cognoscitur.

17 Dices: posse impedire aplicationem intentionem necessariam ad cognitionem, scilicèt, posse liberè non producere speciem, qua indiget Angelus B. vt ipsum cognoscat. Sed contra 1. Angelus non eget specie distincta, vt cognoscat obiectum sibi intimè præsens, vt veriùs reor cum pluribus id docentibus, ad tractatum de Angelis 2. species impressa, dicitur intentionalis applicatio, eo, præcisse, quod suppleat vices, quas obiectum non potest supplere, sua præsentia physica, propter distantiam, quam habet à potentia: sed Angelus B. intimè præsens potentiæ cognoscitivæ Angeli A. nullam habet distantiam supplendam per speciem: ergo non ideò potest impedire visionem; quia posit impedire applicationem intentionalem, applicationem inquam, identificatam cum specie; sed, quia concursus physicus immediatus potest impediri ab ipso 3. Quia mihi in intelligibile est, quo alio titulo, species, quæ non est expresiva obiecti, posit obiectum intentionalitèr applicare cognoscenti, nisi, quia physicè concurrat, vt latius dicam inferius.

18 Probatur eadem minor ex num. 16. dum Deus de facto concurrit ad sui visionem, qua videtur à Beatis, exercet immediatè vt obiectum, vices, quas exerceret species impressa sui, si media specie concurreret ad sui visionem: ergo species exerceret vices causæ efficientis. Antecedens est certum Theologis tractatu de Visione. Consequentia probatur. Si species non exercèret vices causæ efficientis, Deus nihil posset præstare, vt obiectum, loco speciei: ergo, si vt obiectum præstat vices speciei, species exerceret vices causæ efficientis. Antecedens probatur: non

non potest Deus vt obiectum præstare vices conditionis applicantis se intellectui Beati quia eâ species ad eas vices superflua esset essentialiter, cum Deus necessario; per suam Immensitatem sit intimè præsens intellectui Beati: ergo si species non exerceret vices causæ efficientis, nihil Deus, vt obiectum præstare posset, loco speciei.

19 Probatur 2. Conclusio cum P. Ouiedo Aii quod munus præstat defacto species impressa ad cognitionem, vt negari nequit à concedentibus has species: sed nullum potest præstare, nisi munus causæ efficientis: ergo defacto præstat munus causæ efficientis. Minor probatur. Non potest præstare munus causæ formalis, quod solum præstare posset casu, quo efficienter non concurreret: ergo nullum munus potest præstare, præter munus efficientis Antecedens probatur. Eatenus præstaret munus causæ formalis, quatenus per sui informationem illuminaret intellectum, & illi repræsentaret obiectum, vt ipsius obiecti imago; sed hoc non potest; quia illuminare, repræsentare, & esse imaginem proprium est solius cognitionis: ergo non potest præstare munus causæ formalis.

20 Dices 1. Concurrere in genere causæ formalis; quia per sui informationem, inclinat potentiam ad obiecti cognitionem, non secus, ac habitus acquisitus, absque concursu efficienti, per sui informationem, inclinat potentiam ad actus similes illis, ex quibus productus est. Sed contra. Nam habitus acquisitus non auget vires potentiæ, nec ipsi tribuit, posse producere actum; siquidem sine habitu, se sola produxit potentia primum actum, ex quo habitus primo est genitus: munus ergo habitus, non est physicè influere cum potentia in actum; sed solum potentiam facilitare, & expedire, vt promptè, vt expeditè agat id ipsum, quod ageret sine habitu se sola, licet cum aliqua difficultate. Hæc autem difficultas orta ex non vsu, seu non productione actuum huius, vel illius speciei, vincitur, & expellitur per vsum oppositum stantem in frequenti productione actuum, & loco illius difficultatis, producitur per frequentem repetitionem actuum facilitas apposita, quæ vocatur habitus, & quæ præcisse præstat expedire, & facilitare potentiam, quin physicè influat cum ipsa in actum. At potentia vi sua elicit non aliquando visionem obiecti, quin obiectum, aut eius species ipsam iuuet ad videndum? Minimè. Species obiecti datur potentiæ, vt faciliter

liter ipsam ad videndum, vel cognoscendum, vel adhoc vt *simpliciter possit* videre, & cognoscere obiectum? Certè ad hoc secundum. Nunc sic. Non ob aliam rationem tribuitur à Theologis, munus efficientis habitui infuso, in proprios actus, nisi, quia habitus infussus tribuit potentiæ, *posse* simpliciter ad tales actus: sed idem habet species impressa: ergo efficienter influit: nec eius naturæ sit satis per solam inclinationem, & facilitatem, quam, in genere causæ formalis præstat habitus acquisitus.

21 Dices 2. Concurrere in genere causæ formalis determinativæ, & inclinativæ ad cognitionem huius obiecti, potius quàm alterius: eo modo, & quo cognitio, sine concursu physico concurrit in genere causæ formalis, seu moralis ad amorem, & aprehensio concurrit ad iuditium; præmisæque formales ad assensum conclusionis; siquidem tàm determinatur potentia cognoscitiva ab specie, vt cognoscat obiectum hoc, vel illud, quam voluntas determinatur à cognitione ad amorem, intellectus ab aprehensione, vt indicet, & à præmisis formalibus, vt assentiat obiecto conclusionis. Sed contra 1. Quia cum intellectus, cum speciebus plurimum obiectorum simul, posit iam hoc, tantùm, iam illud obiectum cognoscere, vt experientia constat, speciem determinare illum ad cognitionem huius, & non illius obiecti; aliud non erit quā cum intellectu producere cognitionem huius obiecti, & non alterius. Diciturque ad hanc cognitionem determinare, non quia eo ipso, quod existat species debeat in cognitionem erumpere: sed quia species v. gr. hominis, talis est, vt non possit cum intellectu concurrere ad cognitionem alterius obiecti, quam hominis. Neque in alio sensu potest esse verum, speciē hominis determinare intellectum ad cognitionē hominis.

22 Contra 2. Quia ideo cognitio sine concursu physico potest cum voluntate concurrere ad amorem moralitè r, & vt intentionalis conditio, & applicatio obiecti amandi; quia cognitio exprimit bonitatem obiecti, ita vt per ipsam sit voluntas conscia meritorum bonitatis obiectivæ: qua cognitione posita, voluntas absque alia causa potest efficientèr determinari ad amorem huius obiecti, quatenus talis: at cum per speciem impressam non fiat potentia cognoscitiva formalitèr conscia obiecti, species non potest determinare moralitèr potentiam sicut potest cognitio determinare voluntatem. Quare species aliter con-

concursus, physicus scilicet, tribuendus est. Idem dicendum est de apprehensione, quæ formaliter exprimit intellectui veritatem iudicandam, & de præmissis, quæ formaliter proponunt intellectui obiectum conclusionis.

23 Objic. 1. Omnes formalitates cognitionis, videlicèt, quod sit cognitio, & quod sit talis obiecti, respondent potentiæ cognoscitivæ: ergo species non concurrit efficientèr, sed, vt mera conditio. Antecedens probatur: omnes formalitates amoris, videlicèt, quod sit amor, & quod sit talis obiecti, respondent voluntati: ergo omnes formalitates cognitionis respondent potentiæ cognoscitivæ. Confirmatur. Quia omnes formalitates amoris respondent voluntati, cognitio proponens voluntati obiectum amandum, non se habet vt cōprincipium physicum; sed vt conditio: ergo si omnes formalitates cognitionis correspondent potentiæ cognoscitivæ, species, non vt comprincipium, sed vt pura conditio se habebit. Respondeo negando antecedens. Ad probationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est; quia cum cognitio exprimat formalitèr voluntati bonitatem obiecti, electioni voluntatis tribuitur, quod amet tale obiectum: verum cum species non exprimat potentiæ obiectum, & intellectus non possit determinari ad tale obiectum cognoscendum, nisi media specie, non potest species alitèr iuvare ad cognitionem, nisi efficientèr concurrat: ideò formalitas cognitionis *talis obiecti*, respondet speciei; quia hæc formalitas exigit ab specie procedere, cum nullum aliud sit principium physicum ad ipsum determinatum. Hinc constat solutio ad confirmationem. Dices, vt cognitio tribuatur speciei, sufficit, quod species inclinet ad cognitionem; siquidem ex hoc solo capite actus tribuitur habitui, videlicèt; quia inclinat habitus ad actum. Respondeo ex dictis num. 20. & fusius dicendis sect. 4. Concesso antecedenti, negando consequentiam. Quia habitus non datur potentiæ, vt simplicitèr possit elicere actum (loquimur de habitu acquisito) sed vt facile eliciat actum ipsum, quem se sola, & sine habitu eliceret, licèt cum aliqua difficultate. At species datur potentiæ, vt simplicitèr possit obiectum cognoscere, cum omninò implicet, potentiam cognoscere obiectum, cuius nullam speciem habet, si aliundè obiectum non influit immediatè in cognitionem sui.

Objic.

24 Objic. 2. Nullum esse fundamentum dandi speciebus concursum effectivum physicum 3. Omnia prædicata actus cognitionis sunt vitalia: ergo non possunt procedere efficientèr ab specie non vitali. Ad *secundum*, fundamentum pro necessitate concursus effectivi speciei, sunt exposita, tota hac sectione. Ad *tertium*, insto in habitu supernaturali, qui vitalis non est, & efficientèr concurrit ad actum supernaturalem vitalem. Ideò respondeo, omnia prædicata cognitionis realitèr procedere à potentia vitali, & ab specie non vitali; sicut realitèr omnia prædicata actus supernaturalis, procedunt à potentia vitali, & habitu non vitali: at formalitèr omnia quatenus vitalia, exigunt procedere à potentia vitali, & quatenùs repræsentativa huius obiecti, exigunt procedere, ab hoc obiecto, quod sit media specie ab ipso missa, & loco ipsius efficienter concurrente.

25 Objic. 4. si species non concurrit in genere causæ formalis cum potentia; sed efficientèr: ergo possibilis erit aliqua potentia, quæ virtutem habeat cognoscendi sine specie, cur enim repugnabit potentia, quæ identificet secum activitatem speciei? Respondeo concedendo consequentiam, in qua absurdum non video: imò de facto anima separata, & Angelus, iuxta plures, se cognoscunt absque intermedia specie. Quod si anima pro hoc statu non cognoscit sine specie, ideò est quia pro hoc statu, purè abstractivè cognoscit substantias, ad similitudinem rerum materialium, quas percipit per sensus. Ad calcem observa, speciem, iam dici se tenere ex parte potentiæ, iam ex parte obiecti. Primum est verum, quia complet, vt virtus inadæquata principium productivum cognitionis. Secundum est verum etiam quia est principium operans nomine obiecti, quasi substitutum, & vicarium ipsius.

SECTIO III.

De Indivisibilitate, & divisibilitate specierum.

26 Difficultas est: An species, quibus obiectum divisibile repræsentatur sit indivisibilis, aut divisibilis, pro diversitate partium obiecti? Et claritatis gratia; ponamus obiectum habere quatuor partes extensionis, & in qualibet parte habere quatuor gradus intensionis albedinis. Hoc posito duplex est difficultas. *Prima.* An omnes partes extensionis illius obiecti, videantur per speciem vnicam, & indivisibilem, indivisibilitèr procedentem ab omnibus partibus obiecti; vel an videatur, per quatuor species,

cies,

cies, quarum qualibet, à quali bet parte extensionis obiecti procedat, & eam solam repræsentet, quæ, proindè, species dicetur divisibilis obiectivè. *Secunda*. An omnes partes albedinis constituentes eam intensionem, videantur per speciem indivisibilitèr procedentem ab omnibus; An verò divisibilitèr, ita vt quælibet pars intensionis, per speciem tantùm ab ipsa emissam, videatur?

27 Pro solutione, notandum est. 1. Non omnes species, ab eodem obiecto procedentes, esse æquales in intensione; sed alias esse intensiores alijs. Patet; nam idem obiectum à longe vissum, remissè videtur, & propè vissum, videtur clarius, quod provenire non potest, nisi ab intensiori, & remissiori specie. Noto 2. Species materialitèr esse divisibiles dibisibilitate subiectiva, seu extensiva. Quia recipiuntur in subiecto materiali divisibili, & forma subiectata in subiecto, cum subiecto proporcionatur quoad locum. Noto 3. Defacto species materiales non solum producuntur à subiecto in potentia, sed in aëre intermedio: nam, experientia constat à qualibet parte aëris videri obiectum, quod contingere non posset, si ibi non produceretur species. His positis.

28 Dico 1. Partes extensionis obiecti non producunt indivisibilitèr species repræsentantes ipsas; sed quævis pars obiecti producit partem speciei, quæ ipsam tantùm repræsentat, ita vt pars speciei producta à parte B. non producatur à parte A, neque pars A videatur per speciem productam à parte B. ita P. Suarez lib. 3. de Anima cap. 2. P. Hurtado disp. 12. sect. 1. Pater Arriaga disp. 4. sect. 7. P. Oviedo controv. 13. P. Izquierdo disp. 1. Phar. quæst. 2. P. Alphonsus disp. 7. sect. 5. Et plures RR. cum Spinula, Pontio, & alijs. Probatur 1. ex P. Izquierdo. Dum sunt intra cubiculum, non videò totum obiectum quoad extensionem, quod viderem ex cubiculi fenestra. Est evidens. Sed si omnes partes obiecti viderentur per eandem speciem, intra cubiculum existens, viderem totum obiectum, quod ex fenestra video: ergo omnes partes extensionis obiecti non videntur per eandem speciem. Consequentia est legitima. Minor probatur. Species, quæ est iuxta fenestram, vtpótè semen obiecti, per ipsam repræsentati, productiva est alterius speciei sibi similis intra cubiculum, ipsamque defacto producit: sed ea species est repræsentativa omnium partium extensionis obiecti; non alitèr ac species à qua procedit: ergo media illa specie, totum obiectum, quod

quod ex fenestra video, viderem intra cubiculum, licet non adeò clarè, propter nimiam distantiam, quod est contra experientiam manifestam.

29 Respondent RR. cum Cardin. Toleto lib. 2. cap. 2. quæst. 34. & PP. Conimbr. cap. 7. quæst. 5. Obiectum concurrere cum specie existenti in parte sibi proxima ad producendam aliam in parte distantiori, ita, tamen, vt obiectum, nunquam concurrat ad producendam speciem nisi in loco à quo, ad ipsum obiectum posit duci linea recta. Inde deducunt, quod obiectum intra cubiculum, non producit speciem repræsentantem totum obiectum, quod ex fænestra videtur; quia, videlicèt, ab interiori parte non potest duci linea recta, ad tot partes obiecti, ad quas potest duci ex fenestra. Sed contra 1. Hæc solutio, apud plures ex Adversarijs, locum non habet; quia iuxta ipsorum doctrinam, obiectum non concurrit cum specie existenti iuxta ipsum ad producendam aliam similem in parte distantiori, sed sola species propinquior, est causa adæquata illius: ergo species existens in fenestra, produceret intra cubiculum aliam similem, licèt remisiorem: ergo ex interiori parte cubiculi videbo idem obiectum, quod ex fenestra, & quoad omnes eius partes, licèt remisiori visione.

30 Contra 2. Admisso, obiectum, cum specie intermedia concurrere, ad producendam aliam in ea parte solum, à qua ad ipsum obiectum, potest duci linea recta, arguo sic: ergo dum in cubiculo moveor versus fenestram, cum in quolibet puncto motus aliquam novam partem obiecti videam, in quolibet puncto est necessaria visio adæquatè distincta, à prima, distinctaque adæquatè species procedens ab omnibus partibus obiecti, ad quas tunc potest duci linea recta. Est certum, sed, hoc mihi incredibile apparet. 1. Quia si partes obiecti ab interiori parte cubiculi visæ, potuerunt absque concursu aliarum speciem sui producere, cur eam non producunt sine aliarum concursu, dum simul cum alijs videntur? 2. Dum Sol in oriente incipit apparere, producet in quovis instanti novam speciem sui, priori destructa, cum in quolibet instanti aliqua pars Solis denuò appareat: quod sanè nescio, quo fundamento dicatur.

31 3. Quia in quolibet instanti destruetur adæquatè vna, & producetur nova alia species adæquata repræsentans totum Cœlum, quod in hoc Emispherio videtur. Praetermam cum Cœlum sit in continuo motu, nullum est instans in quo aliqua pars non appareat de-

denuò; & alia se occultet: ergo tot sunt actiones totales productivæ specierum Cœli, totque species adæquatè distinctæ, quot sunt instantia in quolibet die. Vrgetur. Quia ad varietatem cuiuslibet partis Cœli, non solum producitur nova species ipsius in oculis; sed in omnibus partibus medij, à quibus ea pars Cœli videri potest: ergo in quolibet instanti erunt ferè infinitæ species adæquatè distinctæ, item propè infinitæ actiones totales: sed adeò ingens multiplicatio entitatum vitanda est iuxta Philosophiam rectam: ergo non videtur obiectum per speciem indivisibilem obiectivè. Dices: vt vitandam nō esse; quia ratio pro sententia opposita, id convincit. Sed contra. Negari non potest, rationes sententiæ oppositæ probabilitèr solvi ab AA. nostræ sententiæ, & in re adeò difficili, quævis probabilitas sufficit, ne tantum absurdum devoremus. Qua autem ratione, rationes oppositæ solvantur, videvimus infra.

32 Probatur 2. nostra conclusio. Si species obiecti divisibilis indivisibilitèr præcederet ab omnibus partibus obiecti, tàm clarè viderentur partes remotiores obiecti, quam propinquiores; sed hoc & contra experientiam: ergo species obiecti divisibilis extensivè, non est indivisibilis. Maior probatur. Tùnc duo obiecta æquè clarè videntur; quando eadē est species repræsentativa vtriusque, & in eadem intensione pervenit ad potentiam: sed, iuxta vos, eadem est species repræsentativa partium proximiorum, & remotiorum obiecti, cum omnes per indivisibilem concursum vnicam, & indivisibilem speciem producant in potentia vt videantur: ergò æquè clarè videntur partes propinquiores, & remotiores obiecti. Omissa solutione aliquorum, rectè à P. Alphonsò impugnata disp. 7. num. 71.

33 Respondent RR. clarius videri partes propinquiores quam remotiores; quia licèt species sit vnica omnium, clarior est respectu propinquiorum, quam remotiorum, saltim virtualitèr: vt cognitio indivisibilis duplicis obiecti clarior est, sæpè, respectu vnius, quam, respectu alterius, imò respectu alterius solet esse confussa. Sed contra. Exemplum non est ad rem: nam cum cognitio procedat ab specie prævia impressa, ea cognitio, quæ procedat ab specie remissa respectu vnius obiecti, & intensa respectu alterius, erit clara respectu vnius obiecti, & obscura respectu alterius, propter inæqualitatem principiorum in munere causandi: at cum species impressa immediatè ab obiecto procedat, & æquè immediatè ab vna parte, quam

bipalmare, & medietatem ipsius aliquo corpore cooperiri. Tunc sic. Ex opposita sententia sequeretur, medietatem non coopertam clarius videri, dum alter erat nō cooperta: sed hoc est contra ocularem experientiam: ergo non videtur illud obiectum per speciem indivisibilem ab omnibus eius partibus procedentem. Minor Probatur. Quia dum altera medietas discooperitur, species repræsentativa huius procedit ab hac, & altera medietate: ergo intensior est, quam erat altera species; siquidem multitudo agentium iuvat ad agendum: sed dum intensior est species obiecti, clarius videtur obiectum: ergo medietas obiecti non cooperta clarius videtur, dum discooperitur altera. Dices: id non evenire, quia licèt species sit intensior, cum per eam pluribus partibus attendat potentia, neutram clarius videt, quam si seorsim illas videret iuxta illud: *pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Sed contra. Quia nihil obest, quod intendat pluribus, dum intendit cuilibet per speciem perfectiorem, & intensiorem: siquidem claritas visionis cuiusvis obiecti commensuratur cum intensione speciei, nisi aliunde detur defectus, & divisibili potentiæ.

37. Probatur 4. Ponamus obiectum bipalmare aliam medietatem habere nigram, & aliam albam. Tunc sic: totum illud obiectum videtur, vt patet, & tamen non potest vtraque medietas indivisibilitèr concurrere ad speciem producendam. Nam album non producit speciem repræsententativam nigri, neque è contra: ergo partes corporis divisibilis non videntur per speciem indivisibilem; sed quævis pars producit suam partem speciei, vt videatur. Respondent: rectè posse album, & nigrum eandem speciem producere: sicut possunt species albi, & nigri existere in eadem parte subiecti. Sed contra 1. Frigiditas producta ab aqua, & calor ab igne, possunt in gradibus remissis existere in eadem parte subiecti, iuxta omnes: ergo poterunt aqua, & ignis per indivisibilem concursum producere frigiditatem, aut calorem. Negabis consequentiam, & bene; ergo ex eo, quod species albi, & nigri possint existere in eadem parte subiecti, non rectè arguitur indivisibilitèr posse producere album, & nigrum eandem speciem. Contra 2. Quia sine fundamento datur albedini virtus intrinseca producendi speciem repræsentativam nigredinis, aut è contra; alias eadem licen-

tia poteris dicere, frigus, & calorem, dum applicantur sensui producere sensationem vtriusque per indivisibilem concursum, sivè immediatè concurrant cum potentia ad sensationem, sivè media specie impressa ab vtroque producta, quod incredibile est. Mitto alias rationes videndas apud AA. nostræ sententiæ.

38 Objic. 1. Eo clarius videntur obiecta, quo plures partes habent extensionis: ergo omnes indibisibilitèr concurrent ad producendam speciem. Antecedens patet experientia. Consequentia probatur. Quia si non operantur indivisibilitèr, sed quævis pars suam speciei partem producit, nihil prorsus conducit multitudo partium, vt obiectum clariùs percipiatur. Confirmatur 1. Omnes partes extensionis caloris indivisibilitèr concurrunt ad producendum calorem ex dictis disp. 3. de Generat. ergo indivisibiliter concurrunt partes extensionis obiecti ad producendam speciem. Confirmatur 2. Quia incredibile apparet, minimam partem stellæ in tanta distantia producere speciem sui vsque ad terram: ergo omnes partes stellæ indivisibilitèr concurrant ad producendam speciem. Confirmatur 3. Quia cum quælibet pars extensionis Cœli, videri posit ex qualibet parte medij, quælibet pars Cœli producerer innumeras species sui, quod videtur absurdum.

39 Ad argumentum respondeo: clariùs videri objectum, quo plures partes habet, non quia indivisibilitèr concurrant; sed quia species cuiusvis partis eget consortio alterius, tanquam conditione, vt determinet potentiam ad visionem similem visioni illius, vt sic loquar. Itaquè quævis pars v. g. quodlibet granum tritici speciem mittit vsque ad potentiam; si tamen non coniungatur cum alijs, non adeò immutabitur potentia, ac si cum alijs coniungatur. Sic *Primò*: Punctum quantitatis insensibile per tactum, sensibile fit, si cum alijs coniungatur. Sic *secundo*: Parvus impulsus, qui parum, aut nihil immutat potentiam, sensibilitèr eam immutat, si cum alio etiam levi, impulsu coniungatur. Sic *tertio*. Multitudo extensionis partium non continuatarum, iuvat, vt quælibet pars clarius videatur, vt constat experientia, & tamen non producunt indivisibilitèr speciem sui: ergo neque partes extensionis continuæ probantur, indivisibilitèr producere speciem sui, ex eo quod clarius videantur omnes, quam si quælibet seorsim existeret. Sic *quartò*. Dispositio materiæ pedis, conditio est, vt pars animæ ca-

pitis caput informet, imò conditio est, vt anima capitis debeatur dispositioni capitis (loquor de anima materiali) & tamen divisibilitèr disponunt materiam: ergo similitèr species partis B. erit conditio, vt species partis A, immutet potentiam ad sui visionem, licèt talis species divisibilitèr procedat ab his partibus.

40 Ad primam confirmationem, disparitas est. Nam pro indivisibili concursu caloris ad producendum calorem, stat experientia, qua constat, maiorem effectum produci ad præsentiam plurium partium: neque contraria est aliqua ratio; at contra indivisibilem concursu obiecti ad speciem stat ratio, videlicèt; quia cum species repræsentativa sit obiecti, à quo procedit, si ab omnibus producerctur indibisibilitèr, æqua claritate repræsentaret, & media ipsa viderentur æquè omnes partes obiecti, quod est contra experientiam. Ad secundam, nego assumptum: imò id ita accidere, vltra dicta, sic probatur. Quia per tubum opticum, vt observat P. Izquier. o, aliqua corpora Cœlestia videntur, quæ exiguitate, & distantia sui non videntur, secluso tubo optico: ergo ea corpora mittunt species sui que ad tubum, ac per consequens, vsque ad potentiam: ergo idem accidet in quavis parte minima stellæ. Ad tertiam, concedo sequelam, quæ absurda non est, vt probatur rationibus factis, imò maiorem, & absurdiorem multiplicitatem specierum concedenda est in opposita sententia, vt probatum est supra num. 31.

41 Objic. 2. Ex nostra sententia sequeretur, nullam partem obiecti, habere determinatam sphæram activitatis, quod est contra naturam agentis. Probatur sequela. Quævis pars obiecti poterit videri in maiori, & maiori distantia, si coniungatur cum alijs partibus mittentibus speciem sui: sed nulla est pars obiecti, cui non possuit adiungi aliæ, & aliæ partes in infinitum: ergo quævis pars obiecti poterit videri, in maiori, & maiori distantia in infinitum, quod est non habere sphæram determinatam activitatis immutativæ potentiæ. Respondeo. Quamvis partem habere sphæram determinatam activitatis immutativæ potentiæ, vt ipsam discerniat, si sola existat, vt constat experientia; quod autem non habeat sphæram determinatam activitatis in visionem non discretivam ipsius, quam cum alijs potest in maiori, vel in minori distantia de-

determinare absurdum non est. Vndè provenit, quod obiecta longe distantia, licèt diversi coloris omnia videantur à potentia, quin discernat ipsorum speciales conditiones, & colores; sed solum rationem quandam omnibus communem: vti accidit, cum à longè videmus monte, quin discernamus, an sit plenum arboribus;an alijs rebus. Quando, tamen, omnia obiecta sunt eiusdem conditionis V. g. alba, omnia videntur alba à potentia visiva solum discernente albedinis mollem, vt cum videmus nivem montibus insidentem.

42 Objic. 3. In quavis parte medij, sunt penetratæ partes specierum correspondentes omnibus partibus obiecti: ergo vnitæ sunt, & intensionem constituunt; quia accidentia eiusdem rationis, debent in eodem subiecto existere vnita: ergo in qualibet parte aëris, dabitur ingens intensio specierum. Respondeo, eas partes speciei non constituere intensionem, neque vniri inter se: sunt, enim accidentia diversæ rationis. Tùm, quia quælibet est repræsentativa diversæ partis obiecti. Tùm, quia quævis potest alteram producere per diversam lineam. Et confirmatur solutio, quia ex hoc solum capite duplex cognitio diversi obiecti simul existens in intellectu; non constituit intensionem cognitionis.

43 Pro solvendis alijs observa 1. Potentiam visivam non videre omnes partes obiecti per eandem visionem indivisibilem; sed per visiones partiales, quarum vna procedat ab speciebus receptis in vna parte potentiæ, alia ab speciebus receptis in alia: illæ tamen visiones adintegrant vnam visionem adæquatam repræsentantantem obiectum, vt vnum. Quia quælibet illarum visionum repræsentat obiectum in eadem distantia, & per lineam rectam. Si autem aliquando obiectum apparet multiplex, ideò erit, quia propter dispositionem talem, vel talem oculorum species mittuntur ab obiecto per lineas inæquales: quo fit, vt in vna parte oculi, obiectum repræsentetur versus vnam partem, & in alia idem obiectum repræsentetur versus aliam: ita accidit, dum vno oculo demisso pupilla alterius attollitur. Observa. 2. In nulla parte oculi dari species, nisi earum solùm partium obiecti, à quibus duci potest linea recta, ad ipsam oculi partem, in qua oculi parte, tantum fit visio earum obiecti partium, quod rectè probat P. Izquierdo vbi supra numero 26.

Ob-

44 Observa 3. species intelligibiles spirituales, de quibus lib. 1. disp. 1. agemus esse indivisibiles subiectivè: quia recipiuntur in anima indivisibili. Vlterius: species intelligibiles relictæ ex actibus spiritualibus in memoria intellectiva, non solum sunt indivisibiles subiectivè, sed etiam obiectivè: quia proportionantur cum actibus spiritualibus, à quibus procedunt, qui actus indivisibiles sunt omninò, & intensione, propriè sumpta carent ex dictis Tract. 1. de Generat. At species intelligibiles, quæ immediatè procedunt à phantasmatibus, si fortè tales species dãtur, de quo lib. 2. disp. 1. divisibiles sunt obiectivè; quia phantasma, à quo producitur, divisibile est. Quod vlterius constat: quia quando corpus paulatim mihi apparet, succesivè habet intellectus à phantasmatè species partium obiecti, ne dicamus, dum denuò pars aliqua apparet, destrui totam speciem antecedentem, & aliam gigni, ad quod non est fundamentum.

45 Dico 2. Species repræsentantes intensionem qualitatis obiecti, divisibilitèr procedunt à partibus intensionis ipsius. Probatur: Quia alias ad destructionem cuiuslibet gradus intensionis albedinis, tota species præcedens corrumperetur, & produceretur alia adæquatè distincta: ad quod non invenio fundamentum. Dices: fundamentum id esse, scilicet; quia si qualibet pars intensionis v. g. gradus A produceret speciem sui tantum repræsentativam, ea species esset tàm intensa in parte distantiori, ac in proximiori obiecto; sed hoc est contra experientiam: ergo non producit quælibet suam partem speciei. Minor probatur: quia species partis A producta in parte proxima obiecto, est productiva alterius similis in parte sibi immediata, & sic vsque ad potentiam: ergo tàm intensa esset ea pars in parte distantiori, ac in minus distanti ab obiecto. Sic objicit Pater Izquierdo, & cum eo RR.

46 Sed insto. Pone omnes partes intensionis indivisibilitèr producere speciem sui in parte proxima ipsis, & arguo sic. Ea species est productiva alterius similis in parte immediata, & illa alterius in parte immediata, & sic vsque ad potentiam: ergo species indivisibilitèr procedens à partibus intensionis, æquè intensa erit in parte distantiori, ac in minus distanti ab obiecto. Respondeo ergo: speciem productam à qualibet parte intensionis suam habere intensionem; sicut habet, apud Adversarios, species producta ab omnibus partibus. Deinde eam speciem in parte immediata parti, à qua

procedit esse intensiorem, & immediata minus intensam, & minus intensam mediatiori, & mediatiori, vsque ad potentiam: quia species producta in parte immediata agenti non potest producere tantam intensionem, quantam habet, licèt iuvetur agente principali, in passo non penetrato, vt ductum est tract. 11. de Generat. Vndè actio intensiva, & productiva speciei decrescit decremento proportionato ad distantiam, quam species habet respectu partis intensioris, à qua procedit: non alitèr ac iuxta oppositam sententiã decrescit intensio speciei productæ ab omnibus partibus intensionis.

SECTIO IV.

De Habitibus tàm acquisitis, quam infusis iuvantibus potentias ad actus.

47 Disputationi præsenti de speciebus placuit addere nonnulla de habitibus, inter quos, & species tanta affinitas est, vt plurium AA. sententia realitèr identificet speces cum habitibus acquisitis, plura de habitibus disputari solent: non vtiliora solum brevitèr attingemus. Igitur habitus acquisitus est *qualitas permanens per se relicta in potentia ex repetitione activum, eam facilitans ad productionem similium.* Est qualitas *permanens*, vt patet in Citharedo, in quo manet habitus, & facilitas pulsandi, etiam dum actu non pulsat. Dicitur *per se relicta in potentia ex repetitione actuum*: nam actus à potentia procedentes per se, & necessario producunt in ipsa qualitatem hanc, qua habilior, & expeditior manet ad operandum. Quod autem prędicta qualitas ab actibus producatur inde patet, quia quo plures actus alicuius virtutis elicimus eo faciliores, & expediores reddimur ad alios actus eiusdem virtutis eliciendos: cum ergo ea qualitas ad præsentiam actuum producatur, & eo plus intendatur, quo plures, & plures actus eliciuntur, eius productio actibus tribuenda est, in quibus nulla improportio reperitur ad productionem habitus. Et confirmatur. Nam, vt omnibus in confesso est, actus habent virtutem producendi speciem sui in potentia capaci operandi ex speciebus ergo habent etiam virtutem producendi habitum in potentia capaci operandi ex habitu. Dicitur facilitare hanc qualitatem *ad productionem actuum similium*. Nam experientia ipsa noscimus, per crebram repetitionem actuum alicuius virtutis, vel vitij reddi nos faciles ad actus illius virtutis, vel vitij, & non alterius dissimilis. Imò, vt benè Div. Thomas 2. 2. quæst.

149.

149. art. 2. intra eandem virtutem sæpè reperiuntur diversæ facilitates, & habitus acquisiti propter dissimilitudinem actuum talis virtutis; ideò circa abstinentiam diversa est facilitas abstinendi à cibo à facilitate abstinendi à potu, & illa potest existere sine ista. Explicata definitione habitus acquisiti, circa ipsum.

48 Rogabis *primo*. An habitus acquisiti distinguantur realitèr ab speciebus impressis? Negat P. Oviedo controv. 14. punct. 3. cum alijs ex Antiquis, & RR. Sed longe communior, & verior sententia est affirmativa. Et probatur 1. Nam habitus ex conceptu suo est facilitas producta ab actibus; sed species impressæ (si species memorativas excipias) non producuntur ab actibus, sed ab obiectis: ergo habitus realitèr distinguuntur ab speciebus. 2. Nam species necessario determinant ad actus per id præcisè quod informent potentias capaces operandi ex speciebus, vt patet in potentia visiva, quæ necessario elicit visionem dum primo informatur specie obiecti; in memoria intellectiva, quæ necessario recordatur obiecti antea cogniti dum primò excitatur species memorativa; & idem reperies in quavis potentia, quæ per species operetur. Sed habitus non determinant necessario ad actus per id præcisè, quod informent potentiam capacem operandi ex habitu; siquidem solùm habent, inclinare potentiam, ad actus, quin ipsis aliquam necessitatem imponant, vt videre est in habitibus vitiosis, qui voluntatem inclinant, sed non necessitant ad actus pravos, alioquin non essent liberi. Ergo. 3. Nam in Christo Domino sunt species memorativæ, & perfectissimæ cognitiones de nostris peccatis: & tamen in Christo neque sunt, neque esse possunt habitus vitiosi inclinantes ad peccandum: ergo.

45 Dices. Habitum non identificari cum qualibet species de peccato, sed cum specie experimentali, quæ producitur ab ipso actu pro impotentia peccantis, cumque talis species experimentalis non detur in Christo, non datur in ipso habitus acquisitus visitiosus: Sed contra. Quia in pluribus Beatis dantur species experimentales peccatorum, quæ in hac vita commiserunt: at in Beatis non datur vllus habitus visiosus, vt concors est TT. sententia: ergo. Probatur 4. cõclusio. Nam species, etiam experimentales, intenduntur per crebram repetitionem cognitionum de peccato præterito: sed habitus vitiosi non intenduntur per repetitionem cognitionum, sed per repetitionem volitionum, & actuum peccandi,

di, vt patet in sene iusto, qui ex consuetudine, & crebra recordatione peccati, in iuventute commissi habet in memoria vividam speciem illius, quin in ipso detur vllus habitus intensus, aut remissus peccandi: ergo species, etiam experimentalis, non est habitus. Denique probatur 5. Nam habitus vitiosus expellitur à potentia per habitum virtutis oppositæ: v. g. habitus gulæ, & intemperantiæ per habitum temperantiæ, & è converso. Sed species non expellitur per aliam speciem, siquidem, iuxta communem, & veram philosophiam, species carent contrario, & experientia docet in eadem potentia existere simul species intensas albedinis, & nigredinis, aliarumque rerum contrariarum: ergo expellitur habitus manente specie, ac proinde distinguntur realitèr.

50 Rogabis *Secundo:* An habitus acquisiti influant physice, & efficientèr in actus? Affirmant communitèr Thomistæ, & plures ex nostris cum Fonseca in metaph. disp. 9. cap. 5. quæst. 4. P. Suarez. disp. 44. metaph. sect. 5. Oviedo controv. 14. part. 4. Carlerön disp. 29. sect. 3. Negat Scotus, quem citat P. Suarez vbi supra, & quem sequuntur Aureolus, Durandus, & plures ex nostris cum P. Vazquez 1. 2. disp. 83. cap. 2. Vterque Hurtado: Complut. tract. de Act. hum. difficult. 11. & Salmant, disp. 17. de Anima sect. 7. Hæc. sententia verior est, & probtaur 1. Habitus acquisitos efficientèr influere in actus est proculdubio perfectio, quæ habitibus tribui non debet sine vrgenti fundamento: sed nullum fundamentum est ad tribuendam hanc perfectionem habitibus acquisitis: ergo non influnt efficientèr in actus. Minor probatur. Nam vnicum fundamentum oppositæ sententiæ est purè negativum, nempè difficile assignari posse munus, quod habitus exerceant in potentiam, nisi tribuendo ipsis virtutem activam, qua simul cum potentia influant in actus: ergo, si assignetur habitibus aliud munus ipsis proportionatum, distinctum ab influxu physico in actus, ruit fundamentum oppositæ sententiæ, & vrget ratio nostra de non multiplicatione perfectionum sine necessitate. Sed munus proportionatum habitibus acquisitis est expedire, facilitare, promptiorem, & habiliorem reddere potentiam auferendo ab ipsa per sui informationem difficultatem quam prius habebat ortam ex non vsu; seu ex non productione actuum huius, vel alterius speciei, quæ difficultas proculdubio aufertur, per oppositam facilitatem ortam ex vsu, & frequenti productione actuum: ergo, citra omnem phy-

physicum influxum in actus, sufficiens munus assignatur habitibus.

51 Probatur 2: Ponamus, voluntatem elicuisse plures actus alicuius virtutis, vel vitij, quibus acquisivit habitum, & facilitatem ad vlteriores actus eiusdem speciei eliciendos; & quod, dum voluntas se determinat ad novum actum illius speciei, impediat Deus, vt potest, influxum physicum habitus acquisiti in talem actum. Nunc sic. Voluntas in hoc casu se sola produceret eum actum sine physico influxu habitus: nam si primum actum illius speciei se sola producit nullo existente habitu in ipsa, potiori titulo producet nunc quando informatur habitu, licet hic impediatur ab influxu partiali in actum. Sed voluntas in prædicto casu facilius, & expeditius produceret actum, quam si habitus non existeret in ipsa: ergo, secluso omni influxu physico habitus, præstat hic voluntati suum munus, & effectum formalem eam facilitandi ad actus. Minor probatur. Habitus ille, impeditus ab influxu per sui præcise vnionem ad voluntatem excludit ab ipsa in genere causæ formalis difficultatem, quam haberet, si nullum actum eius speciei elicuisset, nullumque proinde acquisisset habitum. Sed voluntas operans sine difficultate ad actum, quem elicit, facilius, & expeditius producit actum, quam si cum ea difficultate ipsum produceret, vt ex terminis videtur notum: ergo.

52 Vbi adverte 1. Habitum acquisitum exercere totum suum munus in potentia, quam inosrmat independenter ab eo quod producatur, vel non producatur actus, ad quem facilitat: nam licet potentia nunquam vlterius producat actum illius speciei, cuius est habitus, erit facilis ad operandum in ipsa speciei per id præcise quod informetur habitu illius, vt patet in Citharedo, qui licet nunquam pulset, est facilis, & expeditus ad pulsandum quandiu in ipso permanebit habitus. Adverte 2. Effectum, quem potentiæ præstat habitus, non esse purè negativum excludendi ab ipsa difficultatem, qua prius operabatur: effectus enim primarius habitus, qui per suam essentiam est *qualitas facilitans* est positivè facilitare potentiam, cui vnitur, & ex hoc primario effectu oritur secundarius expellendi difficultatem oppositam. Adverte 3. Causalitatem, quam habitus acquisitus exercet in actus, ad quos facilitat potentiam reducendam esse ad genus causæ efficientis moralis, quatenus habitus informando potentiam, eamque facilitando, & expediendo ipsam inclinat ad producendos alios actus suæ spe-

speciei. Admodum quo causalitas, quam preces exercent erga rem petitam, reducitur ad efficientiam moralem quatenus preces (secluso omni influxu physico ipsarum (habent vim inclinandi voluntatem, vt ipsis annuat, & concedat rem petitam. De hac efficientia morali intelligenda sunt, quæ diximus in Log. num dist. 1. vbi habitui definiendi tribuimus influxum efficientis in definitionem.

53 Sed objicies Aristotelem appellantem habitus *activos, & factivos*: ergo ipsis debet tribui vera activitas, qualis solum est activitas physica. Confirmatur 1. Nam habitus infusus influit physicè, & non purè moraliter in proprios actus: ergo etiam influit physicè, & non purè moralitèr in proprios habitus acquisitus. 2. Nam sine influxu physico non benè intelligitur, qua ratione potentia informata habitu faciliùs eliciat actum; & magis propendeat in ipsum; quam si habitus deficeret. Hæc levia sunt. Ad obiectionem respondeo: Aristotelem, vt ex ipso constat, & in Log. diximus, appellare habitus *activos*, eos, qui dirigunt ad operationes internas, vt prudentia: *factivos* verò eos, qui ad opera externa inclinant, vt architectura. Sed quid hoc ad causalitatem physicam, vel moralem habituum in proprios actus?

Ad confirmationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est apperta. Nam habitus infusus, iuxta omnes nō datur potentiæ, vt ipsam facilitèr ad actus; sed vt potentiam prius incompletam, & se sola impotentem producere actus supernaturales, simplicitèr compleat, & ipsi tribuat posse eos actus producere: vndè ex potentia, & habitu infusso conflatur adæquatum principium actus supernaturalis. Habitus verò acquisitus advenit potentiæ completæ, & se sola potenti producere actus illius speciei cuius est habitus: imò non advenit, quousque potentia iam produxerit primum actum, ex quo generatur habitus, quare eius munus præcisse est potentiam reddere faciliorem, quam antea erat, & ipsam inclinare ad vlteriores actus suę speciei producēdos, & hoc totum stat sine vllo influxu physico habitus in actum imò quin potentia vllum alium actum illius speciei producat.

54 Ad 2. confirmationem: dico, quidquid sit an adversarij intelligant, vel non, nos sicut benè intelligimus totum munus cognitionis esse, reddere potentiam cognoscentem, quin cognitio influat physicè in amorem totum munus præmissarum inclinare, aut necessitare intellectum ad formalem conclusionem, quin in ipsam physicè influant

fluant; totum munus albedinis esse dealvare sine vllu influxu physico; & sexcenta alia huius generis: ita nos benè intelligere totum munus facilitatis esse facilitare, & munus inclinationis inclinare per sui præcisse cōmunicationem ad potētiam capacem horum effectum, seclusio omni influxu physico habitus in actus, ad quos facilitat, & inclinat. Imò per præcissum influxum physicum habitus in actum non explicant adversarij, qua ratione facilitet, & inclinet potentiam ad actus, quod est munus proprium habitus acquisiti, iuxta omnes. Nam habitus infussus, & species impressa influunt physicè in proprios actus: & neque habitus infussus, neque species facilitant potentiam ad actus ergo præter influxum physicū, debent adversarij explicare, qua ratione habitus acquisitus, præ infuso facilitet potentiam ad actus? Sanè non alitèr id præstabunt, quā dicendo: sicut nos dicimus, habitum acquisitum facilitare per sui informationem in genere causæ formalis.

55 Rogabis tertio. Quænam subiecta operentur ex habitu, seu quod idem est, in quibus potentijs dentur habitus acquisiti? Dico 1. Agentia non vitalia non operantur ex habitu. Est certum apud omnes, & cōstat experientia. Nam ignis per repetitam combustionē non reditur habilior ad comburendū. Et vlterius patet: nā habitus producitur, per actionē immanentem advenientem agenti constituto prius in suo statū connaturali. Sed agentia non vitalia non eliciunt operationes immanentes ad suum statū connaturalē: ergo non acquirunt habitus. Dico 2. sensus externi nō acquirunt habitus per repetitionem suorū actuum. Constat etiam experiētia. Nam potentia visiva (idem accidit in reliquis) non redditur habilior, aut facilior ad videndum per repetitionem visionū. Idem dicito de potentia nutritiva. Dico 3. Bruta operari ex habitu constat ex Augustino lib. 83. q. §. 36. dicente *bruta consuetudine mansuescere*: vt experientia ipsa demonstrat. Et patet in pluribus operationibus, quę bruta per disciplinam addiscunt, quas eo facilius, & promptius exercent, quo pluries eas repetunt. Dico 4. Potentiæ spirituales hominis, memoria, scilicèt, intellectus, & voluntas acquirunt in se habitus per receptionem suorum actuum. Nam memoria redditur habilior, & promptior ad memorationem, & reminiscentiam per continuatam consuetudinē reminiscendi, & memorandi, & inde ortum duxit illud commune axioma: *memoria exercendo augetur*. Intellectus eo facilior discurrit in quavis materia, quo magis versatus est in exercitio discurrendi: & ideò intellectus, qui Philosophiæ, vel Theo-

Theologiæ operam dedit, & facilius addiscit Mathematicam, & quamvis aliam facultatem, quã si nihilo studuisset. Denique voluntas, vt supra diximus, & quilibet in se experietur, per crebram repetitionem actum alicuius virtutis, vel vitij redditur facilior, & magis inclinata ad eos actus repetendos.

64 Rogas quarto. Quanta sit, & vndè sumatur distinctio habituum inter se? Certum est 1. Intellectum per consuetudinem discurrendi in hac materia reddi faciliorem ad discurrendum in alia specie distincta: & similitèr voluntatem assuetam actibus alicuius virtutis faciliorem esse aliquomodo ad actus alterius virtutis distinctæ speciei, quam si nullum actum vllius virtutis elicuisset. Certum est 2. Hanc facultatem, quam intellectus, & voluntas acquirunt ex receptione actuum huius determinatæ speciei, & qua redduntur aliquomodo faciliora ad actus alterius speciei, in qua numquam sunt versata, esse valde exiguam, & per se insufficientem ad vincẽdam difficultatem, quam intellectus, & voluntas habent circa actus alterius speciei ortam ex non vsu, & non exercitio talium actuum. Patet. Nã quantumvis voluntas multiplicet actus misericordiæ, & augeat habitum huius virtutis, quo reddeatur aliquatenus facilior ad actus iustitiæ, quam si nullam virtutem vnquam exercuisset; hæc tamen facilitas misericordiæ insufficiens est ad vincendam omninò difficultatem, quam voluntas habet erga actus iustitiæ ex non vsu huius virtutis. Et idem suo modo accidit in intellectu. Cuius ratio est. Nam facilitas miserendi solum contrariatur cum difficultate miserendi; vnde componibiles sunt magna facilitas miserendi, & difficultas magna circa iustitiam; licèt non adeò magna, ac si deficeret à voluntate omnis omninò habitus virtutis. His positis.

57 Respondeo ad quæsitum. Habitus acquisiti distinguuntur iam specificè, iam genericè pro distinctione specifica, vel generica actuum ex quibus generantur. Itaque habitus procedentes ab actibus misericordiæ specie distinguuntur ab habitibus procedentibus ab actibus iustitiæ. Habitus verò virtutum acquisitarum genericè distinguuntur ab habitibus vitiosis, propter genericam distinctionem actuum, à quibus procedunt.. Ratio est. Quia cum habitus acquisiti generentur ex actibus, quorum sunt substituti, & quasi semen relictum ab ipsis in potentia ad vlteriorem propagationem suæ speciei non videtur assignabile aliud principium magis notum pro assignanda distinctione habituum, quam distinctio, & diversitas, quam inter se actus generantes ha-

habitus. Inde oritur habitus solum facilitare potentiam ad actus sibi similes, & suae propriae speciei, quia ad hunc praecipuè finem propagandi suam speciem & inclinandi ad hoc potentiam, quam informant, producti sunt. Sed advertes: saepè non sufficere vnicum habitum ad omnes actus pertinentes ad eandem virtutem: nam ad virtutem temperantiae pertinent actus abstinendi à cibo, & potu, & non sufficit vnicus habitus ad hos omnes actus: & etiam ad eandem virtutem iustitiae pertinent actus servandi ius alterius tàm circa eius famam, quàm circa divitias; & potest quis habere magnam facilitatem detrahendi famae alterius, & magnam difficilitatem furandi. Vnde infertur contra Thomistas, & alios, nam sufficere convenientiam actuum sub eodem obiecto formali, vt ab eodem habitu producantur. Semper ergo attendendum est ad distinctionem quam inter se habent actus; etsi isti distinguuntur specie, vel ex obiecto formali, vel ex materiali, vel ex diverso modo illud respiciendi habitus distinguuntur specie, ex dictis in logica tract. 1. disp. 1.

58 Rogabis quintò: Quaenam sint causae habitum, & qua ratione intendantur, & corrumpantur habitus? Circa eorum causas: certum est: efficientem causam, primò productivam habitus esse actum, simul cum potentia, in qua habitus producitur: causa autem efficiens conservativa habitus est sola potentia. Prima pars constat ex secunda: nam si potentia est causa se sola sufficiens ad conservandum habitum, non est cur ipsi negetur partialis influxus in prima productione. Actum efficientèr influere dum primò producitur habitus probatum est supra n. 47. Secunda pars facile probatur. Quia deficiente actu perseverat habitus: sed deficiente actu non est assignabilis causa proportionata ad conservandum habitum, nisi sola potentia: ergo haec est vnica causa conservativa habitus. Certum etiam est, causam materialem habitus esse potentiam, cui vnitur, vt eam facilitet ad agendum: quia subiectum receptionis, & subiectum vnonis distinguenda non sunt absque positivo fundamento, quod hic non datur. Circa intensionem habituum. Certum est. *Primo* habitus intendi magis, & magis, per maiorem, & maiorem repetitionem actuum, à quibus procedunt: nam experientia ipsa compertum est eo faciliùs nos operari in aliqua specie, que plures actus illius speciei elicimus. Certum est *secundò*, quemlibet actum producere suum gradum habitus: nam si aliqui illum producunt, cur non omnes? Hoc tamen discrimine, quod

quod primus actus producit primum gradum habitus, secundus secundum, & tertius tertium, & sic in cæteris, & hac successiva productione graduum fit successiva intensio habitus. Hi gradus sunt inæquales, & dissimiles iuxta dicta disp. 2. de Gener. tract. 1. vel quia inferiores sunt determinati ad plus durandum, quam superiores, & illa perfectio non compensatur per aliud prædicatum superiorum, vel, si vis, dicito superiores esse perfectiores ex maiori activitate morali, & maiori vi inclinandi potentiam ad actus. Objectiones solutæ sunt disp. citata.

56 De corruptione habituum, certũ est, illam frequentèr provenire ab acquisitione habitus contrarij, modo quo corrumpitur calor per adventũ frigoris. Sed quid dicendum quãdo habitus ex puro non vsu deficiunt, quin voluntas, seu potentia eliciat actus oppositos, quibus oppositum habitum acquirat? P. Suarez disp. 44 sect. 12. ait cum communi Philosophorum non vllum, & otium esse causam purè per accidens corruptionis habitus, quia cum potentia non possit omninò otiari, non vsus circa actus huius speciei est occasio, vt exerceat actus aliarum specierum, quibus acquiruntur habitus aliqua ratione oppositi priori habitui. Cæterùm cum voluntas possit cessare ab actibus amicitiæ, quin eliciat actus oppositos inimicitiæ, dicendum est, vel per purũ non vsum non corrumpi habitus, vel si corrumpuntur, quin adveniat habitus oppositus, id provenire ex eo, quod ipsi habeant exigentiam limitatam durandi vsque ad determinatum tempus, quo transacto deficient. Si ipsis non adveniat nova intensio per novam repetitionem actuum suæ speciei, vt similiter diximus lib. 4. Physicor. disp. 2. sect. 2. de remissione, & corruptione impulsus. Hæc de habitibus acquisitis.

60 Habitus infusus definitur: *qualitas per se infussa à Deo elevans potentiam ad eliciendos actus ordinis supernaturalis.* Elevat potentiam, quæ absque tali habitu erat insufficiens, & improportionata ad actus ordinis adeò excelsi, qui ideò supernaturales sunt, quia excedunt vires adæquatas naturæ, & omnis potentiæ puræ naturalis. Hæc autẽ potẽtia adjuta, & elevata habitu supernaturali, quasi extrahitur ab ordine rerum purè naturaliũ, & constituitur potens ad alios actus adeò excelsos, ad quos se sola erat insufficiens. Vndè fit habitus infusos tantùm analogicè convenire cum, acquisitis in nomine *habitus*; nam acquisiti supponunt potentiam adæquatam ad actus suæ speciei, & solũ habent illam facilitare ad actus, quos se sola potest producere; infusi autèm non supponunt, sed po-

potius constituunt potentiam adæquatam, ad suos actus: non facilitant potentiam naturalem, sed ipsi tribuunt *posse simpliciter* elicere actus, ad quos se sola erat simplicitèr impotens. Quod habitus infussus tribuat potentiæ naturali *posse simplicitèr* ad actus supernaturales est communis consensus Theologorum apud Ripalda de ente supernat. disp. 51. quod autem habitus infusus non tribuat potentiæ facilitatem indè constat: quia in Baptismo infunduntur omnes habitus supernaturales virtutum; & tamen adultus adhuc post Baptismum experitur magnam difficultatem exercendi actus virtutum, in ipsoque perseverant habitus antiqui vitiosi ipsum inclinantes ad prava opera: non ergo facilitant ad proprios actus habitus infusi.

237. 61 Causa efficiens habituum infusorum est Deus iuxta illud Iacobi cap. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum* (qualia proculdubio sunt omnia dona supernaturalia (*desursum est descendens à Patre luminum*. Causa autem materialis est potentia, cui vniuntur, & in qua recipiuntur. Circa influxum ipsorum in actus supernaturales sententia Thomistarum tribuit habitibus infusis adæquatã, & totalem virtutem producendi actus supernaturales. Nostrorum verò sententia est habitus infusos influere quidem physicè in actus supernaturales, sed non vt totalem virtutem, sed vt inadæquatum comprincipium influens simul cum potentia vitali, quam elevat ad tales actus. Discusio huius difficultatis ad Theologiã spectat: sufficiat nunc insinuare rationem phylosophiam pro nostra sententia. Actus supernaturalis charitatis v. g. est simul vitalis, & supernaturalis, vt nemo dubitat: imò eius vitalitas est realitèr eius supernaturalitas: ergo adæquatum eius principium elicitum debet esse simul vitale, & supernaturale. Sed neque solus habitus, neque sola voluntas est principium simul vitale, & supernaturale: nam habitus supernaturalis, non est vitalis; neque voluntas vitalis est supernaturalis ergo neque solus habitus, neque sola voluntas est adæquata virtus, & principium quototale productivum actus supernaturalis charitatis. Resultat ergo illa adæquata virtus ex habitu, & voluntate æquè primò immediatè influentibus in eum actum æquè primò supernaturalem, & vitalem.

62 Rogabis. An ex crebra repetitione actuum supernaturalium generentur habitus acquisiti supernaturales? Resp. affirmativè cum D. Th. 2. 2. q. 23. art. 2. quem sequuntur P. Mol. 1. p. q. 1. art. 2. Arriaga d. 9. §. 18. Hurt. d. 16. f. 8. & alij plures. Prob. 1. Nam actus naturales relinquunt in potentia proprium habitũ ipsam inclinantẽ, &

& facilitatem ad actus naturales similes: sed actus supernaturales non sunt minus activi, quan naturales: ergo actus supernaturales etiam relinquunt in potentia habitum supernaturalem sibi proportionatum inclinantem, & facilitantem potentiam ad similes actus supernaturales. *Secundo*. Nam homo iustus per continuam exercitationem actuum supernaturalium, magnam inclinationem, & facilitatem experitur ad supernaturalitèr operandum: vndè ergo provenit ea facilitas, nisi ex eo, quod actus supernaturales præteriti illam genuerunt? *Tertiò*. Quia non omnis habitus supernaturalis, qua talis debet esse infusus: nam habitus erit supernaturalis per id præcisse, quod non contineatur intra vires adæquatas naturæ, sed egeat ad sui existentiam aliquo principio supernaturali: ergo cum habitus, de quo loquimur, procedat ab actu supernaturali, erit supernaturalis: & cum aliundè generetur ex repetitione actuum, & adveniat potentiæ adæquatæ constitutæ ex voluntate, & habitu infusso, ipsique non tribuat *posse*, sed solum ipsam facilitet, & inclinet, talis habitus erit acquisitus. Si igitur non repugnat habitus acquisitus supernaturalis, cur defacto illum non producet actus superuaturalis? *Quarto*. Nam actus pravi producunt defacto habitus vitiosos sibi proportionatos. Nonne erunt deterioris, aut infirmioris conditionis actus honesti supernaturales, adeò, vt producere non valeant habitum sibi proportionatum?

63 Sed advertendum est. *Primo*. Talem habitum supenaturalem acquisitum, qui in prima sui productione dependet ab actu supernaturali simul cum potentia, & habitu infuso, in sui conservatione non dependere ab actu, qui iam pertransit, sed à sola potentia, & habitu infuso conservari. Ratio est: quia ille habitus acquisitus etiam in conservari est supernaturalis, ac proindè eius principium cōservativum, saltem inadæquatum debet esse supernaturale, sed nullum aliud apparet principium supernaturale conservativum magis proportionatum, quam habitus infussus: ergo his simul cum potentia conservat habitum supernaturalem acquisitum. Advertendum est *secundò*. Quando per peccatum mortale deperdunt habitus supernaturales, præter fidem, & spem, vt docent TT. ex doctrina Tridentini, hoc intelligendum est de habitibus supernaturalibus infusis: non de acquisitis, nam licèt probabile sit, hoc etiam deperdi per peccatum mortale; non tamen certum, sicut certum est deperdi infusos, præter fidem, & speciem. Probabilius enim videtur, & experientia cōpro-

probatum permanere post peccatum habitus supernaturales acquisitos. Nam homo iustus, qui diu benè vixit, & per continuam exercitationem actuum supernaturalium habitus supernaturales acquisivit, si ex fragilitate labatur in aliquod peccatum mortale, citius, & facilius ab ipso resurgit, & disponitur ad iustificationem per actus supernaturales ipsam præcedentes, quam alter, qui rarò, vel nunquam actus supernaturales elicuit. Vndè ergo proveniet hæc dissimilitudo, nisi ex eo quod in primo homine permanent habitus supernaturales acquisiti ipsum inclinantes, & quasi impellentes ad actus supernaturales iterum eliciendos?

64 Advertendum est *tertio*. Si habitus supernaturales acquisiti permaneant in peccatore, pro ipsorum conservatione recurrendum est ad Deum, authorem supernaturalium, vel dicendum est eos habitus conservari ab habitibus infusis fidei, & spei, qui vtpotè causæ æquivocæ possunt producere, & conservare effectus sibi dissimiles. Quia illi habitus debent cōservari ab aliquo principio supernaturali: at in peccatore nullum aliud remanet principium supernaturale præter fidem, & spem: ergo vel fides, & spes conservant illos habitus, vel Deus, vt Author supernaturalis eos conservat sicut conservat spem, & fidem. Advertendum est *quarto*. Hominem iustum habentem habitum supernaturalem charitatis infusum, & etiam acquisitum habere quidem duos habitus charitatis; sed non duas charitates. *Primò*. Quia virtus supernaturalis charitatis supponit solum pro habitu infuso, nam hic solum est *virtus* productiva actuū: acquisitus enim non est virtus, sed pura facilitas. *Secundò*. Quia charitas, & alia nomina propria virtutum significant totam collectionem habitum tendentium ad actus sub eodem motivo, & obiecto formali, cumque ita tendant illi duo habitus vnicam charitatem constituunt. His solutæ manet obiectiones, quæ fieri posset. Plura alia de habitibus relinquimus Theologis: vide si placet P. Ripalda disp. 52. supra citata.

(§)

M DIS-

& facilitatem ad actus naturales similes: sed actus supernaturales non sunt minus activi, quam naturales: ergo actus supernaturales etiam relinquunt in potentia habitum supernaturalem sibi proportionatum inclinantem, & facilitantem potentiam ad similes actus supernaturales. *Secundò*. Nam homo iustus per continuam exercitationem actuum supernaturalium, magnam inclinationem, & facilitatem experitur ad supernaturaliter operandum: vndè ergo provenit ea facilitas, nisi ex eo, quod actus supernaturales præteriti illam genuerunt? *Tertiò*. Quia non omnis habitus supernaturalis, qua talis debet esse infusus: nam habitus erit supernaturalis per id præcisse, quod non contineatur intra vires adæquatas naturæ, sed egeat ad sui existentiam aliquo principio supernaturali: ergo cum habitus, de quo loquimur, procedat ab actu supernaturali, erit supernaturalis: & cum aliundè generetur ex repetitione actuum, & adveniat potentiæ adæquatæ constitutæ ex voluntate, & habitu infusso, ipsique non tribuat *posse*, sed solum ipsam facilitet, & inclinet, talis habitus erit acquisitus. Si igitur non repugnat habitus acquisitus supernaturalis, cur defacto illum non producet actus supernaturalis? *Quartò*. Nam actus pravi producunt defacto habitus vitiosos sibi proportionatos. Nonne erunt deterioris, aut infirmioris conditionis actus honesti supernaturales, adeò vt producere non valeant habitum sibi proportionatum?

63 Sed advertendum est. *Primo*. Talem habitum supernaturalem acquisitum, qui in prima sui productione dependet ab actu supernaturali simul cum potentia, & habitu infuso, in sui conservatione non dependere ab actu, qui iam pertransit, sed à sola potentia, & habitu infuso conservari. Ratio est: quia ille habitus acquisitus etiam in conservari est supernaturalis, ac proindè eius principium cōservativum, saltem inadæquatum debet esse supernaturale, sed nullum aliud apparet principium supernaturale conservativum magis proportionatum, quàm habitus infussus: ergo his simul cum potentia conservat habitum supernaturalem acquisitum. Advertendum est *secundò*. Quando per peccatum mortale deperdunt habitus supernaturales, præter fidem, & spem vt docent TT. ex doctrina Tridentini, hoc intelligendum est de habitibus supernaturalibus infusis: non de acquisitis, nam licèt probabile sit, hoc etiam deperdi per peccatum mortale; non tamen certum, sicut certum est deperdi infusos, præter fidem, & speciem. Probabilius enim videtur, & experientia cō-

pro-

probatum permanere post peccatum habitus supernaturales acquisitos. Nam homo iustus, qui diu benè vixit, & per continuam exercitationem actuum supernaturalium habitus supernaturales acquisivit, si ex fragilitate labatur in aliquod peccatum mortale, citius, & facilius ab ipso resurgit, & disponitur ad iustificationem per actus supernaturales ipsam præcedentes, quam alter, qui rarò, vel nunquam actus supernaturales elicuit. Vndè ergo proveniet hæc dissimilitudo, nisi ex eò quod in primo homine permanent habitus supernaturales acquisiti ipsum inclinantes, & quasi impellentes ad actus supernaturales iterum eliciendos?

64 Advertendum est *tertio*. Si habitus supernaturales acquisiti permaneant in peccatore, pro ipsorum conservatione recurrendum est ad Deum, authorem supernaturalium, vel dicendum est eos habitus conservari ab habitibus infusis fidei, & spei, qui vtpotè causæ æquivocę possunt producere, & conservare effectus sibi dissimiles. Quia illi habitus debent cōservari ab aliquo principio supernaturali: at in peccatore nullum aliud remanet principium supernaturale præter fidem, & spem: ergo vel fides, & spes conservant illos habitus, vel Deus, vt Author supernaturalis eos conservat sicut conservat spem, & fidem. Advertendum est *quarto*. Hominem iustum habentem habitum supernaturalem charitatis infusum, & etiam acquisitum habere quidem duos habitus charitatis; sed non duas charitates. *Primò*. Quia virtus supernaturalis charitatis supponit solum pro habitu infuso, nam hic solum est *virtus* productiva actuū: acquisitus enim non est virtus, sed pura facilitas. *Secundò*. Quia charitas, & alia nomina propria virtutum significant totam collectionem habitum tendentium ad actus sub eodem motivo, & obiecto formali, cumque ita tendant illi duo habitus vnicam charitatem constituunt. His solutæ manet obiectiones, quæ fieri posset. Plura alia de habitibus relinquimus Theologis: vide si placet P. Ripalda disp. 52. supra citata.

(§)

DISPVTATIO VII.

De potentijs Animæ vegetatiuæ.

TRiplex aſsignatur à Philoſophis potentia animæ vegetativæ. Nutritiva ad quam pertinet cibum attrahere, & coquere in ſtomacho, ipſumque in hepate convertere in ſanguinem, & indè mittere, & communicare omnibus partibus corporis. Augmentativa, ad quam ſpectat augere vivens vſque ad magnitudinem debitam. Generativa ad quam attinet ſemen elaborare, & decidere ad generationē animalis De actibus harum potentiarum actum eſt lib. de Generatione. Nunc, autem agendum eſt idētitate, aut diſtinctione harum potentiarum ab anima.

SECTIO VNICA.

Vtrum hæ potentiæ identificentur cum anima?

1 DIco 1. Potentia nutritiva quoad munus attrahendi alimentum convertendum in vivens identificatur adæquatè cum anima, & temperamento primarum qualitatum. Probatur. Quia ea alteratio fit producendo in materiā alimēti diſpoſitiones requiſitas, vt in ipſa introducatur forma ſubſtantialis; ſed illæ diſpoſitiones immediatè procedunt à temperamento viventis, & ab anima: quia ſubſtantia ſimul cum accidentibus proprijs concurrit ad productionem alterius accidentis, vt probabilius viſum eſt in Phyſica lib. 2. diſp. 6. ergo cum illo coniuncto identificatur potentia nutritiva quoad munus attrahendi, & diſponendi alimentum, vt convertatur in vivens. Dico 2. Potentia nutritiva quoad munus convertendi alimentum in vivens identificatur adęquatè cum anima. Probatur. Ea converſio fit per productionem partis animæ, vel per productionem viſionis ſubſtantialis animæ (ſi rationalis ſit) ad materiam alimenti: ſed defacto ſola ſubſtantia concurrit adæquatè ad productionem alterius ſubſtantiæ ex dictis in Phyſica loco citato: ergo ſola anima eſt potentia nutritiva quoad munus convertendi alimentum in vivens. Dico 3. Attractio alimenti, & vis ipſum retinendi, & expellendi in

inutile identificatur cum anima, & temperamento. Quia non est cur ab vtraque hac entitate hæ actiones non proveniant. Dices solo defectu temperamenti debiti debelitatur virtus attractiva. Fateor: sed ideò est; quia debilitatur comprincipium simul concurrens cum anima. Inde deduces 1. Aristotelem dum dixit: *Calorem naturalem esse causam coctionis alimenti*, non dixisse, calorem naturalem esse causam adæquatam coctionis alimenti; sed inadæquatam. Deduces 2. Temperamentum virtutis dispositivæ concurrere ad nutritionem, quatenùs producit simul cum anima in materiali alimenti dispositionem necessariam, vt anima sola producat in ipsa, vel partes formæ, vel vnionem substantialem ad formam præexistentem.

2 Dico 4. Potentia argumentativa dicit nutritionem. Quia non alitèr se auget vivens, quam se nutriendo, & quoad hæc munera identificatur cum potentia nutritiva, propter rationem datam. Vlterius dicit potentia augmentativa, virtutem productivam vnionis quantitatis alimenti, ad quantitatem viventis, & ea potentia, vt verò similibus apparet, identificatur cum ipso vivente, quod propriam facit alimenti quantitatem, dum eam propriæ quantitati vnit. Dices: nutritio durat toto tempore vitæ, secus augmentatio: ergo nutritio distinguitur ab augmentatione. Respondeo: augmentatio duo dicit, alterum positivum, videlicèt, novam partem acquirere, alterum negativum, videlicèt, non perdere ex antiquis. Positivum durat toto tempore vitæ, siquidem semper novas partes acquirit vivens, & ideò potentia augmentativa secundum illud positivum, & nutritiva idem sunt. Negativum non durat toto vitæ tempore; quia impeditur virtus potentiæ nutritivæ, & augmentativæ ratione qualitatum alimenti.

3 Ad potentiam generativam expectat producere semen, formare membra fœtus producere animam materialem, & eius vnionem. Dico ergo quintò. Potentia productiva seminis identificatur cum anima. Probatur. Identificatur cum potentia nutritiva illius partis, quæ semen format: sed potentia nutritiva identificatur cum anima, iuxta secundam conclusionem: ergo;

ergo, & potentia productiva seminis. Dico 6. Potentia formativa membrorum prolis identificatur cum semine Parentum, & si vis, cum semine, & anima matris. Probatur. Quia hæc est virtus proportionata ad membrorum formationem. Dico 7. Potentia generativa vnionis identificatur cum semine vtriusque Parentis, & anima Matris, cum quo coniuncto etiam identificatur potentia productiva formæ quando est materialis; quando autem est spiritualis à solo Deo producitur per creationem. Vide, quæ diximus lib. de Generat. tract. 2. disp. 2. sect. 5. Vbi has omnes conclusiones tradidimus, & probavimus.

DISPVTATIO VIIJ.

De Potentijs Animæ sensitivæ, & earum obiectis, sivè de sensu, & sensibili.

POstquam actum est de potentijs animæ vegetativæ succedit disputatio de potentijs sensitivæ. De qua rè longas, & prolixas disputationes apud Authores reperies: sed plura, quæ à Philosophis hic tractantur potius ad institutum medicum, & anothomicū spectant, quam ad Philosophicum. Nos illa solum, quæ pro nostro instituto sufficiant de sensibus, & obiectis sensibilibus trademus.

SECTIO I.

Definiuntur, & dividuntur sensus, & sensibilia: & alia de sensibus in communi discutiuntur.

1 SEnsus in communi sic definitur. *Potentia vitalis materialis cognoscitiva, & perceptiva obiectorum*. Est *potentia vitalis*, in quo convenit cum potentijs spiritualibus, & cum vegetativis. Per ly *materialis* discernitur ab intellectu, & per ly *cognoscitiva* distinguitur à potentijs animæ vegetativæ, ab appetitu sensitivo, & voluntate. Talis conceptus rectus est, quia convenit omni potentię sensitivæ. Sensus dividitur in internum, & externum. Internus est, qui residet interioribus partibus corporis. Externus, qui in partibus extimis, & exterioribus residet. Deindè externus dividitur in quinque sensus videlicet, in *visum, auditum, gustum, adoratum, & tactum*, de quibus, infra seorsim, agemus. Sensus internus dividitur

in sensum communem, ad quem pertinet attingere obiecta omnium sensuum externorum, & illa discernere: in *phantasiam*, ad quam spectat elicere sensationem internam obiecti absentis prius sensati aliquo sensu exteriori: in *imaginativam*, ad quam pertinet elicere sensationem obiecti exterius percepti, sivè pręsentis, sivè absentis, compositi tamen ex alijs obiectis simplicibus prius perceptis à phantasia: & denique in *æstimativam*, ad quam spectat, quasi appendere, & æstimare prætia rerum, & hæc potentia per suos actus immediatè excitat appetitum sensitivum ad prosequtionem boni, & fugam mali. Quibus adde *memoriam sensitivam*, cuius actus est recordatio materialis obiecti præteriti prius sensati. De his agemus sect. 3.

2 Sensibile in communi sic definitur. *Obiectum capax percipi per sensus*; eiusque sensibilitas intrinseca est ea capacitas, quam obiectum habet, vt percipiatur per sensum: extrinseca autem sensibilitas, est capacitas sensus, vt circa tale obiectum versetur per sensationem. Sensibile est duplex: aliud per se, aliud per accidens: sensibile per se, est, quod immediatè potest percipi per sensus. v. g. color à visu, & sonus ab auditu. Sensibile per accidens, & purè denominativè tale est illud, quod non percipitur immediatè per sensationem, sed solum dicitur percipi, quatenus subest, seu continetur sub obiecto sensibili per se; sic paries dicitur videri, quatenùs subest albedini, quæ immediatè per se videtur. Sensibile per se est duplex aliud proprium, & aliud commune. Proprium est, quod ab vno tantum exteriori sensu percipi potest, vt color, qui à solo visu, & sonus, qui à solo auditu potest percipi. Sensibile commune est illud, quod ab aliquibus sensus internis percipitur, vt magnitudo, numerum, motus, & figura, quæ à visu, actu, & auditu percipi solent: nam magnitudinem corporis percipit tactus, & etiam visus, numerum percipit visus, & etiam tactus, nec non auditus, quia dum horologium sonat, ex auditu numeramus horas, auditusque percipit distinctionem soni vnius campanæ à sono alterius. Hæc divisio sensibilis in proprium, & commune solum convenit sensibili per sensus externos: nam sensus interni percipiunt omnia, & singula obiecta, quæ à sensibus externis percipiuntur.

3 Sensibilia communia quinque numeravit Aristoteles lib. 2. de Anima text. 64. scilicèt *magnitudinem, figuram, motum, quietem, & numerum*. Sed advertendum est sensus externos non percipere

numerum, & motum formalitèr, vt tales, nam *motus* duo dicit nempè partes ex quibus componitur, & aliam esse præteritam seu futuram, & aliam præsentem: similitèr *numerus* dicit pluralitatem vnitatum, & quod constituant talem numerum, nempè binarium, aut ternarium. Sensus autem exterior non percipit præteritionem, aut futuritionem partium, neque percipit binarium, aut ternarium vnitatum: solum ergo dicũtur numerus, & motus sensibilia, quatenùs sensus percipit existentiam positivam rerum constituentium numerum, & motum quas res intellectus reducit ad binarium, aut ternarium, aut quæ ex succesione, quam inter se habent constituunt motũ, & ordinem prioris. Ad hoc autem, vt numerus, & motus dicantur pertinerere ad obiectum sensus, sufficit, quod sensus attingat entitates constituentes numerum, & motum, estò non percipiat numerum, & motum formalitèr prout tales.

4 Sed est prima difficultas. An quinque sensibilia ab Arist. numerata posint reduci ad vnum sensibile? P. Alphonsus disp. 9. sect. 3. iudicat omnia prædicta sensibilia revocari posse ad vnum sensibile, quod sit *præsentia*, & extensio localis corporis, quod per sensus percipitur. Et quidem magnitudo reducitur ad præsentiam, & extensionem localem corporis: nam corpus valde extensum, & magnum spatium occupans, dicitur magnum: è converso autem parvum dicitur corpus, quod exiguum spatium occupat. Figura etiam reducitur ad præsentiam: iuxta dicta in physica lib. 2. disp. 1. sect. 3. figura nihil aliud est, quam talis, & talis præsentia partium sic, vel alitèr inter se distantium, simul cum carentia aliarum præsentiarum, quibus alitèr constituerentur magis, vel minus distantes. Deinde numerus non aliter percipitur à sensu, nisi attingendo plura sensibilia localitèr extensa. Vndè *magnitudo figura*, *&* *numerus* benè reducuntur ad vnum sensibile, nempè *ad præteritam*. Cæterùm motus, & quies non possunt ad præsentiam revocari. Nam præsentia rerum solum à visu, vt in plurimum percipitur: non ab auditu; sed auditus percipit motum, & quietem, siquidem percipit sonum cymbali, & campanæ, discernendo sonum vnius à sono alterius, nec non percipit perseverantiam soni, quin præsentiam eorum percipiat: ergo motus, & quies non possunt reduci ad præsentiam. Quare verius est omnia sensibilia ab Aristot. enumerata non posse reduci

ci ad vnum sensibile : sed ad minimum reducenda esse ad tria. Res est parvi, momenti.

5 Alia difficultas est. An sensibile proprium, & commune percipiantur per eandem, vel per diversam speciem? Respondeo cum P. Suarez lib. 3. de Anima cap. 8. P. Rubio hic cap. 5. PP. Conimbricensis cap. 6. quæst. 5. & P. Alphonso disput. 6. sect. 4. vtrumque sensibile attingi per eandem speciem. Probatur. Quia extensio coloris, & eius præsentia localis non pertinet ad visum, nisi prout adiuncta colori : ergo ratio formalis propter quam præsentia, quæ est sensibile commune attingitur à visu, est sensibile proprium visu, nempè color. Nunc sic: ergo species per quam præsentia coloris determinat visum ad sui visionem est species repræsentativa coloris : ergo tàm color, quam eius presentia videntur per eandem speciem. Confirmatur. Quia res testificata non pertinet ad fidem nisi prout adiuncta, & prout subest testimonio loquentis : idem assensus, qui terminatur ad rem testificatam terminatur ad testimonium: ergo quia sensibile commune non aliter pertinet ad sensum, nisi prout subest sensibili proprio, eadem sensatione terminatur sensus ad vtrumque. Sed ad vnicam vtriusque sensationem sufficit vnica species ab vtroque sensibili indivisibilitèr proveniens : ergo per eandem speciem sentiuntur proprium, & commune sensibile. Secundò confirmatur. Quia non sunt multiplicandæ species sine necessitate : sed nulla est necessitas multiplicandi species sensibiles proprij, & communis, vt statim constabit : ergo per vnicam percipitur vtrumque sensibile.

6 Objicies. Quælibet pars extensionis obiecti, & intensionis albedinis videtur per diversam speciem, aut partem speciei distinctã ab specie alterius partis iuxta dicta disp. 5. ergo sensibile proprium, & commune, quæ realitèr distincta sunt, debent percipi à sensu per species realitèr distinctas. Concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est. Nam quælibet pars obiecti est ratione sui perceptibilis à sensu prout distincta ab altera parte eiusdem obiecti: vndè quælibet est potens determinare sensum per speciem, quam ad ipsum mittit ad sui sensionem, quælibetque non solum potest; sed etiam debet producere propriam speciem, vt probarunt rationes nostræ disp. 6. citata. At sensibile commune non est ratione sui perceptibile per sensus; sed solum ratione

sensibilis proprij cui sub esse debet, vt à sensu percipiatur: ideò que sensibile commune non potest alitèr producere speciem sui, nisi prout coniunctum cum sensibili proprio: adquid ergo debemus sensibili communi tribuere propriam speciem distinctam ab specie proprij sensibilis si vnica ab vtroque indivisibilitèr producta sufficit, vt vtrumque percipiatur à sensu.

7 Ex dictis infertur. Sensibile commune non posse naturalitèr percipi à sensu sine sensibili proprio. Nam sensus non potest naturalitèr percipere obiectum, quod non est intra sphæram propriam sensus, & quod non subest proprio obiecto formali sensus: atqui ratio formalis, & sphæra propria cuiuslibet sensus est sensibile proprium illius, scilicèt color respectu visus, & sonus auditus: ergo sensibile commune non potest percipi à sensu sine sensibili proprio. Neque sensibile proprium potest percipi sine communi, quod est coniunctum cum ipso. Tùm quia cum vtrumque concurrat ad sui sensationem per eandem speciem repræsentativā vtriusque, illa species determinat necessario sensū ad vtriusque perceptionem. Tum quia sensibile proprium semper est associatum cum aliquo ex sensibilibus communibus supra enumeratis, & cum vtrumque sit causa necessaria productiva speciei, non est, cur vnum producat speciem repræsentativam sui, & non aliud: quare vtrumque debet æquè producere speciem vtriusque repræsentativā, qua necessario naturalitèr determinatur sensus ad percipiendum vtrumque.

8 Sed quid dicendum miraculosse? Cassu ne, quod sensibile proprium daretur sine vllo communi, & sine vlla præsentia posset sine novo miraculo sentiri? Respondeo negativè. Nam sensibile proprium non potest naturalitèr percipi, quin producat speciem sui in sensu: sed sensibile carens omni præsentia non potest producere sui speciem in sensu: ergo sine omni præsentia non potest naturalitèr percipi à sensu. Probatur minor. Nullum agens creatum potest producere ex natura rei effectum aliquem in passo, cui neque mediatè, neq; immediatè est applicatum ex dictis in Physica lib. 7. disp. 1. sect. vnica: sed aproximatio, & aplicatio agentis ad passum est præsentia vtriusque: ergo sine vlla præsentia non potest sensibile proprium speciem sui producere in sensu. Mitto quod suppositio est nobis falsa, ex dictis disp. 4. Physicæ de impotentia corporis, vt spolietur omni præsentia ad huc per miraculum. At tali suppositione ad

admissa 3. sensibile proprium omni præsentia, nudum posset per novum miraculum sentiri, & per à sensu sine communi. Ratio est. Nam sensibile proprium est attingibile à sensu per se, & ratione sui; ergo deficiente sensibili communi non deficit in proprio ratio formalis vt attingatur à sensu: ergo supplente Deo, vt potest, vices sensibilis communis, poterit concurrere cum sensibili proprio ad producendam speciem, qua à sensu percipiatur sensibile proprium, vel sine concursu speciei poterit Deus loco illius influere cum sensu ad perceptionem proprij sensibilis: ergo per potentiam absolutam Dei potest, in prædicta suppositione percipi à sensu proprium sensibile sine communi.

9 Tertia difficultas est. An sensus interni, aut externi possint præscindere vnum prædicatum ab alio realitèr cum illo identificato, v. g. rationem genericam, vel specificam sui proprij sensibilis à ratione indiuiduali eiusdem? De qua re nõ nulla diximus in Logica tract. 2. disp. 2. sect. 3. hic recolenda conclusio est affirmativa: nam visus sæpè percipit colorem eminus existentem non percepta talitate coloris, aut differentia individuali, aut specifica illius: & patet etiam in auditu, qui sæpè audit sonum, aut vocem, quin discernat differentiam eius; potest ergo præscindere sensus, non obiectivè, quod implicat; sed quasi formalitèr inter predicata identificata. Hic solet quæri etiam. An sensus errare possint circa sua obiecta? Pro cuius decisione noto. Errorem simplicitèr talem solum reperiri in iudicio falso intellectus inde autem per quandam analogiam transfertur etiam nomen erroris ad perceptiones materiales obiectorum disconformes obiectis; & de hoc secundò errore purè metaphoricè tali procedit præsens quæstio, nam error formalitèr talis non potest reperiri in sensibus, quibus repugnat iudicium. Noto 2. Errorem posse esse positivum, & negativum: positivus, quando actus repræsentat in obiecto, quod re vera non est in illo: negativus, quando actus non repræsentat totum, quod obiectum est, licèt repræsentet in illo aliquid quod re vera in ipso est.

10 His positis certum est *primò*. Sensus errare posse errore negativo, quia visus, & auditus sæpè repræsentant rationem communem coloris, & sonus quin eorum talitates discernant: possunt ergo negativè errare. Certum est *secundò*. Nullum sensum errare posse circa rationem communem sui proprij sensibilis v. g. visus non potest errare circa rationem communem sonus. Cuius ratio est,

est, Quia visus non potest percipere nisi colorem, neque auditus potest percipere aliud nisi sonum: ergo omne, quod percipit visus, est color, & omne, quod auditus est sonum: ergo circa has rationes communes propriorum sensibilium non possunt errare; licèt errent in eo, quod color perceptus à visu ipsi appareat niger, cum sit albus, & sonus perceptus ab auditu ipsi appareat sonus fluvij, cum sit sonus aëris. Certùm est tertiò. Sensus decipi positivè circa rationes particulares obiectorum sensibilium. Nam visui apparet Cœlum esse cęruleum, cum revera non sit talis coloris: sæpè; apparet quiescere, quod movetur, & moveri, quod quiescit: magnum, quod est exigum, & è contra exiguum, quod est magnum, & alia huiusmodi. Decipiuntur ergo sensus circa rationes particulares sensibilium. Hæc deceptio sensuum sæpè provenit ex debilitate potentiæ, quæ non potest ob distemperiem organorum obiecta rectè percipere, vt patet in surdis: aliquando, & frequentius ex distantia obiectorum, quæ in causa est, vt species dum perveniunt ad potentiam accedant valdè immutatæ, & valdè debiles, vt ipsam juvent ad sentiendum obiectum, vt in se est.

11 Ex hoc errore, & deceptione sensus externi oritur deceptio sensus interni, & intellectus. Nam si virtus decipiatur repræsentando vt album obiectum, quod est nigrum, decipitur etiam sensus internus apprehendendo id ipsum, quod à sensu externo repræsentatur: & hinc intellectus decipitur iudicando esse album, quod album non est. Ac licèt hoc ita sit, non semper provenit deceptio sensus interni ex deceptione externi: nam sæpè phantasia, & imaginativa ex permistione specierum internarum, quæ à sensatione externa in sensu interno producuntur, eliciunt sensationem internam erroneam, vt quando ex permixtione specierum montis, & auri apprehenditur mons aureus. Hic quæritur etiam vndè proveniat, quod sensibile excedens lædat potentiam ver. grat. nimia lux lædat potentiam visivam? Respondetur facile, id provenire ex eo, quod sensibile excellens propter nimiam suam activitatem producit qualitates nocivas potentiæ, & immutat temperamentum requisitum ad sensationem obiecti, vt patet in nimia luce, & sono vehementi, quæ maximè lædunt visum, & auditum.

12 Quarta difficultas est. An sensibile existens indivisibiliter in loco possit percipi per sensum v. grat.

grat. color existens in corpore correspondenti vnico puncto spatij possit percipi à visu? Et quidem quæstio procedere potest vel ex natura rei, vel relatè ad potentiam Dei, absolutam. Ex natura rei loquendo, sententia negativa, quam defendit eximius Doctor tom. 3. in tertiam partem disputat. 53. sect. 4. quam plures alij sequuntur, vera est, & probatur. Obiectum non potest naturalitèr videri quin producat speciem sui in potentia visiva: sed obiectum indivisibilitèr existens in vnico puncto loci non potest naturalitèr producere speciem sui in potentia visiva: ergo non potest naturalitèr videri à potentia visiva. Probatur minor. Quodvis agens corporeum vt possit operari naturalitèr exigit extensionem suarum partium: ergo sine extensione nihil potest extra se producere, ac proinde, non potest producere speciem sui in potentia visiva. Confirmatur *primo*. Quia color indivisibilitèr existens in vnico puncto spatij, vel videretur sine illa præsentia indivisibili, vel videretur simul cum illa? Primum dici non potest, quia ex num. 7. Sensibile proprium non potest videri sine communi. Si secundum, est falsum quia illa præsentia indivisibilis esset supernaturalis saltem quoad modum, & potentia naturalis non potest illam percipere, saltem naturalitèr. *Secundò*. Nam omne obiectum quod percipitur à sensibus est extensum in ordine ad locum; ad quid ergo adstruenda est virtus naturalis in sensibus ad percipiendum obiectum intensum, & indivisibilitèr existens?

13 Loquendo autem de potentia absoluta Dei potest videri obiectum indivisibilitèr existens in loco, & inextensum. Est expressa conclusio Div. Thomæ in quarum distinct. 10. quæst. 1. art. 4. & distinct. 11. quæst. 3. art. 1. vbi ait: oculum corporeum Christi existentis in Cœlo non videre se ipsum prout est in Sacramento *nisi per miraculum*. Conclusio probatur. Nam ex dictis num. 8. sensibile proprium potest supernaturalitèr videri adhùc in casu quo mutetur omni præsentia (si hoc possibile sit:) ergo multo melius, & facilius videri poterit corpus existens in loco per præsentiam indivisibilem: ergo si præscindamus ab eo, quod videatur vel non illa præsentia indivisibilis innegabile

vide-

videturi posse videri corpus præsens per illam præsentiam. Addo posse videri illam præsentiam indivisibilem simul cum corpore. Ratio est facilis. Nam illa præsentia continetur intra obiectum potentiæ visivæ, cuius sensibile commune est præsentia: ergo si Deus per potentiam absolutam iuvet illam præsentiam, & corpus ad productionem speciei, quam ex defectu extensionis non possunt naturalitèr producere, vel sine vlla specie Deus influat loco speciei ad eliciendam visionem cum potentia visiva poterunt simul videri corpus indivisibilitèr existens, & eius præsentia indivisibilis.

14 Quinta difficultas est. An sensus sivè internus, sivè externus possit percipere præsentiam, aut existentiam obiecti, quando hoc non est præsens, neque existens? Suppono *primò* sensum externum non posse naturalitèr percipere obiectum non existens, seu non præsens: quia sensus externus non potest percipere suum obiectum sine specie propria illius: percipere enim obiecta per species alienas est opus proprium solius intellectus; sed species sensus externi dependent in suo existere, & conservari ab obiectis, à quibus procedunt, quod fieri nequit, quin obiecta ipsa existant, & præsentia sint: ergo implicat naturalitèr sensum externum percipere obiectum non præsens, & non existens. Confirmatur. Nã catenus sensus externus posset percipere obiectum non præsens, & non existens, quatenus percipere posset carentias præsentiæ, & existentiæ obiecti: sed prædictæ carentiæ, vtpotè nihil imperceptibiles sunt à sensu, imò, ex dictis tract. de Generatione disp. 4. neque ab intellectu sunt conceptibiles: ergo saltem ex natura rei nequit sensus externus percipere obiectum non præsens, seu non existens.

15 Suppono *secundò*. Sensum internum ex natura rei percipere plura obiecta non præsentia, & non existentia. Patet. Nam phantasia, & imaginativa somniãtibus, & amentibus sæpè repræsentant obiecta plura non præsentia, & non existẽtia, nempè montem aureum, flumina, & fontes, & alia sexcenta id generis: imò memoria sensitiva repręsentat etiam plura obiecta præterita, & non existentia, quando illorum recordatur. Et ratio huius rei quam experimur hæc est. Quia species sensuum internorum non conservantur ab obiectis, sed ab ipso sensu interno, qui ex sẽsatione interna, quam primò produxit, reservat in se species deservientes ad vlteriores sensationes internas eorum obiectorum, quæ semel percipit. Vndè

de eo ipso; quod tales species excitentur elicit sensus internus sensationem obiecti, quanvis hoc iam sit præteritum; & non existens. Quare difficultas solum est. An sensus externus possit de potentia absoluta Dei percipere obiectum non præsens, seu absolute non existens?

16 Nostra sententia est affirmativa cum P. Molina 1. p. quæst. 55. art. 2. disp. 2. & cum D. Thoma 3. p. quæst. 76. art. 8. & probatur. *Primo* ratione communi in quæstionibus de posibili. Quia in hoc nulla est implicatio, vt constabit ex solutione argumentorum. *Secundo.* Quia catenus sensus requirit existentiam, & præsentiam obiecti, vt ipsum percipiat, quatenus eget influxu obiecti ad oliciendam sensationem illius, media specie ab obiecto proveniente: sed Deus potest se solo producere speciem repræsentativam obiecti, quando obiectum non existit; nec non omni specie seclusa potest Deus loco speciei influere immediatè in sensationem, qua tale obiectum percipiatur à sensu, vt concors est sententia Theologorum docentium, Deum se solo producere posse effectus omnes causarum secundarum distinctos ab actione: ergo Deus per suam potentiam absolutam præstare potest, quod sensus percipiat obiecta non præsentia, seu non existentia. Confirmatur. Nam obiectum duplicem concursum præstat in sensationem: alterum causæ efficientis media specie producta in sensu: alterum obiectivum, seu obiecti terminantis sensationem: sed ad neutrum horum requiritur essentialiter existentia obiecti: ergo potest supernaturaliter percipi à sensu externo, quin existat. Minor quoad primam partem certa est, ex nuper dictis: quoad secundam verò probatur. Quia obiectum terminare sensationem nihil aliud est, quam sensatione repræsentari: sed etiam si non existat potest repræsentari sensatione: tùm quia quando obiectum non existit nihil aliud repræsentat sensatio verbi grat. visio, nisi id i[illegible]am quod repræsentaret si obiectum existeret. Vndè visio repræsentando tale obiectum non excedit sphæram suæ activitatis, neque extenditur vltra suum obiectum: tùm quia, vt benè D. Thomas, vbi supra in Eucharistia nonnũquam repræsentat Deus oculis cernendum puerum, cum revera tale obiectum ibi non sit: ergo etiam si obiectum non existat potest terminare sensationem.

17 Sed obiicies. Quævis sensatio externa est intuitiva sed de ratione essentiali perceptionis intuitivæ est tende-

dere in obiectum præsens, & existens: ergo nulla sensatio sensus externi potest esse obiecti non existentis. Confirmatur ex Aristotele lib. 2. de Anima text. 6. vbi in eo distinguit obiectum sensus ab obiecto intellectus, quod intellectus obiectum non debet necessario esse extra Animam, secus obiectum sensus ergo ex mente Philosophi obiectum sensus, vt ab ipso percipiatur debet esse, & existere, & extra animam existere. Ad argumentum concessa maiori distinguo minorem de ratione cognitionis intuitivæ est tendere in obiectum præsens, & existens cum essentiali connexione cum existentia, & præsentia obiecti, nego: cum connexione tantum ex natura rei cum existentia, & præsentia obiecti, concedo minorem, & nego consequentiam. Quia bene stat sensationem externam titulo intiutivæ exigere præsentiam, & existentiam obiecti, & Deum non annuere huic exigentiæ. Præterquamquod, vt aliqua repræsentatio sit intuitio solum requiritur, quod non habeatur per species alienas aliorum obiectorum ab eo, quod repræsentat: sensatio, autem, de qua loquimur non haberetur per species alienas sed per speciem propriam obiecti à Deo solo productam quando obiectum non existit, vel per influxum immediatum Dei influentis nomine obiecti omni specie sclusa.

18 Vltima difficultas est. An aliquis sensus percipere posit obiecta spiritualia? Hæc quæstio disputatur à Theologis late ad tractatum de visione vbi inquirunt, An oculus corporeus posit supernaturalitèr elevari ad videndum Deum, vel quodvis aliud obiectum spirituale? Nos remisso ad Theologiam fusiori examine respondemus modo negativè quæstioni propositæ cum communi, & vera Theologorum sententia. Pro cuius probatione supponendum est *primo*. Nullum sensum, nullamvè potentiam extrahi posse, ad hùc de potentia absoluta Dei extra latitudinem sui obiecti, vt aliquod aliud obiectum percipiat. Cuius ratio est. Quia obiectum cuiuscumque sensus, & potentiæ est aliud, quod objici potest actibus talis potentiç, & sensus: ergo si obiectum sit extra sphæram obiectorum objicibilium actibus talis potentiæ, non potest ab illa potentia percipi per suum actum. Hinc suppono *Secundo*. Quemlibet sensum ex natura sua habere suam determinatam sphæram, & suum obiectum limitatū. Quia nihil magis insitum mentibus rationalium, quam colorem esse obiectum visus, & non auditus, & sonum è converso, esse obiectum audi-

ditus, & non visus; neque visum extendi posse ad videndum sonum, neque auditum ad audiendum colorem, & lucem: imperceptibilis enim est ab intellectu auditio coloris, aut lucis, & visio soni. Vndè alter sensus ita est essentia sua alligatus ad suum proprium obiectum, aut prosilire non posit ad percipiendum obiectum alterius sensus: Vnde infertur quemvis sensum externum magis limitatum obiectum habere, quam sensus internus, & hic etiam habet obiectum magis limitatum, quam intellectus, quibus positis.

19. Probatur conclusio. Nullus sensus, nullaque potentia potest percipere obiectum non contentum intra suam sphæram, & intra sum obiectum proprium; sed nullum obiectum spirituale continetur intra sphæram, & latitudinem obiecti proprij alicuius sensus, seu potentiæ materialis cognoscitivæ: ergo nulla entitas spiritualis percipi potest ab aliquo sensu, vel potentia cognoscitiva materiali. Maior constat ex prænotatis: & minor est certa. Nam nulla res spiritualis est color, aut lux, quæ sunt obiectum visus: neque sonus, quod est obiectum auditus, & sic de reliquis sensibus. Dices: non repugnare lucem spiritualem convenientem in ratione lucis cum corporea. Transeat possibilitas talis lucis spiritualis, sed dico, eam nullatenus percipi posse à potentia visiva corporea. Nam illa lux non participat rationem lucis pertinentis ad obiectum potentiæ visivæ corporeæ, quod solum est lux corporea, & materialis: ad spiritualem, enim, lucem videndam est intrinsecè imporionata.

20 Obijcies. Quævis entitas habet virtutem producendi quamcumque aliam, ad id elevabilem à Deo: ergo quævis entitas poterit etiam à Deo elevari ad percipiendum quodcumque obiectum, ac proindè sensus poterit supernaturalitèr percipere obiecta supernaturalia. In primis nego antecedens, quod falsum ex dictis lib. 2. Physicæ disp. 6. sect. 3. Sed transmisso antecedenti, nego consequentiam, quæ male infertur. Quia adhuc admisso quod lapis posit à Deo elevari ad producendam gratiam, nullus est qui dicat gratiam, à lapide productam posse huic tribuere effectum formalem iusti, & sancti: ergo admisso, quod sensus posit elicere perceptionem rei spiritualis, hæc tamen per-

perceptio non tribueret sensui effectum formalem percipiendi rem spiritualem. Cuius ratio est iam data: quia potentia visiva est essentialitèr limitata, & alligata, vt solum percipiat colorem per visionem materialem, quin posit elevari ad intelligendum, neque ad audiendum, alioquin non erit solum potentia visiva; sed erit etiam intellectiva, & auditiva, quod est apperte falsum. Hoc intelligendum est de sensibus materialibus brutorum, & de eius potentis materialibus; nec non de sensibus, & potentijs materialibus hominis sumptis in concreto, & prout dicunt virtutem tam activam, quam passivam operationum materialium. Nam potentia visiva hominis ver. grat. in abstracto sumpta, & prout præcisè dicit virtutem activam visionis identificatur realitèr adæquatè cum Anima, quæ etiam est auditiva, & intellectiva, potensque percipere obiecta spiritualia: at licèt hoc verum sit potentia visiva hominis in concreto sumpta non potest audire, neque intelligere; quia in concreto sumpta est essentialitèr determinata ad visionem coloris, & essentialitèr impotens audire sonum, aut intelligere: quia homo oculis videt, & non audit, sicut auribus audit, & non videt.

SECT. II.

De sensibus externis in particulari, & de obiectis singulorum.

21 Superior, & excellentior sensus externus est potentia visiva, quæ in oculis residet, & quæ à natura huiusque Authore Deo O. M. collocata est in eminentiore parte corporis, tùm, vt ibi sit securior: tùm, vt è loco excelso omnia speculetur. Et definitur sic. *Potentia cognoscitiva vitalis materialis percipiens solum colorem, & lucem.* Per priora verba convenit cum intellectu, & cum reliquis sensibus internis, & externis, à quibus differt, per posteriora. Additur illud *solum*, quia sensus internus percipit etiam colorem, & lucem: non tamen *solum*: nam etiam percipit reliqua obiecta sensuum externorum. Potentia visiva sita in oculis in quolibet eorum formatur in modum globi, quem substentant duo nervi optici è cerebro emisi, qui *visoris* nuncupantur, per quos ad oculos descendunt spiritus animales ipsos foventes suo calore, & deservientes tàm quam dispositiones ad visionem; deserviuntque etiam illi duo nervi optici, vt per ipsos ascendant ad cerebrum, & ad sensum internum species, & si

simulacra rerum visarum ad sensationem internam requisita.

22 Præter hos nervos, qui sunt quasi axes, in quibus globus cuiusque oculi consistit in omnem partem versatilis; vt omnia prospectet iam ad læuam, iam ad sinistram, ad oculorum compositionem hæc omnia concurrunt. In quovis eorum dantur septem musculi, quinque tunicæ, & tres humores. Musculi deserviunt ad motum, quo globus circunferatur in omnem partem, è quibus vnus est sursum versus cerebrum alter deorsum, alter ad lævam, ad dexteram alter, alij duo circum ferunt globum, & septimus illum sustinet. E tunicis alia vocatur *specularis*, quia in ea veluti in speculo repræsentantur obiecta è regione posita, vt experientia ipsa docet. Nam in pupillis oculorum alterius quisque videt obiecta, sicut in speculo. Alia tunica vocatur *reticularis*, quia venulis multis, & arterijs contexta est ad similitudinem retis, venulæque illæ plenæ sunt sanguine, quo aluntur oculi. Tertia vocatur *vbea*, quia est valde similis pelliculæ vuæ, & à colore nigro, vel cæruleo, vel viridi huius tunicæ oculi vocantur vel nigri, vel cærulei, vel virides. Quarta dicitur *cornea*, quia fortissima est à natura data ad tutamen oculorum, & huius medietas versus obiecta est transparens, & vlterius dicitur cornea, quia refert similitudinem cornu in laminam disecti. Quinta denique vocatur *ad nata*, seu adhærens, & hæc extremum locum obtinet, continetque reliquas omnes ne huc, vel illuc difluant, suumque originem ducit à tunica calvariæ. Ex humoribus primus, qui residet intra pupillam oculi vocatur *chrystalinus*; quia est valde similis christallo in pelluciditate. Secundus vocatur *vitreus*, seu *albugineus*, quia vitro fusso, & valde decocto, seu ovo albo est adsimilis. Et denique tertius dicitur *aqueus*, quia aquæ similitudinem refert à natura datus, vt oculos humectet.

23 In centro globi, qui est eius præcipua pars existit humor *chrystallinus*, qui primatum tenet in fabrica oculorum. Eum circundat tunica *specularis*, quæ tenuissima est, & ideo ab aliquibus vocatur *aranea*. Ex qua tunica, & humore chrystalino componitur pupilla. Supra tunicam specularem existit humor vitreus, quem circundat secunda tunica *reticularis*. Cui succedit tercia tunica *vuea*, quæ ambit totum oculum relicto foramine seu fænestra, per quam pupilla respicit obiectum, & speciebus patet aditus, vt ad pupillam perveniat:

dentium ad cerebrum, inde que descendentium ad oculos, immutantiumque temperamentum requisitum ad videndum.

25 His dictis de potentia visiva: eius obiectum proprium est lux, & color, de quibus modo agendum. Lux est præstantissima inter omnes qualitates materiales non vitales. Quæ (omissis duabus deffinitionibus Aristotelis quibus satis obscurè explicuit lucem) sic deffinienda est: *Qualitas physica deserviens ad detegenda corpora perceptibilia per visum.* Et quidem est qualitas, & non substantia, quia non est substantia spiritualis cum producatur à sole, & ab igne, qui sunt corporei: neque est substantia corporea: quia sic haberet quantitatem, & penetrari non posset cum chrystallo, aqua, & aere, cum quibus penetratur. Est qualitas physica, & non intetionalis: tum quia producit effectum physicum, nempe calorem: tum quia si esset solum species intentionalis à luminoso producta, videretur luminosum atergo existens, quod est contra experientiam. Probatur tamen. Quia luminosum atergo existens v. gra. sol producit lucem in medio pervenientem vsque ad potentiam visivam: si ergo lux esset species intentionalis luminosi, determinaret potentiam visivam ad videndum luminosum atergo existens, non aliter ac species intentionales ab speculo reflectentes vsque ad potentiam visivam, ipsam determinant ad videndum obiectum atergo positum. Est ergo lux, qualitas physica, & non intentionalis. Dicimus, lucem *deservire ad detegenda corpora per visum perceptibilia*, quia hoc est præcipuum munus, & prædicatum notius, quod in luce experimur.

26 Color, qui etiam est proprium obiectum visus: *Est qualitas secunda non activa orta ex temperamento primarum qualitatum, quæ simul cum luce visu percipitur.* Circa lucem, & colorem aliquæ sunt difficultates examinandæ. *Prima est.* An color distinguatur realiter à luce? Sententiam fuit aliquorum ex Antiquis, colorem nihil aliud esse, quam lumen persussum corporibus, quod pro diversitate dispositionum talis, vel talis corporis diversimodè repræsentatur à visu: & eorum ratio præcipue innitebatur experientiæ, quia nunquam videmus colorem sine luce: sed

verior, & communior sententia est, existere veros colores realiter à luce distinctos. Ratio est: Quia vt experientia docet invariata luce, variatur color, vt patet quando pictor colores miscet, & quando homo ex subito timore, vel verecundia iam ruber, iam palidus apparet, & iam naturalem colorem recuperat. Vlterius invariato colore variatur lux: nam eosdem parietes, quos albos videmus ad lucem meridianam, videmus etiam albos ad lucem nocturnam candelæ. Quodnam ergo erit, aut esse potest notius signum distinctionis realis coloris à luce, quam variatio vnius, sine variatione alterius. At licet hoc verum sit etiam verum censeo, cum pluribus, esse aliquos colores pure apparentes, & non distinctos à luce: huius rationis sunt color iridis, Cœli, & colores diversi, qui apparent in collo columbæ. Cœlum enim non est cæruleum, neque in iride sunt revera colores, qui à visu repræsentantur, vt diximus tract. de Elementis disput. 1. sect. 3.

27 *Secunda* difficultas est. Qua ratione requiratur lux ad videndum colorem? In hac re certum est. Colorem nunquam videri sine luce; vt luce ipsa clarius est. Quare difficultas supponit, & bene, lucem esse requisitam, vt videatur color: & inquirit. An lux requiratur ex parte obiecti colorati: an ex parte medij: An ex parte potentiæ, & qua ratione? Dico 1. lucem requiri ex parte coloris ad ipsius coloris visionem. Ita P. Suarez lib. 3. de Anima cap. 16. & plures alij, quos pro se citat P. Alphonsus hic disput. 10. sect. 1. Et probatur. Quia si obiectum remotum sit luce perfusum v. gr. mons in ortu, vel ocasu solis, clarius, & melius videtur, quam obiecta intermedia magis propinqua potentiæ à luce solis non perfusa, vt ipsa experientia est cuique notum: sed contrarium accideret si lux non esset requisita ex parte coloris ad illum videndum: ergo vt videatur color requiritur lux ex parte ipsius. Minor videtur certa. Quia ex vna parte potentia eadem est ad videndum obiectum remotum, ac ad videndum obiectum proximum. Deinde obiectum proximum perfectiorem speciem mittit ad potentiam, quam obiectum remotum si lux non est requisita ex parte obiecti ad ipsum videndum: ergo si lux non requiritur ex parte obiecti colorati clarius videbitur obiectum propinquius non illuminatum quam remotius illuminatum, quod est contra experientiam.

Di-

28 Dico 2. non requiritur ex parte medij ad videndum obiectum distans luce perfusum. Ita P. Hurtado disp. 17. sect. 2. & PP. Conimbricenses vbi supra. Probatur. Quia in atra nocte è longissimo spatio conspiciuntur ignes, quorum luce non est perfusum spatium intermedium: ergo lux non requiritur ex parte medij ad visionem obiecti distantis. Antecedens quoad primam partem est experientia notum: quoad secundam vero etiam videtur certum, quia incredibile est paruum ignem lucem difundere per totum aërem: & si hoc ita esset, cur non videntur corpora intermedia ad quæ, per te debet pervenire lux ab igne producta? Dices. Verum esse, lucem non requiri ex parte medij, vt lux ipsa distans, vel distans luminosum videatur propter nostram rationem: at ad hoc, vt videatur color distans non sufficit lux existens in colore distanti; sed requiritur etiam lux in medio: vt patet in oculis felis, quorum lucem & non colorem videmus. Sed contra. Quia sępè non solùm videmus lucem longinquam in atra nocte; sed etiam colorem aliquorum corporum existentium propè illam lucem. Nam si lux appareat in monte nive resperso, non solum nō requiritur lux in medio ad videndam lucem distantem; sed etiam neque requiritur ad videndum distantem colorem. Quod in oculis felis videatur lux, & non color eorum probat, aliqua corpora, & aliquos colores esse aptiores admittendam speciem sui, quā alij, quod ab omnibus concedi debet; & colores existentes in oculis felis non sunt apti admittendam speciem sui ad potentiam nisi luce diei perfundantur.

29 Dico 3. lux non requiritur ex parte potentię visivę ad videndum obiectum coloratum. Ratio est, quam dedimus num. præcedenti. Illa exigua lux, quam in obscura nocte è longissimo spatio videmus nō producit lucem per totum aërem intermedium, ac proinde non producit lucem in potentia plus ab ipsa distante; & nihilominus videtur: ergo vt videatur obiectum, non requiritur lux ex parte potentiæ.

30 Tertia difficultas est. An lux requisita ex parte coloris requiratur tanquam pura conditio necessaria ad vidēdum colorem, vel quo pacto requiratur? Dico 1. Lux non requiritur ex parte coloris, vt obiectum formale reddens colorem intrinsecè visibilem. Est sententia expressa Aristot. lib. 2. de Anima cap. 7. vbi docet, *Colorem in semetipso causam habere, cur sub aspectum cadat.* Probatur. Quia vel color videtur,

eadem visione, quâ lux vel diversa? Si diversa: ergo non redditur color formaliter visibilis per lucem. Quia per illud redditur formaliter, & intrinsecè visibile aliquod obiectum, per quod proximè, & formalitèr, terminat sui visionem; sed color per suam entitatem terminat visionem sui distinctam, per se, à visione terminata ad lucem: ergo per suam entitatem, vt distinctam ab entitate lucis est visibilis color. Si secundum: ergo eo intensior erit visio coloris, quò intensior sit visio lucis: patet: quia si eadem visione, & eadem specie videntur lux, & color, quo intensior sit visio, & species lucis, intensior erit visio coloris: & vlterius: nam si color est formaliter visibilis intrinsecè, quatenus est lucidus, quo lucidior erit visibilior. Sed hoc est falsum; quia sæpè visio coloris impeditur luce intensa, qua perfunditur: ergo nulla ratione redditur color intrinsecè visibilis per lucem; sed per suam realem entitatem; non aliter ac verum est per se ipsum cognoscibile ab intellectu.

32 Dico 2. Lux non requiritur ex parte coloris tanquam principium influens simul cum colore in productionem speciei, quam color ad potentiam mittit, vt videatur. Probatur. Nam color se ipso, & vt distinctus à luce est intrinsecè, & adæquatè visibilis: ergo se solo adæquatè est potens producere speciem sui. Deinde, quamvis luci debeat tribui virtus productiva speciei, quâ videatur ipsa lux: nullum tamen est fundamentum, vt luci tribuamus virtutem productivam speciei repræsentativæ coloris: ergo ei non est tribuenda. Antecedens probatur. Nam vnicum fundamentum, vt tribui posset luci virtus productiva speciei repræsentatis colorē, esset, quod color nunquā produceret speciem sui nisi in consortio lucis. sed hoc non sufficit. Quia punctum quantitatis non producit speciem sui nisi assotiatum cum alijs punctis constituentibus magnitudinem, & extensionem corporis: & tamen quælibet pars corporis producit se sola suam partem speciei, quin vlla concurrat ad producendam speciem alterius ex dictis disp. 6. ergo, quod color nunquam producat sui speciem nisi assotiatus luce, non probat, quod lux debet partialiter influere in speciem coloris: præcipuè cum lux, & color sint distinctarum specierum, & magis inter se dissidentia, quam vna pars corporis dissidet ab alia. Dico 3. Lux requiritur ex parte coloris tanquam pura cōditio obiectiva necessaria ad detegendum colorem sua claritate, vt proximè possit percipi à po-

potentia, & vt expediens colorem, vt proxime possit producere speciem sui in potentia. Est communis sententia. Cuius probatio descendit ex dictis. Lux est aliquomodo requisita ex parte coloris ad ipsum videndum. Aliunde non requiritur, neque tanquam obiectum formale intrinsecum reddens colorem intrinsece visibilem: neque vt comprincipium cum colore influens in speciem coloris: ergo præcisse requiritur tanquam obiectiva conditio sine qua non potest color producere sui speciem, neque potentia videre colorem.

32 Auditus, qui est secundus sensuum externorum, sic definitur, *Potentia sensitiva solum percipiens sonum.* Cuius definitionis explicatio satis constat ex dictis circa visum. Hæc potentia vocatur disciplinæ mater, quia per auditũ discimus à Magistris: estque organum fidei, iuxta illud Isaiæ, *Fides ex auditu.* Hæc potentia continetur intra aures, quas natura fecit concavas, & admodum labirinti: tum vt inimicis non pateat aditus ad ingressum: tùm præcipuè, vt species soni per tot anfractus frangantur, & successivè, & non catervatim ad potentiam accedant: & tum denique, vt aër frigidus per auditum ingrediēs aliquatenus tepescat, & potentiæ sua frigiditate non noceat. Intra foramen cujusvis auris est quædam membrana ad modum timpani, quam vocant miringam, in qua fit sonitus similis tinitui campanæ & quam sustentant tria ossicula; quorũ primum refert figuram incudis innixę duobus pedunculis: alterum malleoli, & tercium stapedę. Intra membranam continetur quidam aër innatus clausus ne diffugiat. Ab interiori autem parte timpani ascendit vsquè ad cerebrum nervus opticus per quem ad aurem descendunt spiritus animales ad audiendum requisiti, & ad cerebrum deferuntur simulacra, & species rerum auditarum, quæ requiruntur ad sensationem internam.

33 Auditio fit in illa substantia aèrea intra tympanum: seu miringam contenta, vt docent PP. Conimbricenses cap. 8. cuius ratio esse potest. Nam aër est corpus aptius ad recipiendum sonum, & eius species, vt experientia notum est, aërque est vehiculum defferens ad aures soni species ad auditionem requisitas: ergo inter omnes partes auditum componentes, illa debet censeri magis apta, vt in ea auditio fiat, quæ magis apta est ad recipiendas species soni ad audiendum requisitas: sed huius naturæ est illa substantia aèrea in cavitate timpani asservata: ergo in illa fit auditio. Con-

firmatur ex eo, quod hæc aërea substantia constituta est à natura, & collocata in centro auditus, & reliquæ partes huic tanquam nobiliori famulantur, eam protegentes à contrarijs inimicis, ipsique atrahentes alimentum, quo nutriatur, & conservetur; sed auditio fieri debet in parte nobiliori auditus, nisi oppositum efficaciter probetur: ergo fit in dicta substantia aërea.

34 Obiectum huius potentiæ proprium est sonus, qui sic definitur: *Qualitas producta per motum quo aer corpore duro verberatur*. Vnde ad sonum requiritur percussio aeris, vel alterius corporis capacis recipiendi sonum dicimus *quo aer verberatur*. Nam licet aqua capax etiam sit recipiendi sonum, & vt per quam traijciatur ad aures, vt patet, quando ad ripam fluminis audiuntur motus saxorum, quæ aquis rapiuntur, & motus piscium intra aquam existentium; sonusque recipiatur, & traijciatur per alia corpora, aer tamen est corpus inter omnia aptissimum ob suam raritatem, vt in ipso sonus recipiatur, & per ipsum traijciatur species soni ad aures. Densitas corporis intermedij impedit sonum, vt ad aures perveniat: fenestræ enim vitreæ, quia valde densæ in causa sunt, vt vix percipiatur sonus campanæ. Diximus etiã sonum esse qualitatem productam in aëre *à corpore duro*: quia non est necessarium, quod duo corpora ab aëre distincta mutuo collidantur ad producendum sonum. Nam quando virga aër verberatur producitur sonus sine mutua collisione duorum corporum distinctorum ab aëre: frequentius autem fit sonus ex collisione mutua duorum corporum, quorum vtrumque sit durum: patet in mutua percusione duorum saxorum, & in sono campanæ, qui fit à collisione linguæ eius cum præcipuo campanæ corpore.

35 Inter sonos primum locum obtinet vox, quæ ab Aristotele sic diffinitur lib. 2. cap. 8. textu 90: *Ictus aëris respiratione atracti, qui ab anima in pulmonibus existente cum quadam imaginatione efficitur*. Dicitur *ictus aëris* non quia vox sit aeris ictus; sed quia ex ictu aereis resultat. Ad quod intelligendum adverte, pulmones esse molles, & porossos sicut spongiam, vt facile compressi, & dilatati, sicut folles aerem per aspirationem attrahant, & per respirationem dimittant: ex illoque aëre à pulmonibus dimisso per respirationem simulque à motu linguæ collidentis dentibus, & palato formatur vox. Dicitur *cum imaginatione quadam*, quia illa virtus, causativa vocis in pulmonibus, &

& in lingua existens applicatur ad loquendum; & vociferandum in hominibus frequentius à voluntate cum cognitione operante, & aliquoties in hominibus dormientibus,& amẽtibus, semperque in brutis ex motione phantasiæ, & appetitus sensitivi. Sonus tàm vocis, quàm quilibet alius, est qualitas citò transiens, vt experientia ipsa constat: quia non diù durat tinnitus campanæ,neque sonus tonitrui,qui sunt soni vehementiores. Cur autem dum tonat prius percipiatur à visu lux, quàm ab auditu sonus tonitrui est, quia lux est magis activa, quàm sonus,& citius difundit per aerem suas species quam sonus. De reflexione soni diximus lib. de Generatione tract. 1. disput. 3. sect. 2. §. 2.

36 Olfatus sic definitur. *Sensus percipiens solum odorem.* Organum huius potentiæ est in naribus vbi latet clausum duobus ostiolis, quæ aspiratione per nares aperiuntur,& hinc oritur,nos aspiratione, & non respiratione olfacere:aer enim per respirationem dimissus comprimit ostiola, ne ascendat qualitas odorifera, per aspirationem autem atractus aer aperit ostiola, & secum fert qualitates odoriferas, quæ aspiratione percipiuntur à sensu, & vt eas percipiamus, solemus extensis, & dilatatis naribus aspirationem protendere. E cerebro vsque ad nares quidam caneles procedunt per quos excrementa capitis emittuntur, & cerebrum fugit qualitates odoriferas, quibus recreatur.Cum his canalibus descendunt vsque ad extremam narium duo nervi per quos descendunt spiritus animales deservientes olfactioni, & species odoris ad sensum internum ascendunt. Olfactio fit in duabus carunculis *mammillaribus*, quæ ità vocantur, quia mammillæ similitudinem refferunt, existuntque supra ostiola in parte superiori narium. Quia hæ carunculæ spongiossæ temperaturæ sunt, beneque aptæ, vt recipiant odoriferas exhalationes. Deinde, quia experientia noscimus, quod si nares præcidantur in inferiori parte ipsarum non tollitur olfactus, secus si per partes superiores secentur.

37 Obiectum proprium olfactus est odor, qui est: *Qualitas ex temperatione primarium qualitatum orta calore, & siccitate dominante.* Hanc qualitatem oriri ex remperamento primarium qualitatum videtur certum,quia invariata substantia, & solo variato eius temperamento, variatur odor, vt patet in vino, & pluribus alijs rebus. Quod ad odorem requiratur excessus caloris, & siccitatis intemperamento patet

etiam,

etiam, quia flores exsiccatæ maiorem odorem emittunt, quam humidæ: & tempore verno plus sentitur hortorum odor, magisque olent vina, & aromata, quàm in hyeme. Econverso autem fætor dominatur in humida corpora: aqua enim plurimum fætet, dum corrumpitur: fætorque est vel causa, vel signum corruptionis; ideoque stomacus, qui alimenta nociva, & corrupta horret à naribus accipit notitiam, vel odoris, vel fætoris ciborum ad ipsos appetendos, vel respuendos. Odor percipitur ab olfactu per species intentionales (sicut etiam per species intentionales percipitur sonus ad auditu, & color à visu.) Medium autem aptum ad traijciendas species vsque ad olfatum est aër, in omnium sententia: & in sententia plurium aqua etiam Nam pisces intra aquam sentiunt odorem cibi à piscatoribus oblati: alique pisces trahuntur odore aliorũ,&piscis *cæcus* aperit os, vt in illud intrēt alij pisciculi odore attracti.

38 Gustus est sensus solos sapores percipiens. Residetque in lingua, estque vivacior, & perfectior in extrema linguæ cuspide: quando enim volumus aliquid prægustare, illud attingimus linguæ extremitate: etiam percipitur sapor à gutture, & palato, sed non adeo perfectè, ac percipitur à lingua. Obiectum huius sensus est sapor, qui sic definitur. *Qualitas secunda ex mixtione primarum orta siccitate terrea, & humiditate aquea dominantibus.* Sapor percipitur per speciem sui productam in gustu: vel, si vis, immediatè, & sine specie intermedia concurrit ad sui sensationem; & huius diversitatis inter gustum, & reliquos sensus satis clara est ratio. Quia vt sapor percipiatur necessarium est, quod physicè immediate attingat linguam, quin vllum sit medium extrinsecum quod species saporis recipiat vt eas ad linguam defferat: Contrarium, autem, accidere in odore sonitu, & colore respectu suorum sensuum experientia ipsa docet: ergo licèt odor, sonus, & color percipiantur medijs speciebus intentionalibus, quas ad proprios sensus mittunt, sapor, vt percipiatur à proprio sensu, quem immediate physicè debet attingere, vt percipi possit non eget speciebus intentionalibus; sed immediatè physicè potest se ipso concurrere cum sensu ad actum gustandi. Dices; res, quæ aliquibus sunt dulces, alijs sunt amaræ; ergo sapor non est obiectum gustus ab ipso gustu distinctum. Sed contra; quia quod eandem res alij videatur

tur dulcis, & alteri amara provenit ex distemperie organorum, & dispositionum ad actum gustandi; sicut quod eadem res colorata alij appareat fœda, & alij pulchra vnice probat debilitatem, & distemperiem organorum ad videndum, in altero videntium: minime autē probat non dari veros colores distinctos à visu, aut veros sapores distinctos à gustu.

39 Tactus *est sensus per totum corpus diffusus varia percipiens obiecta.* Diffunditur per totum corpus. Nam quavis eius parte sivè interna sivè externa obiecta tangimus, & sentimus. Est perceptivus diversorum obiectorum; nam tactu percipimus calorem frigus, humiditatem, siccitatem, impulsum cuiusvis qualitatis doloriferæ; nec non asperitatem, lenitatem, duriciem, & molitiem. Quia hæc omnia obiecta à tactu discernuntur, quod accidere non posset si non esset perceptivus horum omnium. Partes animalis non viventes, & non informatę anima carent potentia tactivâ: è converso autem omnes partes anima informatæ tactu gaudent. Eius obiectum non percipitur à tactu per speciem intentionalem propter eandem rationem, qua id asseruimus de gustu num. precedenti, videlicet, quia tactus non percipit propria sua obiecta nisi ipsi sint immediatè physicè aplicata: sed species vnice adstruendæ sunt pro suplenda distantia inter obiectum, & potentiam, nullaque distantia est suplenda dum obiectum immediatè physicè attingit potentiam: ergo necessaria non est species intentionalis ab obiecto tangibili producta.

40 Non solum percipiuntur à tactu calor, & frigus v.g. existentes in subiecto extraneo; sed etiam similes qualitates in ipso tactu existentes. Quia manus non solum percipit calorem ignis cui immediatè aplicatur; sed etiam calorem ipsam manum informantem, & æger maximè sentit, valdeque angitur calore febris in ipso existente. Sed rogabis. An qualitas dolorifera à vulnere v.g. proveniens sit distincta à primis qualitatibus, vel ab eis indistincta, vniceque cōsistat dolor in distemperie primarū qualitatū, scilicet, in exsuperantia, & excesu alicuius ex illis supra id quod exigit natura ad debitum temperamētum viventis? Non nulli iudicant, dolorem non distingui à primis qualitatibus distemperatis. Sed communior, & vera sententia asserit, qualitatem doloriferam esse distinctam ab illis. Ratio desumitur ab experientia. Quia quando primæ qualitates distēperantur per excesum caloris ver. grat. sentimus calorem, &

& quando distemperantur per excessum frigoris sentimus frigus, vt patet in tertiana, in cuius initio frigus, & in augmento, & statu eius, calorem sentimus, atqui, dum dolemus accepto vulnere, sentimus, quid distinctum à calore, & frigore humiditate, & siccitate: ergo qualitas dolorifera quid distinctum est à distemperie primarum qualitatum.

SECTIO. III.

De sensibus internis.

41 CVM certum omnibus sit, & experientia comprobatum, præter quinque sensus externos supra recésitos, nullum alium externum sensuum defacto existere (quidquid sit de huius possibilitate) certum etiam est, & non minus notum experientia, præter sensus externos defacto existere sensum alium internum, quo internè percipiuntur obiecta sensata sensu externo: quod multipliciter suadetur. Tum quia ex omnibus, & singulis sensibus externis ascendunt ad cerebrum nervi, quibus vehuntur species, & imagines rerum perceptarum sensu externo: ad quodnam ergo munus illæ species ad cerebrum pervehuntur, nisi vt ibi sensatio interna eliciatur? Tum quia bruta cognoscũt res absentes ergo per sensum internum ab omnibus externis distinctum. Patet consequentia, quia nullus sensus externus percipit obiectum non præsens, vt experientia notum est, Antecedens, autem, probatur. Nam canis petit locum in quo prius vidit equum mortuum ac repetit locum, in quo catulos reposuit, fugitque hominem, à quo prius maleficium aliquod accepit, mula fugit obicem, in quem prius offendit: ergo percipiunt bruta res absentes, & recordantur rerum præteritarum. Tum, deniquè; quia bruta sæpe præferunt bonum absens bono præsenti, quod non stat, quin bonum absens percipiant: quod patet in cane, qui sæpè fugit hominem, à quo oblato pane demulcetur, & petit hærum, à quo accepit maiora beneficia. Dubium ergo non sit existere sensum internum ab externis sensibus distinctum.

42 Qui sic definitur. *Potentia vitalis materialis interna perceptiva omnium, quæ sensibus externis percepta sunt.* Divisionem sensus interni in suas species, dedimus, sect. 1. circa sensum communem (ad quem pertinet attigere obiecta omnium sensuum externorum, & inter ea discernere) est gravis difficultas inter Phylosophos Peripateticos, & Hypocraticos, in qua parte hominis sensatio interna eliciatur. An videlicet, in cerebro. An in corde? Aristoteles lib.

lib. 3. de partibus animalium cap. 3. & lib. 2. de Generatione animalium cap. 4. alijsque in locis docet sensum internum esse in corde, eiusque sententiam sequuntur, eius discipuli nec non Avizena. At per oppositum Galenus lib. 8. de vsu, partium cap. 3. & 4. docet sensum internum residere in cerebro. Cuius sententiam sequuntur communiter Philosophi cum D. Thoma 3. part. q. 8. art. 1. Hæc secunda sententia vera est, & probatur *primo*. Experientia quam adducit Galenus lib. 2. cap. 4. Nam interdum accidit animalia ad aras enecata extracto corde fugisse, & respirasse, & clamasse: ergo non in corde; sed in cerebro residet internus sensus. *Secundo.* Quia, vt supra dictum est, à sensibus externis ascendunt ad cerebrum nervi optici sensorij per quos vehuntur species rerum sensatarum: sed prædicti nervi non diriguntur ad cor; sed in cerebro sistunt, & finiuntur: ergo species rerum sensatarum non cordi, sed cerebro deserviunt atqui species rerum sensatarum simul cum sensu interno eliciunt internam sensationem in ea parte, in qua ipsæ species sistunt: ergo interna sensatio non in corde sed in cerebro fit.

43 *Tertio.* Quia læsio in capite impedit sensationem internam illæso corde vlterius nimio studio defatigatur internus sensus, illaque defatigatio in cerebro, & non in corde sentitur, ideoque medicamenta, vt calor ortus ex nimio studio temperetur, capiti, & non cordi applicamus: & denique rerum imagines, phantasmata, & somnia fiunt in cerebro, vt experientia docet, constatque ex Scriptura Sacra Dan. 2. *Somnium tuum, & visiones capitis tui huiusmodi sunt*: ergo internæ sensationes in cerebro fiunt. Quare mirum non est, quod Galenus, Aristotelem repræhendat, & dicat, eum cæcutivisse, & ad cecos fuisse locutum ex ignorantia anotomiæ, & hac de re scripsisse Aristotelem libros se indignos, & à tanto Philosopho alienos.

44 Obijcies. Fundamentum sententiæ Aristotelicæ. Cerebrum est discontinum à reliquis partibus corporis, estque frigidissimum, & valde humidum; sed sensus internus residens in parte discontinua à reliquis partibus corporis non potest deservire ad directionem, & gubernationem reliquarum partium; parsque adeò frigida, ac est cerebrum est inepta ad operationes sensus interni: ergo hic non potest residere in cerebro: ergo in corde residet. Confirmatur: quia cor vocatur princeps, & principium vitæ, tenetque in-

ho-

homine mediam sedem, & pectoris centrum à cordeque derivatur vita in reliquas partes animalis: ergo in corde, attenta eius dignitate, debet constitui sensus internus. Hoc est totum fundamentum oppositę sententiæ satis debile, vt per se apparet. Nego maiorem quoad primam partem. Quia cerebrum continuatur cum reliquis partibus medijs nervis. Ad secundam partem maioris, verum est, cerebrum esse valde frigidum, & humidum, sed hoc minimè probat esse ineptum ad sensationem. Quia eius frigiditas temperatur calore spirituũ vitalium ex corde ascendentium; & ex frigiditate cerebri, & calore spirituum cordis inter se attemperatis generantur spiritus animales in capite immediate deservientes ad sensationem. Ad confirmationem. Dico: cor optimo iure vocatur princeps, & principiũ vitę; quia est principium pulsum, & spirituum vitalium, quibus totum animal incalescit: at hoc non obstat quo minus cerebrum etiam sit pars princeps, quia in ipso generantur spiritus animales deservientes ad sensationes internas, & externas. Itaque à Medicis communiter distingui tur princeps pars triplex in animali, cor, scilicet, cerebrum, & iecur: cor, in quo spiritus vitales; cerebrum, in quo spiritus animales, & iecur, in quo sanguis ad alimentum viventis requisitus generatur. Vltimum, quod additur, scilicet, cor tenere primam, & mediam sedem viventis, esseque in centro pectoris, est ridiculum, vt bene Galenus. Nam etiam aliæ partes sunt in ea regione, vt pulmones, renes, &c. Et tamen non dicis ibi fieri sensationem internam. Imò cerebrum tenet supremum, ac regium locum supra reliquas corporis partes, vtpote constitutum in cacumine capitis.

45 Statuta sede sensus interni sunt aliquæ difficultates circa ipsum examinandæ. Prima difficultas est. An sicut dantur quinque sensus externi, dentur etiam quinque interni ipsis respondentes, vel an sufficiat vnicus internus sensus pro sensatione interna cuiusvis obiecti externè sensati? Nostra sententia vnicum tantum internum sensum communem agnoscit. Et probatur. Quia si propter aliquam rationem quinque sensus interni distinguendi forent, maximè, quia diversa est sensatio interna obiecti auditi, ab interna sensatione obiecti visi: sed hoc fundamentum desumptum ex diversitate sensationum internarum insufficiens est ad distinctionẽ sensuum internorum, vt multoties diximus: ergo vnicus internus sensus communis sufficit pro omnibus sensationibus

ini

internis. Minor cōstat. Nam eadem indivisibilis potentia visiva exterior est sufficiens ad omnes visiones: neque distinguitur duplex potentia visiva alia pro visione albedinis similiter idem intellectus elicit apræhensionem judicium, & discursum, eademque voluntas amorem, & odium inter se specificè dissidentes: vnicus ergo sensus internus sufficit ad omnes sensationes internas.

46 Secunda difficultas est. An sensus communis distinguatur realiter à phantasia. In nostra sententia identificante omnes, & singulas potentias sivè spirituales, sivè materiales, sivè internas, sivè externas cum anima, certum est inter se identificari realiter sensum communem, & phantasiam: nec non realiter identificari inter se phantasiam, imaginativam æstimativam, & memoriam sensitivam. Quare in præsenti nihil speciale addendum est ad id probandum.

47 Obijcies. Diversa dispositio requiritur ad operationem sensus communis, nempè ad sensationem obiecti præsentis, à dispositione, & temperamento requisito ad sensationem obiecti absentis, quæ est operatio phantasiæ: ergo hæc distinguitur à sensu communi. Antecedens probatur. Nam cum sensus communis res præsentes percipiat debet esse facilis in acquirendis speciebus illarum, requiriturque ad hoc temperamentum in quo prævaleat humiditas: phantasia vero, vt tenax sit in retinendis speciebus ad res absentes sentiendas, requirit temperamentum in quo siccitas prævaleat. Hinc iuvenes in quibus prævalet humiditas facile acquirunt species rerum, & difficile eas retinent; senes autem in quibus siccitas prævalet difficile species acquirunt; at semel admissas difficile deperdunt: ergo. Instatur argumentum, quod valde inefficax est. Diversa cognitio requiritur ad amandum obiectum, ac ad illud odio habendum: ad amandum enim obiectum requiritur cognitio proponens eius bonitatem, quamvis in eo nullam malitiam proponat; ad ipsum vero, odio habendum requiritur cognitio proponens eius malitiam, quamvis nullam bonitatem in obiecto repræsentet: ergo distinguenda est duplex voluntas, alia pro amandis, & alia pro odio habendis obiectis.

48 Quare ad argumentum concesso antecedenti, quod bene probatur, & quod tantum arguit, sensationem obiecti præsentis esse distinctam, (vt in plurimũ) à sensatione obiecti absentis, mi-

minime autem infert realem distinctionem inter principia prædictarum operationum. Nego consequentiam, quæ sine probatione relinquitur. Itaque dicimus eandem indivisibilem potentiam, quæ coniuncta cum temperamento, in quo prævalet humiditas facile admittit, facileque dimittit species rerum sensatarum præsentium, hanc inquam, potentiam ipsam coniunctam cum temperamento, in quo siccitas prævalet difficile admittit, & semel admissas difficile dimmittit species deservientes ad sensationem obiectorum absentium Præterea, dico: primas qualitates ita bene temperatas, vt neque siccitas, neque humiditas prævaleat constituere temperamentum bene aptum ad recipiendas species, & ad ipsas retinendas, ab eademque potentia à qua primo admittuntur tales species conservantur in posterum ad vlteriores sensationes, & recordationes obiectorum. Neque distinguenda est duplex potentia altera primo admissiva, & altera conservativa talium specierum, prout contendunt Adversarij, nisi id efficaciter probent, quod hucusque non præstant. Quod vero iuvenes facile acquirant, & facile etiam perdant species rerum, & senes tenaces sint in retinendis speciebus, quas difficile acquirunt, probat quidem distinctionem temperament[i] vtriusque; sed minime distinctionem sensum internorum, & potentiarum, quæ licet non distinguantur diversum temperamentum requirunt ad h[as] operationes, & ad illas. Sic[ut] intellectus, vnicus cum sit, dive[r]sam lucem obiecti requirit a[d] illud aprætendendum, ac ad i[l]lud iudicandum; eademque i[n]divisibilis voluntas diversa[m] cognitionem obiecti exigit [ad] illud amandum, ac ad illu[d] odio habendum.

49 Tertia diffi[-]cultas est. An æstimativa disti[n]guatur realitèr à phantasia, [&] imaginativa, & à memoria sen[-]sitiva? Pro responsione noto In brutis non dari potentiam *æstimativam* rerum; ratio e[st] Nam æstimativa, iuxta D. Th[o-]mam, hanc potentiam admi[t-]tentem in brutis 1. part. quæ[st.] 78. art. 4. *Est potentia material[is] cognoscens obiecta sensu exter[no] imperceptibilia*: estque potent[ia] cognoscens bonitatem obie[cti] vtilis, & vim nocivam obie[cti] perniciosi vitæ animalis: s[ed] impossibilis est brutis cogniti[o] bonitatis vtilitatis, aut disco[n-]venientiæ obiecti ad vitam i[p-]sius: ergo. Probatur minor. Br[u-]tum non potest percipere co[n-]venientiam, aut disconvenie[n-]tiam obiecti per species pro[-]prias ipsius. Nam brutum [so-]lum habet species proprias r[e-]rum perceptarum sensibus, c[e-]teri

ternis, nullusque sensu externus percipit bonitatem, aut malitiam, convenientiam, aut disconvenientiam obiectorum. Non per species à Deo infusas. Nam quis vnquam dixit Deum infundere brutis species sensitivas ad percipienda obiecta insensata. Ergo si brutum percipit bonitatem, aut malitiam, convenientiam, aut disconvenientiam obiecti, hæc debet percipere per discursum; scilicèt ovis ex visione Lupi, & ex eius colore infert cognitionem inimicitiæ per discursum: sed implicat discursus in brutis, alioqui ipsis concedendus esset perfectissimus discursus, cum sæpè opera exequantur mirabiliora operibus hominum, ergo impossibilis est in brutis cognitio rerum insensatarum. Vndè quæ de hac re diximus in Physica lib. 2. disputat. 7. sect. 2.

50 Iam quæstioni propositæ, respondeo negativè cum communi nostrorum sententia contra Thomistas: & conclusio est. Sensum communem, phantasiam, imaginativam, æstimativam, memoriamque sensitivam esse eundem indivisibilem realitèr sensum internum. Probatur. Nam si aliquid obstaret huic idenitati maximè diversitas operationum, & dispositionum ad eas requisitarum: sed hoc fundamentum debile, & insufficiens est, ex sæpè dictis: ergo distinguendi non sunt præfati sensus interni. Confirmatur *primò*. Sensus communis non distinguitur realitèr ab æstimativa: ergo neque à reliquis sensibus assignatis. Constat consequentia ex eo, quod magis dissident inter se operationes sensus communis, & æstimativæ, quam operatio sensu communis distat ab operationibus cæterorum sensuum internorum. Antecedens probatur. Operatio sensus communis est sensatio interna obiecti præsentis ex qua interna sensatione infert æstimativa, quasi per discursum convenientiam, aut disconvenientiam obiecti: ergo æstimativa percipit interna sensatione obiectum præsens, ex cuius sensatione movetur ad appendendam eius bonitatem, aut malitiam, aut disconvenientiam. Patet hoc: quia in eadem potentia in qua existit illatio vnius actus ex aliò existit vterque actus: in eadem ergo potentia æstimativa in qua existit illatio convenientiæ, aut disconvenientiæ obiecti deducta ex interna sensatione obiecti præsentis existit huius sensatio interna. Si ergo potentia æstimativa se sola sufficit ad percipiendum internè obiectum præsens, & ad taxandam, & appendendam eius vtilitatem, convenientiam, aut discon-

venientiam, cur, aut quâ ratione addendus erit sensus communis ab æstimativa distinctus?

51 Confirmatur *secundò*. Nam æstimativa discernit inter omnia obiecta reliquorum sensuum externorum, & internorum, sed non stat æstimativam inter hæc omnia obiecta discernere, quin internè percipiat omnia, & singula obiecta reliquorum sensuum etiam internorum: ergo ea percipit per internam illorum sensationem: ergo vnica potentia æstimativa extenditur ad omnia, & singula obiecta internè perceptibilia: ergo sine vrgenti fundamento, quod ab Adversarijs non aducitur, pro distinctione sensuum internorum non est astruenda talis distinctio. Vnde infertur: quod licèt brutis concedatur virtus æstimativa non est distinguenda à phantasia, & à reliquis sensibus internis. Nam æstimativa determinari debet ad cognoscendam convenientiam, aut disconvenientiam, obiecti à perceptione interna obiecti prius sensati, quod ipsum ab, æstimativa attingitur, & percipitur, tanquam conveniens, vel disconveniens: ergo æstimativa attingit obiectum, quod tu dicis esse proprium sensus communis, & phantasiæ: ergo vnica potentia æstimativa est potens exercere munera propria sensus communis, & phantasiæ, proindeque ab ijs non distinguitur, nisi oppositum efficacitèr probetur.

52 Objicies. Sæpè læditur vnus sensus internus altero non læsso: ergo realitèr distinguuntur. Probatur antecedens. Nam sæpè quis elicit sensationes sensus interni communis circa obiectum præsens, quin elicere valeat sensationes phantasiæ, aut imaginativæ defatigatæ capitis dolore: ergo vnus sensus læditur illæsso alio. Nego antecedens, vel illud distinguo. Læditur vnus sensus subiectivè altero subiectivè non læsso, nego: læditur terminativè vnus illæsso terminativè altero, concedo antecedens, & sub eiusdem terminis distinguendum est consequens, & probatio antecedentis. Est dicere, vnus sensus internus non distinguitur subiectivè, & in se ab alio: terminus autem, & exercitium vnius sensus realitèr distinguitur à termino, & exercitio alterius: sicut distinguuntur actus intellectus, & voluntatis licèt intellectus, & voluntas sint subiectivè, & in se indistincta. Vno verbo. Vnicus indivisibilis realitèr sensus est elicitivus terminorum, & exercitiorum distinctorum realitèr: & stat benè sensum il-

illum indivisibilem impediri ab vno exercitio ex defectu dispositionis, & distemperie temperamenti ad illud requisiti, quin impediatur ab altero exercitio, ad quod temperamentum requisitum existit. Ex dictis fit primò. Sensus internos inter se distingui ratione nostra, præcise, ex eo, quod comparati ad diversas operationes diversas denominationes sortiuntur. Fit secundò: animam, & eius potentias spirituales, eius sensus internos, necnon, & externos esse vnicam indivisibilem realitatem, quæ diversis nominibus appellatur propter diversitatem munerum, & operationum, quas exercet.

53 Rogabis primò. An per sensationem internam percipiantur non solum obiecta, sed etiam sensationes sensuum externorum? Respondeo affirmativè cum communi sententia ferè omnium, & probatur experientia. Nam canis repetit locum vbi equum mortuum vidit, & fugit hominem à quo maleficium accepit: ergo recordatur visionis equi mortui, & sensationis doloris, & maleficij. 2. Nam sæpè brutum arrigit aures ex appetitu audiendi: sed hoc non stat sine aliqua perceptione materiali interna auditionis, qua excitetur ad appetendam auditionem: ergo non solum percipit sensatione interna obiecta prius externè sensata, sed etiam sensationes externas. Rogabis secundò. An sensus internus percipiat suam sensationem per reflexionem supra ipsam? Negant omnes Authores, & meritò, nam hic modus reflectendi supra suas operationes est proprius intellectus, & excedens perfectionem potentiæ materialis: non minus ac ipsam excedit vis discurrendi propria intellectus. Rogabis tertiò. An sensus internus percipiat negationes, aut carentias? Respondeò negativè: tùm quia quæstio est de falso suppositio in nostra sententia non agnoscente carentias obiectivas: tùm quia sensus internus non vtitur speciebus vnius obiecti ad cognoscendum aliud, ac proindè non potest percipere carentias per species alienas: neque per species proprias; quia carentiæ cum nihil sint nullam speciem sui propriam producere possunt in sensu.

54 Sed objicies: bruta sæpè dolent de amissione catulorum, quos pepererunt: vt patet quando Leænæ auferuntur filij: ergo percipiunt defectum, & carentiam filiorum. Confirmatur: quia canis non tentat eggredi per murum,

 sed

sed per ianuam carentem corpore impediente egressum: ergo cognoscit carentiam corporis interpositi. Ad argumentum dico, dolere quidem bruta de amissione filiorum non quia carentiam eorum percipiant; sed quia ipsis deficit voluptas materialis, quam ex Societate filiorum percipiebant, & hanc voluptatem maxime appetunt. Ad confirmationem: canis in ianua non percipit carentiam corporis; sed in ea positivè videt viam paratam ad eggressum. Rogabis *Quarto.* Qua ratione memoria sensitiva vtatur speciebus, quas in se servat ad recordationem? Respondeo, id fieri per excitationem earundem specierum, modo infra dicendo lib. 3. Disp. 1. sect. 2. circa memoriam intellectivam: ea autem excitatio fit vel per novam sensationem externam eiusdem obiecti, vel per sensationem externam, aut internam alterius obiecti similis. An, autem, species memorativæ obiectorum distinguantur ab speciebus memorativis priorum sensationum: an potius vnica species sufficiat pro vtriusque memoratione? Res est parvi momenti, in qua verius videtur esse distinctas, cum sæpe recordemus obiecti, & non sensationis: licèt nunquam detur recordatio sensationis sine recordatione obiecti; cum sensatio sit essentia sua obiecti repræsentatio.

SECT. IV.

De appetitu sensitivo.

55 Certum est, & Fide, & experientia nobis in esse sensitivum appetitum, scilicèt, legem illam membrorum, quam Apostolus ait: *repugnare legi mentis, & concupiscentem adversus spiritum*: quod idem firmat Tridentinum dum appetitum hunc appelat: *fomitem peccati nobis ad agonem relictum.* Constat etiam experientia: Nam in nobis experimur, & in brutis videmus vehementem inclinationem ad res delectabiles, & iucundas; neque, & bruta fugimus, & horremus res iniucundas, & nocivas. Facultas ergo hæc naturalis, & congenita prosequendi delectabilia, & convenientia, & fugiendi disconvenientia, & nociva nobis, & brutis communis appellatur appetitus sensitivus. Et definitur sic: *Facultas vitalis materialis prosequutiva boni convenientis, & aversiva a malo disconvenientis.* Eius obiectum est bonum vtile, & de-

delectabile, quod prosequitur, & malum nocivum iniucundum, & inutile, à quo fugit. Hic appetitus, qui sequitur sensum internum cum ex sensatione interna moveatur ad prosequendum, vel fugiendum obiectum. sensatum non potest naturalitèr prosequi, vel fugere obiectum, quin præcedat interna sensatio eiusdem repræsentans eius convenientiā, aut disconvenientiam ad naturam sensitivam Admodum quo voluntas rationalitèr appetitiva nequit moveri ad prosequendum, vel fugiendum obiectum nisi præcedente cognitione ostendente bonitatem, aut malitiam obiecti, convenientiamque, aut disconvenientiam ad naturam rationalem.

56 Rogabis *primo.* An hic appetitus, qui sequitur sensum internum sit vnicus, vel multiplex pro diversitate sensationum internarum? Respondeo esse unicum, & probatur 1. Quia ex dictis sectione præcedenti vnicus sensus internus sufficit pro omnibus internis sensationibus; sufficitque etiam ad percipienda omnia, & singula obiecta prius sensata sensibus externis: ergo sufficit etiam vnicus appetitus sensitivus ad prosequenda vel fugienda omnia, & singula obiecta sensibus internis repræsentata. 2. Quia licèt intellectus plures actus speciè distinctos eliciat: sufficit vnica voluntas ad producenda, & fugienda omnia obiecta ab intellectu repræsentata: ergo sic et speciè distinguantur sensationes internæ, vnicus appetitus sufficit ad prosequenda, vel fugienda omnia obiecta interius sensata. Vndè infertur, divisionem appetitus in *irascibilem*, *&* *concupiscibilem* non esse in membra realitèr distincta; sed distincta solùm ratione nostra per ordinem ad terminos, & exercitia distincta realiter, quæ ab vnico appetitu eliciuntur: sicut supra diximus de distinctione sensuum internorum. Appetitus igitur *concupiscibilis*, dicitur, quatenùs tendit in obiectum naturæ sensitivæ delectabile: irascibilis verò dicitur, quatenùs tendit in bonum naturæ sensitivæ ipsum acritèr defendendo ab Adversarijs, vt cum canis defendit cibum ab alia fera intendente rapere.

57 Rogabis *secundò.* An hic appetitus in cerebro, an in corde resideat? Aristoteles cum omnibus Peripateticis, & Stoicis, nec non Galenus 2. de placitis cap. 13. asserunt residere in corde: Sed communior longe sententia constituit appetitum in cerebro. Hæc sentētia vera est, & probatur 1. Quia appetitus movetur ad appetendum sensatione interna obiecti: sed si appeti-

O 3

petitus est in corde, & interna sensatio in cerebro non potest ex illa moveri ad appetendum: ergo appetitus in cerebro residet simul cum sensu interno, & interna sensatione. Probatur minor. Quia sensatio non movet appetitum neque in genere causæ efficientis, neque per sympatiam sicut movetur manus ad imperium voluntatis; sed in genere causæ formalis informando, videlicèt, appetitum, ipsique ostendendo convenientiam, aut disconvenientiam obiecti, vt ipsum prosequatur, vel fugiat Sed sensatio existens in cerebro non potest sic informare appetitum existentem in corde, cum similis, informatio per se exigat intimam propinquitatem, imò vnionem physicam sensationis cum appetitu: ergo.

58 Secundò probatur ad hominem contra Galenum asserentem, cor in suis corporibus non dependere à cerebro, quia pulsat, palpitat, & spiritus vitales generat, licet nervi comprimantur, & licèt feriatur cerebrum. Sed appetitus in suis operibus, & appetitionibus dependet à sensu, quia nequit appetere obiectum non sensatum: ergo appetitus non existit in corde omninò independente per te, in suis operibus à cerebro. Sed objicies 1. ex Galeno. Quia anxietates, mestitiæ, melancolia, & iracundia sentiuntur in corde: ergo ibi est appetitus à quo prædicti actus proveniunt. Instatur argumentum. Quia maxillis sentitur, & apparet erubescentia, & metus, quæ sunt actus appetitus: ergo appetitus residet in maxillis. Ad argumentum respondeo anxietates, mæstitias, similesque passiones sentiri in corde non, quia ibi sit appetitus, sed quia ex appetitione in cerebro elicita, quasi per consensum, & sympatiam accurrunt ad cor iam humor melancolicus, ex quo tristitia, iam colericus, ex quo iracundia producitur: sicut ex appetitione in cerebro elicita per consensum, & sympatiam ad maxillas confugit sanguis ostendens verecundiam, vel pituita obstendens per pallorem iracundam vel metum.

59 Objicies 2. Illud Deuteronomij 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quod videtur significare facultatem dilectivam esse in corde, ac proinde etiam in corde erit appetitus sensitivus. Respondeo ibi etiam dici, *& ex totis visceribus tuis* & tamen nullus dixit, facultatem dilectivam, aut appetitum sensitivum, sita esse in visceribus. Quare sensus illorum verborum est, nos debe-

bere omnes nonstras cognitiones, & affectiones, omnesque operationes cuiuscumque sensus, & facultatis appetitivæ in obsequium Dei dirigere; sicut docet Apostolus: omnia membra nostra exhibenda esse ad placendum Deo: sicque intelligi debet illud Salm. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini Sancto eius.* Vel si vis dicito nos debere diligere Deum ex toto corde nostro non quia amor, aut sensitiva appetitio producantur in corde; sed quia à corde generantur, & mittuntur ad cerebrum spiritus vitales ad eo necessarij, vt fiat interna sensatio, & appetitio in cerebro, vt sine illis spiritibus illi actus fieri nequeant. Quare iure tribuuntur cordi, generanti illos spiritus, non solum appetitiones, sed etiam cogitationes nostræ iuxta illud Christi Domini: *De corde exeunt mala cognitiones.*

60 Denique rogabis. An præter appetitum consequutum ad sensum internum, dentur alij appetitus, qui immediatè sequantur sensus externos? vt. gr. An immediatè post visionem externam obiecti ante illius sensationem internam detur appetitus medius cuius munus præcisse sit appetere obiecta externè visa: necnon post auditionem externam ante illius internam sensationem detur appetitus alter cuius munus sit appetere præcisse obiecta audita; & sic de cæteris sensibus, ita vt multiplicandi sunt alij quinque appetitus pro multiplicatione quinque sensuum externorum? Respondeo negativè, & probatur. Nam vnicus appetitus sensitivus ad sensum internum subsequutus est sufficiens se solo ad appetenda omnia obiecta bona, & fugienda omnia mala sensibus externis percepta. Ad quid ergo illa multiplicatio appetituum? Antecedens probatur. Nam ex supra dictis vnicus sensus internus est sufficiens ad discernendum inter omnia obiecta sensuum externorum eaque omnia proponit appetiti, vt ipsa prosequatur, vel fugiat: ergo vnicus etiam appetitus sufficit ad prosequutionem, vel fugam cuiuscumque obiecti exterius sensati, & à sensu interno propositi.

61 Confirmatur. Nam eatenus admitti deberent illi appetitus immediatè subsequuti ad sensationes externas, quatenus immediatè post auditionem, vel visionem obiecti iucundi experimur in nobis, vel pro-

ſequutionem, vel fugam ab ipſo. Hæc autem ratio inneſficax eſt: quia ſenſatio externa in inſtanti reali, in quo exiſtit mittit ſpeciem ſui, & obiecti ad ſenſum internum, illaque ſpecies in primo inſtanti reali, quo informat ſenſum internum, ipſum determinat ad internam ſenſationem: & hæc in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ informat appetitum illumque notificat de convenientia, aut diſconvenientia obiecti, vt ipſum proſequatur, vel fugiat, indeque neceſſario oritur actus appetitus ſenſitivi: omnia enim, dicta ſunt cauſæ neceſſariæ. Ecce quàm citiſsimè fit appetio, vel fuga propria appetitus ſenſitivi poſt ſenſationem externam: ergo quod ciro fiat appetitio obiecti exterius ſenſati, minimè probat exiſtere appetitus alios à ſenſitivo diſtinctos immediatèque ſubſequutos ad ſenſus externos.

***

LIBER SECUNDUS DE ANIMA:

AGENS DE POTENTIJS SPIritualibus, & de earum actibus in speciali.

EGimus lib. 1. disp. 5. de identitate animæ cum suis potentijs, nempè cum intellectu memoria, & voluntate, quæ potentię spirituales animę sunt. De his in singulari, & de earum actibus, in præsenti agendum est hoc ordine. *Primo*, de intellectu, & memoria intellectiva. *Secundò*, de constitutivo physico intellectionis. *Tertio*, de triplici operatione intellectus. *Quarto*, de divisione horum actuum in varias species, & de eorum operationibus. *Quintò*, per varias disputationes, de non nullis proprietatibus intellectionis. Tandem, de voluntate, & eius actibus.

DISPVTATIO I.

De intellectu, & memoria intellectiva, & de modo cognoscendi, quem habemus pro hoc statu.

SECT. I.

De Intellectu agente, & possibili.

1 DVm per potentias materiales obiecta propria cuiusvis potentiæ, per specis proprias ipsorum sentimus ea sensatio mittie

tit speciem sui ad sensum internum, qui ea adjutus, internam elicit sensationem obiecti percepti per sensus, & ea sensatio, *actus phantasiæ*, vocatur, sicut, & ipse sensus internus vocatur *phantasiæ*. Iam tamen, communitèr nominatur, licèt improprie, phantasma actus ille phantasiæ. Hoc phantasmate additus intellectus elicit cognitionem obiecti sensati, seu percipi per sensus; quia intellectus species illius non habet, neque obiectum propter distantiam, potest illam intellectui mittere: neque sentio externa propter distantiam ab ea parte, in qua intellectio excercetur, potest immediatè cum intellectu concurrere. Difficultas est. Qua ratione phantasma materiale iuvet intellectum ad cognitionem spiritualem.

2 Alij, & est communis opinio, dicunt, eatenus iuvare, quatenùs cum intellectu producit, vel, vt comprincipium, vel vt conditio speciem impressam spiritualem, quæ postea cum intellectu producit intellectionem. In qua sententia intellectus dividitur in agentem, & posibilem, seu pasibilem. Intellectus agens dicitur, quatenùs cum phantasmate, producit speciem spiritualem impressam: & idem intellectus pasibilis, aut posibilis denominatur, quatenùs cum specie impressa spirituali, producit intellectionem. Aliorum sententia, cum P. Oviedo controversia 15. hanc divisionem non admittit: sed censet phantasma materiale immediatè cum intellectu concurrere, absque vlla specie spirituali impressa ad primas obiectorum cognitiones. In qua sententia, ex eo solum intellectus dicetur posibilis, quatenùs est potens agere, & patti primam cognitionem obiecti percepti per sensus: ex eoque dicetur agens, quatenùs cum hac cognitione à se elicita, producit in se speciem talis cognitionis deservientem ad secundam cognitionem memorativam obiecti.

3 In qua re certum est mihi 1. Phantasma materiale immediatè, aut mediatè concurrere efficientèr, & non vt puram conditionem ad primam obiecti cognitionem. Quod constat, *Primò.* Quia concurrit nomine obiecti ad cognitionem: qua ratione concurrit species impressa visualis ad visionem: ergo similitèr. *Secundò*, Quia eatenùs solum concurreret, vt conditio, quatenùs esset applicatio obiecti ad potentiam intellectivam: sed non est applicatio physica, vt patet, neque est applicatio intentionalis, siquidem nihil repræsentat formalitèr intellec-

lectui: ergo non concurrit, vt pura conditio. Vndè scies, phantasma, ideò posse solum, dici applicationem obiecti; quia gerit vices obiecti, tanquam ipsius substitutum determinans intellectum, vt comprincipium ad cognitionem huius obiecti præ alio.

4 Certum est 2. Pro hoc statu nihil posse intellectum 1. cognoscere independentèr à phantasmatibus. Quia cum intellectus non habeat in se species obiectorum congenitas, neque eas recipiat à Deo; quia ad id nullum est fundamentum, ministerio dumtaxat sensuum, potest determinari ad cognitionem, per species, scilicet productas, in sensu interno ab actibus externarum potentiarum. Hæ, autem species in sensu interno productæ, ideò ad cognitionem deseruiunt, quatenus simul cum phantasia producunt phantasma concurrens cum intellectu ad intellectionem in sensu mox explicando. His positis difficultas est. An phantasma immediatè producat intellectionem cum intellectu: an solum mediatè? media, scilicet, specie impressa spirituali, quæ simul cum intellectu agente immediatè producat. Circa quod.

5. Dico 1. stando rationi probabilius est, phantasma ad primas obiectorum cognitiones, concurrere cum intellectu immediatè absque vlla specie impressa spirituali intermedia. Probatur 1. Phantasma immediatè applicatum est intellectui ad producendam intellectionem sicut, iuxta Adversarios est immediatè applicatum intellectui ad producendam speciem impressam intelligibilem spiritualem: sed ex nullo alio capite ab immediata productione intellectionis impediri potest phantasma: ergo immediatè illam producit. Maior est certa. Minor probatur: nequit impediri ex capite spiritualitatis cognitionis. Tùm quia iuxta Adversarios, non impeditur ex capite spiritualitatis speciei intelligibilis, quominus eam immediatè producat. Tùm quia phantasma materiale simul cum intellectu spirituali constituit vnū principium adæquatum, & proportionatum ad cognitiones spirituales non alitèr ac potentia activa naturalis cum comprincipio supernaturali, constituit principium adæquatum ad actus supernaturales; sed nullum aliud est assignabile caput, vt phantasma ab immediata productione intellectionis impediatur; vel illud assignent Adversarij: ergo immediatè influit cum intellectu in cognitionem. Probatur 2. conclusio;

Non

Non, ; sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: sed nulla est necessitas ponendi ad cognitionē primam obiecti speciem spiritualem, à phantasmate distinctam: ergo ponenda non est. Minor probatur. Coniunctum ex potentia intellectiva, & phātasmate est proportionatum ad cognitionem spiritualem producendam: ergo nulla est necessitas ponendi speciem distinctam à phantasmate. Antecedens constat, tùm ex nuper dictis in prima probatione. Tùm, quia illi coniuncto respondent omnes formalitates cognitionis, nempè, quod sit vitalis, spiritualis, & quod sit talis obiecti, & ab eo proveniens: quid ergo deficit illi coniuncto, vt ab eo procedat immediatè talis cognitio?

6 Ex his inferēs 1. Inutilitèr distingui intellectum agentem, & possibilem, vt communis fert sententia, siquidem non producitur species impressa spiritualis. Inferes 2. Ideò dicitur, intellectum illustrare phātasma; quia cum phantasmate constituit principium proximè potens cognoscere obiectum quod ab eo coniuncto redditur intelligibile intrinsecè: sicut effectus dicitur extrinsecè productibilis à causa proximè potente illum causare. Sic explicanda sunt munera, quæ cōmuniter intellectui agenti concedunt. Iam pro sententia negante, intellectum agentem stant plures apud P. Oviedum, quos refert, & sequitur controversia 13. punct. 3. Pontius, & alii ex extraneis.

7 Ex quibus sic alitèr probatur conclusio nostra. Quoties obiectum est immediatè applicatum potentiæ, necessaria non est species impressa obiecti, vt diximus disp. 6. libri primi, sed phantasma vices gerens obiecti, est immediatè applicatum intellectui: ergo, vt obiectum causet medio phantasmate, cognitionem, necessaria non est species impressa. Confirmatur, Ideò phantasma non posset immediatè cum intellectu concurrere ad intellectionem: quia ad influendum immediatè cum ipso, esset necessarium, quod vel vniretur, vel reciperetur in intellectu: sed in primis id non requiritur: siquidem iuxta vos, stanti tali carentia vnionis, & receptionis influit immediatè in speciem intelligibilem æquè spiritualem, ac cognitio: deindè, licèt id requiretur, phantasma id etiam habet, cum titulo operationis vitalis immediatè vniatur, & recipiatur inadæquatè in anima, à qua in nostra sententia, indistinctus est intellectus: ergo nihil est, quod phantasma impediat ab immediata productione intellectionis, ac proindè superfluit species impressa spiritualis.

8 Obijc. 1. intellectus non

2.

non cognoscit spiritualitèr, nisi illi intentionalitèr applicetur obiectum, & quodam modo cum ipso vniatur, vt loquuntur Aristoteles, & D. Thomas infra citandis sed per phantasma materiale non potest obiectum intionaliter applicari ad cognitionem spiritualem: ergo alia applicatio concedenda est identificata cum specie impressa spirituali. Confirmatur: per sensationem non applicatur obiectum voluntati, vt ipsum amet: ergo neque per phantasma materiale intellectui, vt ipsum intelligat. Ad argumentum, nego minorem: nam applicatio, & vnio obiecti cum potentia, nihil aliud est, quam principium cõcurrens ad intellectionem nomine obiecti: & probatum est, hoc esse phantasma. Ad confirmat. concesso antec. nego consequentiam. Disparitas est; quia rationes probantes existere intellectum, probant illius operationem, præcedere ad operationem voluntatis, & voluntatem intellectui subordinari in operando: sicut intellectus in operando, subordinatur potentiæ materiali phantasiæ. Sicut enim, nequit intellectus cognoscere, non præcedente cognitione phantasiæ, ita non potest voluntas amare, non præcedente operatione intellectus.

9 Sed rogas. Quanta necessitate præcedere debeat ad amorem cognitio spiritualis obiecti? Respondeo. 1. difficile assignabitur repugnanta in amore deducto ex sola cognitione materiali phantasiæ. Nam cum ea verè percipiat obiectum, & informet voluntatem, iam voluntati proponitur obiectum claritate sufficienti ad amorem. Respondeo 2. saltem ad amorem ex motivo honestatis, & inhonestatis, & ex motivo spirituali, & supernaturali, necessaria est cognitio spiritualis; quia actus materialis, hæc obiecta nequit percipere.

10 Objic. 2. Obiectum non causat visionem, nisi media specie: ergo nec phantasma intellectionem. 3. Visio non immediatè, sed media specie ad ipso producta, causat phantasma, cùm phantasia: ergo phantasma non immediatè; sed media specie ab ipso producta, causat intellectionē. 4. Potētię ab anima distinctę (ponamus id ita esse) & habitus sunt immediatè applicata intellectui, & nō causāt cognitionē sui immediatè; sed media specie: ergo idem quod prius. Ad *secundum*. Quando obiectum est distans, non potest videri, nisi applicetur, & applicatur per speciem: phantasma, autem est immediatè applicatum intellectui, & obiectum medio ipso: ad quid ergo requiritur species? Ad *tertium*; respondeo idem. Quia visio distat à cerebro, in quo residet phantasia, & ideò visio non est

est se ipsa immediatè applicata phantasiæ, vt cum ipsa producat phantasma; sed applicatur per speciem. Scio oppositum docere Patrem Oviedo; sed immerito, vt nuper exposui. Ad *quartum* est disparitas. Quia habitus, & potentiæ, licèt immediatè applicata intellectui non cognoscuntur intuitivè; sed abstractivè, & per species alienas; vndè efficientèr non concurrunt ad sui cognititionem, ad quam concurrunt species eorum obiectorum, ad quorum similitudinem cognoscuntur: at phantasma, cum efficientèr concurrat ad cognitionem obiecti à se distincti, & immediatè applicatum sit, immediatè concurrit.

21 Objic. 5. Si phantasma immediatè concurrit, neque darentur species memorativæ, neque memoria intellectiva, contra cõmunem sententiam, & contra nostram infra exponendam. Probatur assumptum. Quia intellectus dum memoratur obiecti antea cogniti, habet phantasma eiusdem obiecti: ergo ad cognitionem memorativam, nulla species requiritur producta à prima cognitione, quæ actui memorandi deserviat. Respondeo eas species dari: quia sæpè intellectus memoratur obiecti, cuius non est phantasma proprium; sed alterius obiecti similis; quod phantasma, producit cognitionem sui obiecti, & ea cognitio speciem sui producit, quæ propter similitudinem cum specie producta à prima cognitione obiecti prius cogniti, eam excitat; & ea intellectus determinatur ad secundam cognitionem obiecti antea cogniti. Ecce quomodo memoratio fiat absque vlla specie a phantasmate producta; & quomodo necessaria est species memorativa ad recordationem.

22 Dico 2. Stando auctoritati admittendæ essent species spirituales productæ à phãtasmatibus, & consequentèr admittenda esset divisio intellectus in agentem, & passibilem. Et ratio est. Quia pro hac conclusione stant ferè omnes Philosophi, & Theologi, qui pro se citant Aristotelem; D. Thomã, illum lib. 2. de Anima cap. 12. & lib. 3. cap. 5. & alibi: vbi expressè docet, intellectum non procedere ad cognitionem, nisi prius quodam modo fiat ipsa obiecta per receptionem formarum productarum ab obiecto, & determinantium intellectum ad eius cognitionem: quod de phantasmate (inquiunt) nequit dici: quod non in intellectu, sed in phantasia recipitur: istum prima parte q. 12. art. 2. ad 3. aientem: *Deum adeo se ipsum concurrere cum intellectu Beati ad sui visionem; quia se ipso vnitus*

est intellectui: alia autem intelligibilia uniri intellectui secundum aliquod esse, quo informant intellectum: hoc autem esse, aliud non potest esse ab specie spirituali, vt etiam ait hæc communis sententia: Clarius, 3. p. q. 9. art. 4. in corpore, vbi ait: *Sic igitur necesse est dicere, quod in Christo fuerint aliquæ species intelligibiles per actionem intellectus agentis in intellectu possibili eius receptæ.* Ecce sententiam communem, traditam à D. Thoma: vndè si authoritati eius standum esset, hæc sententia amplecti deberet.

13 Cæterum nobis, quibus fas fuit recedere à sententia D. Thomæ distinguentis potentias ab anima, & inter se, licitum etiam debet esse in re minoris momenti oppositam partem sequi. Tùm; quia rationi magis consentanea est, vt probavimus. Tùm; quia sic magis consequenter ad nostra principia procedimus. Quia licèt demus sententiæ communi intellectum non posse procedere ad cognitionem obiecti, nisi prius quoddam modo fiat ipsa obiecta, per receptionem, & vnionem formæ, ab obiecto productæ, & determinantis intellectum ad cognitionem (quod falsum est; cum sufficiat pura applicatio, citra vnionem, & receptionem) licèt; inquam, hoc demus, phantasma, seu actus phantasiæ, cum sit vera operatio vitalis, debet inadæquatè recipi, & vniri animæ iuxta dicta lib. 1. disp. 5. num. 17. cum autem intellectus sit realitèr ipsa anima, actus phantasiæ in anima acceptus, recipitur necessario in intellectu: vndè ex hoc capite non potest phantasma impediri ab immediata productione intellectionis. Aliundè, iuxta Adversarios, non potest impediri, ex eo quod intellectio sit spiritualis, & phantasma materiale, cum iuxta ipsos phantasma materiale immediatè influat in speciem intelligibilem spiritualem. Nescio sanè, vndè phantasma impediri possit ab immediata productione intellectionis; & cur species non sit rejicienda tanquam superflua? Quare quidquid sit de authoritate, quam veneramur, standum est rationi, quousque congruam solutionem videamus.

14 Ex dictis scies primò. Intellectū esse; *Potentiam cognoscitivam spiritualē.* Per ly *cognoscitivā potentiā* convenit cū potentia visiva, & alijs potentijs exterioribus, & cū sēsu interno. Differt ab ipsis per ly *spiritualem.* Scies *secundò.* Obiectum intellectus esse quidquid spiritualitèr potest cognosci; cumque omne reale, & chymæricum existens, & possibile spiritualitèr possit cognosci: quia de omnibus dis-

disputari potest, ideò ens in tota sua latitudine est obiectum intellectus. Dices 1. Cur non erit possibile ens, quod sit extra obiectum intellectus? Respondeo omne ens debet esse creatum, aut increatum, aut increabile, & quodvis saltem cognosci potest ab intellectu sub hoc conceptu *ens creatum*, aut *increatum*, aut *incredibile*. Dices 2. Non repugnat intellectus cognoscitivus aliquorum, & non omnium obiectorum, saltim sub ratione speciali ipsorum. Sit hoc: sed adhuc nullum ens, extrahitur ab obiecto intellectus. Deindè respondeo: de antecedenti nihil esse firmum, vt ostendit Arriaga: at talis non est intellectus, quem novimus. Hoc probatur. Quia cum cognoscat Deum, spiritualia, supernaturalia, chymæras, & extrema inter se repugnantia, non apparet ratio cur ad omnia possibilia non possit se extendere. Alias rationes expendit Pat. Oviedo controv. 5. num. 6.

15 Scies *tertio*. Ens in tota sua latitudine esse obiectum intellectus, *quatenùs verum*: nō quidē quatenùs verū formalitèr: quia tale constituitur per cognitionē, & non omnis cognitionis intellectus est obiectum alia cognitio, vt constat experientia. Est ergo obiectum intellectus ens transcendentalitèr verum, quod nihil aliud est, quam intrinseca cognoscibilitas, & capacitas cuiuslibet, vt ab intellectu cognoscatur per actum attingentem quidquid ipsum est. Scies *quarto* obiectum intellectus dividi in materiale, & formale. Materiale est, quod ab intellectu cognoscitur, quod etiam solet vocari *terminus ad quem* intellectus fertur. Formale est ratio ea obiectiva, quam intellectus dabit interroganti, cur cognoscit, & iudicat, quod etiam solet vocari *ratio sub qua*. Rursus obiectum formale aliud est extrinsecum, quod *pure motivum* vocari solet: aliud intrinsecum, quod vocari etiam solet *motivum*, & *terminativum* simul. Primum est ratio, quam intellectus dabit de sua cognitione, cùm tamē cognitio non feratur intentionalitèr in ipsam. Secundum est ratio, quam intellectus dabit de sua cognitione, & quam cognitio intentionalitèr attingit: sic se habet divina revelatio in hoc actu: *Credo Incarnationem, quia Deus eam revelavit.*

SECTIO II.

De memoria intellectiva.

16 MEmoria in vniversum sic definitur. *Potentia quæ per species in se reservatas recipit cognitionem obiecti antea cogniti.* Hæc definitio communis est memoriæ sensitivæ, & intellectivæ. De

existentiæ memoriæ sensitivæ servantis in se species, vt memoretur obiecta, dubitari nequit: tum quia in somnis, dum intellectus quiescit, memoratur obiecta prius sensata. Tùm quia bruta plura memorantur. Existere etiam memoriam intellectivam est communis sententia, & vera, Quia experientia nostrorum actuum evidenter noscimus memorari nos obiecti antea cogniti, & præteritæ cognitionis.

17 Et tamen est difficultas, Vtrùm memoremur ministerio specierum productarum à præcedentibus cognitionibus, & intellectu asservatarum. An solum, quia novum phantasma habeamus eiusdem obiecti: Conclusio sit. Dantur in nobis species spirituales productæ à cognitionibus spiritualibus præcedentibus, quibus anima vtitur ad actum memorandi. *Primo*; quia hæc est communis sententia fere omnium Physiosophorum. *Secundo*; quia in phantasia manent species suorum actuum pro memoratione materiali: ergo in intellectu manent spirituales species pro memoratione spirituali. Consequentia probatur. Quia tàm efficax est cognitio spiritualis, vt relinquat speciem sui, quàm phantasma materiale. *Tertio*, Quia anima in statu separationis recordatur obiectorum, quæ novit in statu vnionis: ergo fert ex hac vita species spirituales eorum, & non aliunde productas, nisi à præteritis cognitionibus.

18 Dices cum Pontio. Deum infundere has species in statu separationis. Sed contra: Quia sine fundamento recurritur ad Deum, dum non est fundamentum negandi cognitionibus spiritualibus virtutem productivam specierum suorum obiectorum, vt non esse, probavimus, & amplius constabit. Inde deduces, male RR. aliquos, incliuare in opinionem negantem memoriam intellectivam. Nam licet ad memorationem, quam pro hoc statu habemus, admittamus gratis, sufficere species materiales phantasiæ, vt novum phantasma producatur, vtque phantasma novas intellectiones producat; tamen recurrere tenentur ad Deum, vt in statu separationis tribuat animæ species, vt memoretur: & hoc gratis dicitur. Hinc constat, dari in nobis memoriam intellectivam, quæ definitur: *Potentia spiritualis intellectiva, quæ per species in se reservatas repetit cognitionem obiecti antea cogniti.*

19 Obijcies 1. Ergo anima semper est in actuali memoria eorum, quæ novit. Pa-

tet: quia species sunt causæ necessario determinantes ad intellectionem. Vnde si postquam intellectus aliquid novit, habet eiusdem speciem, semper erit in actuali ipsius cognitione. Nego consequentiam. Ad probationem respondeo, in intellectu esse species sopitas, vt experientia constat; solumque producere cognitionem, dum ab extrinseco excitantur. Rogas, qua ratione excitentur? Hoc sane est vnum ex miraculis naturæ! plures causas huius assignat P. Izquierdo disp. 1. quæst. 2. eum vide, si placet. Communiter, ideo excitantur: quia habemus novum phantasma eiusdem vel alterius obiecti similis, quo nova cognitio fit, eaq; cognitio novam speciem producit, quæ propter similitudinem cum priori, eam excitat, aut intendit, quæ sic excitata, intellectum determinat ad cognitionem obiecti antea cogniti; quia talis species est repræsentativa illius.

20 Rogas. An semper excitetur dependenter â phantasmatibus? Respondeo affirmativè. Probatur 1. ex Aristotele lib. de memoria cap. 1. *Memoria ea, quæ est intelligibilium, non est sine phantasmate.* Secundo: quia dum ægrotat ea pars cerebri, in qua residet phantasia; intellectus nihil, aut saltim difficulter memoratur. Dices: ideo id esse: quia intellectus indiget spiritibus vitalibus pro specierum excitatione, qui spiritus deficiunt, dum est læsa phantasia. Sed contra: in statu separationis non eget spiritibus vitalibus pro specierum excitatione; in eo enim, statu excitantur sicut species Angelorum: ergo quod pro hoc statu egeat spiritibus, solum potest provenire, ex dependentia qua excitatio specierum habet ab operatione phantasiæ.

21 Circa memoriam intellectivam stabilitam. *Prima* difficultas est. In quonam distinguantur memoria, & reminiscentia. Respondeo, in eo, quod recordatio est cognitio immediatè excitata ab specie memorativa: reminiscentia vero, est motus ille intellectus, quo ex recordatione vnius obiecti transit ad recordationem alterius: v. gr. motus ille, quo intellectum successivè recordatur integræ orationis, quā didicit. Vnde observa: ad recordationem maxime deservire ordinem, quo ipsa obiecta primo cognita sunt; id ipsa experientia notum est cuique.

22 Secunda difficultas est. An memoria semper sit, non solum obiecti antea cogniti; sed etiam prioris cognitionis? Dico 1. Sæpe memoria est vtriusque. Constat experientia; quia sæpe meminimus obiecti antea cogniti, & nos ipsum cognovisse antea.

Dico

Dico 2. Sæpe est memoria obiecti, absque memoria prioris cognitionis. Constat etiam experientia. Et confirmatur: quia sæpe de obiecto cognito rationem reddimus, & negamus cognitionem, qua ipsum cognovimus, vel saltim dubitamus de ipsa. Dices cum P. Izquierdo: id non probare, non esse memoriam cognitionis; sed esse ita confusam, vt non possimus de ipsa rationem reddere; sed de obiecto. Sed contra 1. Quia gratis hoc dicitur 2. Quia per te memoratio obiecti, potest esse clara, & memoratio cognitionis confusa, quod non aliunde provenit, nisi quia species obiecti plus excitatur, quam species cognitionis: ergo poterit excitari species obiecti, quin species cognitionis, vllo modo, excitetur, ac proinde fiet recordatio obiecti sine recordatione cognitionis.

23 Obijcies 1. experientiam, qua obiecti, & prioris cognitionis experimur esse memoriam. *Secundo.* Species memorativa, est producta à præterita cognitione: sed quævis species est repræsentativa obiecti à quo procedit: ergo, & cognitionis. *Tertio:* memoria sensitiva, semper meminit sensationis præteritæ: ergo, & intellectiva intellectionis præteritæ. *Quarto*: quia memoria est de obiecto, vt prius cognito. *Quinto*: memoria ex Aristotele, & D. Thoma, semper habet pro obiecto aliquid præteritum; sed sæpe non est præteritum obiectum: semper autem est præterita cognitio: ergo semper illa cognitio attinguitur ab actu memoriæ. Respondeo ad *primum*, experientiam probare id accidere sæpe, non semper. Ad *secundum* respondeo 1. Speciem adæquate excitatam vtrumque repræsentare; secus inadæquate excitatam, sicut, iuxta Adversarios, species adæquate excitata repræsentat clarè obiectum, & cognitionem; secus inadæquate excitata, quæ confusè repræsentat cognitionem. Respondeo 2. Quamlibet cognitionem producere duplicem speciem: vnam repræsentativam obiecti, & cognitionis; alteram obiecti solius. Et id probatur: quia aliquando memoriam habemus obiecti solius, aliquando obiecti, & cognitionis.

24 Dices. Quælibet species repræsentat obiectum, à quo procedit: sed quælibet harum, procedit à præterita cognitione: ergo eam debet repræsentare. Nego maiorem: nam species remissa non repræsentat intensam; sed obiectum, & tamen procedit ab intensa, saltim inadæquate, imò adæquate, iuxta plures ex Adversarijs. Ad *tertium*, nego antec. Nam modus ille reflexionis exce-

excedit perfectionem potentiæ materialis. Vnde colliges, excedere etiam perfectionem brutorum similem reflexionem in suas operationes. Ad *quartum*. Memoria est de obiecto prius cognito specificativè, non reduplicativè, vt prius cognito, saltim sæpe. Ad *quintum* nego antecedens. Quia Aristoteles, & D. Thomas, solum intendunt, memoriam habere pro obiecto, obiectum ipsum antecedenter cognitum, vel dicito habere pro obiecto obiectum præteritum intentionaliter, hoc est, cuius cognitio, quæ præsentia intentionalis est, præcessit antea in intellectu.

25 Ad finem nota duo. *Primum* semper quando intellectus memoratur cognitionis, memoratur etiam obiecti, saltim confusè: quia quælibet cognitio est relatio transcendentalis repræsentationis actualis ad obiectum. *Secundum*. Obiectum memoriæ intellectivæ, esse omne id, quod ab intellectu potest primo cognosci: item omnem cognitonem, quam intellectus potest habere, Constat ex dictis.

SECTIO III.

De cognitione habita per species alienas.

26 Suppono 1. Intellectum pro hoc statu non cognoscere per species proprias, & prout sunt in se substantias corporeas. *Primo*. Quia semper eas cognoscit ad modum alterius; vt constat experientia: ergo non per species proprias, & vt sunt in se. *Secundo*: Quia id cognoscit intellectus per speciem propriam, cuius habet proprium phantasma: sed non habet proprium phantasma substantiæ corporeæ: ergo eam non cognoscit per speciem propriam. Minor probatur: Quia intellectus solum habet phantasma obiecti immediate percepti per sensus externos, & per hos, non substantia: sed accidens cognoscitur immediate. Experimur enim eandem perceptionem sensitivam accidentium panis, post consecrationem ac antea. Dices: phantasiam producere in se species substantiæ non sensatæ immediate per sensus. Sed contra. Per te intellectus per species productas à phantasmatibus, non determinatur ad producendam speciem obiecti non percepti per phantasiam: ergo nec per species perceptas per sensus determinatur phantasia ad producendas species substantiæ non perceptæ per sensus. Contra 2. Quia gratis, & sine vllo fundamento tribuitur phantasiæ illa virtus productiva specierum substantiæ,

Sup-

27 Suppono 2. Intellectum pro hoc statu non cognosce per species proprias res spirituales. *Primo.* Quia id cognoscit intellectus per species proprias, cuius habet propriũ phantasma: sed non habet propriũ phãtasma rerum spiritualium; siquidem phantasma, causatur ab speciebus sensationis externæ, & per sensationem non percipiuntur res spirituales propter improportionem potentiæ materialis, cum obiecto spirituali: ergo intellectus pro hoc statu non cognoscit per species proprias obiecta spiritualia. *Secundo.* Quia Angelos, animam rationalem, gratiam, aliaque huiusmodi, semper cog noscimus ad modum alterius: ergo non cognoscimus res spirituales per species proprias; sed per alienas. Difficultas tamen est. An dum intellectus per species alienas cognoscit obiecta immediate nõ percepta per sensus, quæ ideo obiecta appellantur *insensata*, cognitio terminetur immediate ad ea obiecta.

§. I.

Proponitur, & reijcitur sententia Patris Izquierdo.

28 ASSerit hic Author, contra communem sententiam, cognitionem, de qua est sermo mediate solum terminari ad obiectum insensatum. Quod sic explicat disp. 2. quæst. 3. à num. 74. Intendit intellectus cognoscere obiectum insensatum, v. g. animam rationalem, & cum species proprias ipsius non habeat, recurrit ad phantasiam, vbi sunt species obiectorum sensatorum, & eis adiutus elicit cognitionem nebulæ, aut tenuis flammæ, in qua animam cognoscit: ita tamen, vt cognitio non terminetur immediatè ad animam; sed ad nebulam, quam, pro cognoscenda anima sibi substituit intellectus. Hanc nebulam vocat hic Pater phantasma, seu substitutum sensibile. Vnde obiter nota: phantasma hic non sumi pro actu phantasiæ; sed pro spectro, & obiecto materiali per phantasiam sensato, & subrogato pro anima.

29 In hoc phantasmate, dum pro anima substituitur, vere cognoscitur anima; sicut Cæsar in sua imagine, dum depingitur cum intentione ipsum repræsentandi. Quo fit, quod sicut respicientes imaginem Cæsaris, plura dicimus, quæ de prototypo, & non de imagine verificantur: ita intellectus in illo phantasmate plura dicit, quæ non de phantasmate; sed de anima verificantur. Vnde infert proprius cognosci animam, quam phantasma, dum intellectus illud sibi substituit pro anima secus si non substituat,

sed in eo intellectus sistat. Iam quod intellectus substituat sibi phantasma; vel non substituat pro alio obiecto cognoscendo provenit ex principijs, quibus determinatur ad cognoscendum phantasma v. g. nebulam. Nam si principia solum determinant, vt nebula cognoscatur, solum concipitur nebula propter se: si verò determinent principia, vt cognoscatur anima, concipitur nebula pro anima, & proprius quàm nebula ipsa cognoscitur in nebula anima. Ita ingeniosus hic Author, contra quem.

30 Sit nostra conclusio. Cognitio animæ v.g. habita per species alienas immediatè terminatur ad animam. Ita communis sententia. Probatur *primò*. Dum per fidem Divinam credo existere animam rationalem, non cognosco animam medio phantasmate: ergo immediate. Antecedens probatur; vel cognoscere animam medio phantasmate est cognoscere animam solam in phantasmate? Quod negas; nam per te cognoscitur etiam phantasma. Vel est pantasma solum cognoscere? Et est falsum: quia cognoscere solum phantasma, quod ex se, non est repræsentativum animæ, nequit esse cognoscere animam medio phantasmate alias dum cognosco Petrum, cognoscerem omnia alia à Petro distincta: vel est attingere æquè *primò* animã, & phantasma? Et si hoc ais: ergo iam tam immediatè cognosco animam, ac phantasma? Rursus: ergo non est necessarium phantasma ad animã cognoscendam, siquidem illo posito, animam immediatè cognosco, cum tamen ideò à te ponatur; quia judicas, animam nõ posse immediatè cognosci.

31 Probatur *secundo*. Hæc cognitio animæ; qua credo, animam existere: est cognitio animæ: sed, iuxta oppositam sententiam non esset: ergo opposita sententia falsa est: minor probatur: non est cognitio immediata, vt concedis. Non mediata. Quod sic probatur. Ea cognitio non est mediata cognitio Angeli, aut lapidis: ergo nec animæ. Consequẽtia probatur. Ideò antecedẽs est verum; quia phantasma illud non est repræsentativum Angeli, aut lapidis, neque cum eis cõnectitur sed illud phantasma eo dem modo comparatur ad animam, iuxta oppositã sententiã: ergo si ea cognitio non est mediata cognitio Angeli, aut lapidis, non est adhuc mediata cognitio animæ. Prob. 2. ideò cognitio lapidis, & cõbustionis est mediata cognitio ignis, & Dei quia lapis connexus est cũ existentia Dei, & combustio cũ existentia ignis: neque si hęc connexio deficeret cognitio ea esset mediata cognitio Dei, aut ignis: ergo cũ nebula illa nullatenus con-

coniexa sit cum anima, non possumus in ea nebula mediatè cognoscere animam, ac per consequens cognitio nebulæ, nō est cognitio mediata animæ.

132 Respondet hic Author, esse cognitionem mediatam animæ; quia phantasma illud subrogatur ab intellectu pro anima, & non pro Angelo, aut lapide. Sed contra 1. Vel intellectus dum attingit in illo phantasmate animam, attingit illud secundum se. Et hoc non sufficit, vt in eo cognoscat animam, propter rationem præcedentem. Vel attingit illud, vt subrogatum? Vel directè ipsum, & subrogationem? Si *primum*: ergo attingit intellectus subrogationem pro anima quatenus talis subrogatio est, quod non stat quin immediatè animam attingat: etenim nequeo cognoscere imaginem cæsaris formalitèr, vt est imago Cæsaris, quin immediatè cognoscam Cæsarem, vt distinctum ab imagine; & vlterius vnde fiet, non cognosci animam in phantasmate; sed in subrogatione ab intellectu distincta, & ab ipso phantasmate. Si *secundum*: ergo cognosco animam immediatè. Probatur. Quia cum subrogatio phantasmatis dicat formaliter respectum ad animam in se non potest intellectus illam subrogationem cognoscere, quin descendat ad animam cognoscendam.

133 *Secundo* contra solutionem arguō sic. Per te in illo phantasmate secundū se sumpto, & præscindendo à subrogatione, non potest intellectus cognoscere potius animam, quam Angelum, aut lapidem, ac proinde in ipso secundum se, nihil cognoscit, nisi ipsummet phantasma: ergo, vt in eo cognoscat animam, & non Angelum, est necessarium, quòd intellectus, vel ex imperio voluntatis, vel ex alijs principijs, determinetur ad subrogandum sibi illud phantasma pro cognoscenda anima, & non pro Angelo. Ergo propriori ad subrogationem debet intellectus scire, *animam non esse Angelum, nec lapidem*. Patet: Nam si id non sciat, qua ratione poterit potius pro anima, quàm pro lapide, aut Angelo sibi subrogare phantasma indifferens ex se ad quamvis ex his entitatibus repræsentandā? Nunc sic. Propriori ad subrogationem scit intellectus, & cognoscit, *animam non esse Angelum*? Ergo propriori ad subrogationē cognoscit aliquomodo animam; sed illa cognitio discretiva animæ ab Angelo, non est mediata cognitio animæ in phantasmate, & spectro, cum sit propriori ad subrogationem eius pro cognoscenda anima in ipso. Ergo teneris, concedere aliquam cognitionem immediatam animæ in se ipsa.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

34 OBijcies 1. Aristotelem lib. 3. de anima text. 30. & D. Thomam 2. 2. quæst. 174. art. 2. ad 4. vbi videntur hanc sententiam tradere. Quæ etiam confirmatur ex illo Pauli prima ad Corinth. cap. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Confirmatur experientia, qua quoties obiectum insensatum cognoscimus, ver. grat. Romam, menti obijcitur Civitas quædam, cuius calles, portæ, edificia, templa, tali, vel tali modo proponuntur. Respondeo Aristotelem, & D. Thomam, vt ipse P. Izquierdo probat, phantasma accipere pro obiecto sensato: vnde solum intendunt, dum cognoscimus obiecta sensata, per species sensatorum, non solum cognoscere nos immediate, obiecta insensata; sed etiam sensata ipsa, per quorum species cognoscimus insensata, quod esse verum dicemus sectione sequenti; & non esse contra nos. Idem dic ad vtramque confirmationem. Obijc. 2. Sine hoc modo cognoscendi non stare præcisiones obiectivas, quæ, apud Logicos tractantur. Respondeo constat ex Logica implicare præcisionem obiectivam; quia distinctio prædicatorum indentificatorum, ratione præcisionis formalis fit.

35 Obijcies 3. Intellectus pro hoc statu, solum potest cognoscere vi specierum obiectorum sensibilium: sed illæ species solum possunt deservire ad cognitionem immediatam accidentium: ergo substantiæ, & res insensatæ solum mediate possunt cognosci pro hoc statu. Minor probatur 1. Quia si illæ species deservirent ad cognitionem immediatam aliorum obiectorum, essent ipsorum propriæ, & quod inde infertur, intellectus haberet species proprias omnium intelligibilium, quod est falsum. *Secundo*: si illæ species possent repræsentare obiecta non sensata, semper, ac excitantur, illa repræsentarent; quod est contra experientiam. *Tertio.* Quia incredibile est, species rerum sensatarum, quæ quidem paucæ sunt, deservire posse intellectui ad cognitionem omnium insensibilium. *Quarto.* Quia bruta habent species proprias eorundem obiectorum, ac nos, & medijs ipsis, non cognoscunt immediate obiecta insensata.

36 Nego minorem argumenti. Ad *primam* probationem, illæ species non sunt propriæ omnium obiectorum: quia species propriæ vocantur, quæ ab obiectis pro-

cedunt. Patet autem, species illas non procedere ab obiectis insensatis; sed solum à sensatis: quia horum, & nō illorum propriæ sunt illæ; tamen, species variè in phantasia permixtæ ad cognitionem abstractivam omnium deserviunt. Ad *secundam*, semper ac excitantur species repræsentant obiecta, quorum sunt propriæ; non tamen repræsentant semper alia; quia adhoc requiritur tali modo excitari, & misceri, quod non semper accidit: sicut, iuxta Adversarios, semper ac excitantur, non serviunt intellectui ad substituenda phātasmata pro omnibus, licèt ad id possint deservire. Ad *tertiam*, paucæ illæ species, iuxta varios modos, quibus excitantur, deserviunt pro omnibus cognoscendis. Ad *quartam*. Dico, id reducendum esse ad imperfectionem potentiæ brutorum, & perfectionem nostræ: sicut ad eandem perfectionem, & imperfectionem, reducendum est, quod bruta non possint substituere sibi phantasmata, quæ nos possumus iuxtate.

37 Obijcies 4. Quod cognoscitur immediate cognoscitur, vt est in se: ergo obiecta insensata cognoscimus, vt sunt in se, quod est contra suppositionem numeri 27. & 28. Confirmatur. Quod est in mente nostra sicut est in se intuitivè cognoscitur: sed si cognoscimus immediatè obiecta insensata, sunt in mente nostra, sicut sunt in se: ergo intuitivè cognoscuntur. Ingens æquivocatio. Aliud est obiectum cognosci immediatè; aliud vt est in se: cognosci, vt est in se, est cognosci per speciem propriam ipsum discernentem ab omni non ipso: cognosci immediatè, est obiectum cognosci absque interposito medio, licèt confuse. Igitur distinguo antecedens: cognoscitur, vt est in se; hoc est, per speciem propriam, nego: hoc est ipsum directe, & sine medio, concedo antecedens. Et distinguo consequens eodem modo. Ad confirmationem respondeo, quod obiectum in se, est in mente nostra, hoc est totum, quod in obiecto est cognoscitur; sed quia cognitio est abstractiva, & per species alienas habita, ideo non cognoscitur clarè, & intuitivè: nam sic, solum cognoscitur obiectum, dum totum, quod in se est repræsentatur per species proprias.

38 Obijcies 5. Si intellectus immediatè cognoscit obiecta insensata, nō poterit deprehendere obiecta vaga: quia in obiectis in se sumptis nulla datur vaguitas 6. Si chymeram in se cognoscimus, non eam cognoscimus abstractivè, cum tamen sic frequenter eam cog-

cognoscamus 7. Anima in statu separationis cognosci obiecta insensata per species acquisitas in hac vita ab obiectis sensibilibus; sed in statu separationis ea cognoscit in phantasmatibus substitutis: ergo in hac vita. Minor probatur quia animæ ad hanc vitam redeuntes dicunt, se vidisse flumina, flores, & alia, quæ in alia vita non sunt.

39 Respondeo ad *quintum*. Intellectum cognoscere modo vago, non stat in eo, quod obiecta vaga apprehendat; sed in eo, quod obiecta in se determinata, modo in determinato cognoscat: sicut modo copulativo, aut disiũctivo cognoscit obiecta in se, nec copulata, nec disiuncta. Ad *sextum*, dum chymæram in se, id est, immediatè, cognoscimus, ipsam cognoscimus aliter, ac est in se, hoc est, per species alienas cognoscimus, quæ duo nõ opponuntur. Ad *septimum*, permissa maiori, nego minorem. Ad probationem respondeo id dicere animas redeuntes, vel quia ea obiecta ipsis proponuntur, vel quia obiecta, quæ immediatè per species proprias; & vt sunt in se cognoscunt, non alitèr possunt nobis exponere propter verborum defectum, vt nos aliquo modo ea percipere posimus.

***

SECTIO IV.

De cognitione intuitiva, & abstractiva, & alijs circa modum cognoscendi, quem habet intellectus.

***

40 Ex dictis iam scies, quid sit cognitio intuitiva, & quid abstractiva. Intuitiva est: *cognitio habita* per species proprias obiecti, quæ appellari solent species obiecti, vt est in se: habita, inquam per species proprias, quod verum est sive ab obiecto immediatè producantur, sive à Deo nomine obiecti & sic, iuxta plurium sententiam, esset intuitiva cognitio, quam Angelus habet de rebus naturalibus, quas iudicant hi AA. non producere speciem sui in intellectu Angelico. Cæterum cognitio, quæ absque vllis speciebus obiecta, vt sunt in se cognoscit, vt est cognitio Divina, est intuitiva: nam ad rationem intuitionis non requiritur quod sit positive per species proprias; sed negativè, id est non per alienas. Deinde si deficiente obiecto, ver. grat. albedine, Deus miraculose conservaret species albedinis in potentia, ea cognitio intuitiva erit: nam ad intuitionem non requiritur,

tur, quod obiectum sit physicè præsens, vt patet in intuitione Diuina possibilium.

41 Cognitio abstractiva est, *quæ habetur per species alienas*, quod verum est siue illæ species productæ sint ab obiectis, siue à Deo: item abstractiva erit, si Deus ad eam cognitionem concurrat, vt causa specialis, supplendo vices specierum alienarum, ea enim cognitio æquivalenter esset habita per species alienas. Hæc explicatio cognitionis intuitivæ, & abstractivæ recta est: quia omnes cognitiones, quæ intuitivæ, & abstractivæ vocantur, habent ea prædicata.

42 Sed, vt clarius intelligatur. Scies, quod phantasma obiecti sensati producit cum intellectu cognitionem sui obiecti, ea claritate, ipsum repræsentantem, qua repræsentatur à cognitione externa, ver. grat. à visione. Hæc cognitio dicitur intuitiva, seu intuitio: quia visioni assimilatur in claritate, qua cognoscit obiectum: vnde cognitio intuitiva constituitur penes hoc, quod est, repræsentare obiectum eadem claritate, qua per sensationem externam repræsentatur, quod nulla cognitio habebit, nisi sit habita per species proprias, hoc est, nisi sit immediatè causata à phantasmate proprio obiecti sensati, aut speciebus impressis spiritualibus productis ab ipso, si tales species admittantur. Cognitio memorativa, dicitur etiam intuitiva, si cognitio præcedens intuitiva fuit; quia habet claritatem expositam, & fit per species proprias obiecti: nam fit per species productas à priori cognitione, quam, per species proprias, causavit obiectum. Ea, tamen, cognitio memorativa, non erit intuitio prioris cognitionis: quia nostram cognitionem spiritualem ad modum alterius semper cognoscimus: sicut, & alias res spirituales. Quare illa memoratio erit intuitiva, respectu obiecti, & abstractiva, respectu cognitionis præteritæ.

43 Cæterum dum phantasmata, aut, species ex his relictæ varie commiscentur, & excitantur virtutem habent concurrendi cum intellectu ad cognitionem alterius obiecti, cuius species proprias non habet: & ea cognitio abstractiva dicitur; quia nec fit per species proprias obiecti, nec obiectum per ipsam apparet ea claritate, qua per sensationem externam. Dum, tamen, Angelum per species iuvenis concipio, ita cōfusè, & iuvenis, & Angelus cognoscitur, vt sine cognitione reflexa de ipsorum distinctione, vi præcise prioris forte dubitaret intellectus de ipsorum identitate.

44 Inde

44 Inde infertur, quid sit cognitionem abstractivam cognoscere obiectum admodum alterius? Est ergo, per species alienas obiectum ita confusè attingere, vt possit intellectus decipi circa identitatem illius, & obiecti, cuius species propriæ sunt. Ideo non bene P. Alphonsus cum alijs, ait cognoscere rem admodum alterius Angelum v. g. admodum Iuvenis, esse cognoscere Angelum, vt identificatum cum Iuvene. Quia si hoc ita esset, quævis cognitio abstractiva attingeret obiectum entitativè chymæricum, videlicèt identitatem inter obiecta realiter distincta. Vide, quæ diximus in Logica tractat. de Ente rationis disp. 1.

45 Rogas 2. An intellectus pro hoc statu possit cognoscere plura, vt plura? Respondeo affirmativè, tàm per vnum actum, quàm per plures. Per vnum: nam iudicium negans identitatem inter hominem, & lapidem, attingit lapidem, vt ab homine distinctum, & è contra: item cognitio referens creaturas ad Deum tanquam effectum ad suam causam attingit creaturas, vt realitèr distinctas à Deo: ergo attingit plura, vt plura. Per plures: nam potentia visiva materialis, simul per plures visiones percipit obiecta distincta, vt talia: ergo intellectus spiritualis, qui nobilior potentia cognoscitiva est, per plures cognitiones simul plura cognoscit, vt plura. Dices 1. Non potest vnico actu tum, quia idem actus esset verus, & falsus, si vnum obiectum existere, & non aliud: tum quia eadem entitas non potest esse physicè hoc, & aliud: ergo neque idem actus potest esse intentionalitèr hoc, & illud obiectum, quod repræsentat. Ad primum ille actus esset absolutè falsus, si vtriusque obiecti coniunctionem affirmaret. Deinde tràseat esse simul verum, & falsum respectu diversorum obiectorum, quod plures AA. concedunt. Ad secundum est disparitas, quia si eadem entitas esset physicè hoc, & aliud, esset vna, vt supponitur, & physicè multiplex, cum physicè identificetur cum rebus distinctis realiter: at hoc non sequeretur ex eo, quod intentionalitèr esset hoc, & aliud; quia hoc præcisè est actum repræsentare vtrumque obiectum.

46 Dices 2. Non posse pluribus actibus: tum, quia plura accidentia eiusdem generis, nequeunt esse in eodem subiecto: ergo neque plures cognitiones in intellectu: Tum, quia Aristoteles docet intellectum non posse simul plura cognoscere, seu cogitare, licèt possit cogitare, seu habere simul plures actus scientificos. Respõdeo ad primum. Antecedens esse verum, quando sunt intrinse-

ce opposita; secus quando non sunt; quia simul dantur in eadem parte aëries, & in eadem potentia visiva plures species numero distinctæ, & intendo in coniunctione plurium actuum, saltem aliquorum obiectorum, non esse oppositionem. Ad *secundum* solum intendit Aristoteles, non posse intellectum, simul exprimere vnica cognitione, omnia ea obiecta, ad quorum cognitionem potest se extendere per actus scientificos, quod non est contra nos.

47 Rogabis 3. Quæ obiecta primò cognoscat intellectus? An primò cognoscat vniversalia: an singularia? Respondeo, singularia cognoscere prius. Ratio est; quia intellectus id primo cognoscit, ad quod determinatur per phãtasma,& iuxta communem sententiam, per species productas à phantasmatibus: sed hæc omnia determinant ad cognitionem singularium: ergo prius cognoscit intellectus singularia. Maior est certa. Minor probatur. Phantasma (idem dic de specie ab ipso producta, si forte producitur) determinat primo ad cognitionem eius, ex cuius specie generatur: generatur, autem ab specie producta à sensatione externa singularium, si quidem ad sensus externos solum perveniunt species singularium: ergo primò determinant ad singularium cognitionem. Patet, tamen, aliquando vniversalia primò cognosci, ver. grat. si nulla habita specie singularium audias hanc vocem *homo*, & formes conceptum ipsi correspondentem: postea vero, per species singularium incidas in cognitionem singularium.

48 Vbi nota; Intellectum cognoscere vniversalia per species alienas: quia speciebus, aut phantasmatibus vnius, vel alterius singularium determinatur ad cognitionem confusam omnium, quam conceptum vniversalem vocamus. Has species alienas esse rerum vniversalium, probatur. Quia conceptu vniversalium, omnia inferiora cognosco, & non habeo species proprias omnium. Dices. Intellectus abstrahit à phantasmatibus. Quare licet phantasma repræsentet singularia, poterit intellectus cognoscere singularia, post cognitionem vniversalium. Nego consequentiam. Quia abstractio à phantasmatibus, in eo stat, quod cum illis, licet materialibus, concurrat intellectus ad cognitionem spiritualem: non in eo, quod abstrahat ab eis ad repræsentationem aliorum obiectorum, cum omnimoda independentia à phantasmatibus in tali repræsentatione.

DIS-

excedit perfectionem potentiæ materialis. Vnde colliges, excedere etiam perfectionem brutorum similem reflexionem in suas operationes. Ad *quartum.* Memoria est de obiecto prius cognito specificativè, non reduplicativè, vt prius cognito, saltim sæpe. Ad *quintum* nego antecedens. Quia Aristoteles, & D. Thomas, solum intendunt, memoriam habere pro obiecto, obiectum ipsum antecedenter cognitum, vel dicto habere pro obiecto obiectum præteritum intentionaliter, hoc est, cuius cognitio, quæ præsentia intentionalis est, præcessit antea in intellectu.

25 Ad finem nota duo. *Primum* semper quando intellectus memoratur cognitionis; memoratur etiam obiecti, saltim confusè: quia quælibet cognitio est relatio transcendentalis repræsentationis actualis ad obiectum. *Secundum.* Obiectum memoriæ intellectivæ, esse omne id, quod ab intellectu potest primo cognosci: item omnem cognitionem, quam intellectus potest habere. Constat ex dictis.

SECTIO III.

De cognitione habita per species alienas.

26 Suppono 1. Intellectum pro hoc statu non cognoscere per species proprias, & prout sunt in se substantias corporeas. *Primo.* Quia semper eas cognoscit ad modum alterius; vt constat experientia: ergo non per species proprias, & vt sunt in se. *Secundo*: Quia id cognoscit intellectus per speciem propriam, cuius habet proprium phantasma: sed non habet proprium phantasma substantiæ corporeæ: ergo eam non cognoscit per speciem propriam. Minor probatur: Quia intellectus solum habet phantasma obiecti immediate percepti per sensus externos, & per hos, non substantia; sed accidens cognoscitur immediate. Experimur enim eandem perceptionem sensitivam accidentium panis, post consecrationem ac antea. Dices: phantasiam producere in se species substantiæ non sensatæ immediate per sensus. Sed contra. Per te intellectus per species productas à phantasmatibus, non determinatur ad producendam speciem obiecti non percepti per phantasiam: ergo nec per species perceptas per sensus determinatur phantasia ad producendas species substantiæ non perceptæ per sensus. Contra 2. Quia gratis, & sine vllo fundamento tribuitur phantasiæ illa virtus productiva specierum substantiæ, ...

Sup-

27 Suppono 2. Intellectum pro hoc statu non cognosce per species proprias res spirituales. *Primo.* Quia id cognoscit intellectus per species proprias, cuius habet propriũ phantasma: sed non habet propriũ phãtasma rerum spiritualium: siquidem phantasma, causatur ab speciebus sensationis externæ, & per sensationem non percipiuntur res spirituales propter improportionem potentiæ materialis, cum obiecto spirituali: ergo intellectus pro hoc statu non cognoscit per species proprias obiecta spiritualia. *Secundo.* Quia Angelos, animam rationalem, gratiam, aliaque huiusmodi, semper cognoscimus ad modum alterius: ergo non cognoscimus res spirituales per species proprias; sed per alienas. Difficultas tamen est. An dum intellectus per species alienas cognoscit obiecta immediate nõ percepta per sensus, quæ ideo obiecta appellantur *insensata*, cognitio terminetur immediate ad ea obiecta.

§. I.

Proponitur, & reijcitur sententia Patris Izquierdo.

28 ASSerit hic Author, contra communem sententiam, cognitionem, de qua est sermo mediate solum terminari ad obiectum insensatum. Quod sic explicat disp. 2. quæst. 3. à num. 74. Intendit intellectus cognoscere obiectum insensatum, v. g. animam rationalem, & cum species proprias ipsius non habeat, recurrit ad phantasiam, vbi sunt species obiectorum sensatorum, & eis adiutus elicit cognitionem nebulæ, aut tenuis flammæ, in qua animam cognoscit: ita tamen, vt cognitio non terminetur immediatè ad animam; sed ad nebulam, quam, pro cognoscenda anima sibi substituit intellectus. Hanc nebulam vocat hic Pater phantasma, seu substitutum sensibile. Vnde obiter nota: phantasma hic non sumi pro actu phantasiæ; sed pro spectro, & obiecto materiali per phantasiam sensato, & subrogato pro anima.

29 In hoc phantasmate, dum pro anima substituitur, vere cognoscitur anima; sicut Cæsar in sua imagine, dum depingitur cum intentione ipsum repræsentandi. Quo fit, quod sicut respicientes imaginem Cæsaris, plura dicimus, quæ de prototypo, & non de imagine verificantur: ita intellectus in illo phantasmate plura dicit, quæ non, de phantasmate; sed de anima verificantur. Vnde infert proprius cognosci animam, quam phantasma, dum intellectus illud sibi substituit pro anima. secùs si non substituat,

sed in eo intellectus sistat. Iam quod intellectus substituat sibi phantasma, vel non substituat pro alio obiecto cognoscendo provenit ex principijs, quibus determinatur ad cognoscendum phantasma v. g. nebulam. Nam si principia solum determinant, vt nebula cognoscatur, solum concipitur nebula propter se: si verò determinent principia, vt cognoscatur anima, concipitur nebula pro anima; & propriùs quàm nebula ipsa cognoscitur in nebula anima. Ita ingeniosus hic Author, contra quem.

30 Sit nostra conclusio. Cognitio animæ v.g. habita per species alienas immediatè terminatur ad animam. Ita communis sententia. Probatur *primò*. Dum per fidem Divinam credo existere animam rationalem, non cognosco animam medio phantasmate: ergo immediatè. Antecedens probatur, vel cognoscere animam medio phantasmate est cognoscere animam solam in phantasmate? Quod negas; nam per te cognoscitur etiam phantasma. Vel est pantasma solum cognoscere? Et est falsum: quia cognoscere solum phantasma, quod ex se, non est repræsentativum animæ, nequit esse cognoscere animam medio phantasmate alias dum cognosco Petrum, cognoscerem omnia alia à Petro distincta: vel est attingere æquè *primò* animā, & phantasma? Et si hoc ais: ergo iam tam immediatè cognosco animam, ac phantasma? Rursus: ergo non est necessarium phantasma ad animā cognoscendam, siquidem illo posito, animam immediatè cognosco, cum tamen ideò à te ponatur; quia iudicas, animam nō posse immediatè cognosci.

31 Probatur *secundo*. Hæc cognitio animæ, qua credo, animam existere: est cognitio animæ; sed, iuxta oppositam sententiam non esset: ergo opposita sententia falsa est: minor probatur: non est cognitio immediata, vt concedis. Non mediata. Quod sic probatur. Ea cognitio non est mediata cognitio Angeli, aut lapidis: ergo nec animæ. Consequētia probatur. Ideò antecedēs est verum; quia phantasma illud non est repræsentativum Angeli, aut lapidis, neque cum eis cō nectitur sed illud phantasma eodem modo comparatur ad animam, iuxta oppositā sententiā: ergo si ea cognitio non est mediata cognitio Angeli, aut lapidis, non est adhuc mediata cognitio animæ. Prob. 2. ideò cognitio lapidis, & cōbustionis est mediata cognitio ignis, & Dei quia lapis connexus est cū existentia Dei, & combustio cū existentia ignis; neque si hęc connexio deficeret cognitio ea esset mediata cognitio Dei, aut ignis: ergo cū nebula illa nulla tenus

con-

connexa sit cum anima, non possumus in ea nebula mediatè cognoscere animam, ac per consequens cognitio nebulæ, nõ est cognitio mediata animæ.

32 Respondet hic Author; esse cognitionem mediatam animæ; quia phantasma illud subrogatur ab intellectu pro anima, & non pro Angelo, aut lapide. Sed contra 1. Vel intellectus dum attingit in illo phantasmate animam, attingit illud secundum se. Et hoc non sufficit, vt in eo cognoscat animam, propter rationem præcedentem. Vel attingit illud, vt subrogatum? Vel directè ipsum, & subrogationem? Si *primum*: ergo attingit intellectus subrogationem pro anima quatenus talis subrogatio est, quod non stat quin immediatè animam attingat: etenim nequeo cognoscere imaginem cæsaris formaliter, vt est imago Cæsaris, quin immediatè cognoscam Cæsarem, vt distinctum ab imagine, & vlterius vnde fiet, non cognosci animam in phantasmate; sed in subrogatione ab intellectu distincta, & ab ipso phantasmate. Si *secundum*: ergo cognosco animam immediatè. Probatur. Quia cum subrogatio phantasmatis dicat formaliter respectum ad animam in se non potest intellectus illam subrogationem cognoscere, quin descendat ad animam cognoscendam.

33 *Secundo* contra solutionem arguõ sic. Per te in illo phantasmate secundũ se sumpto, & præscindendo à subrogatione, non potest intellectus cognoscere potius animam, quam Angelum, aut lapidem, ac proinde in ipso, secundum se, nihil cognoscit, nisi ipsummet phantasma: ergo, vt in eo cognoscat animam, & non Angelum, est necessarium, quod intellectus, vel ex imperio voluntatis, vel ex alijs principijs, determinetur ad subrogandum sibi illud phantasma pro cognoscenda anima, & non pro Angelo. Ergo propriori ad subrogationem debet intellectus scire, *animam non esse Angelum, nec lapidem*. Patet: Nam si id non sciat, qua ratione poterit potius pro anima, quàm pro lapide, aut Angelo sibi subrogare phantasma indifferens ex se ad quamvis ex his entitatibus repræsentandã? Nunc sic. Propriori ad subrogationem scit intellectus, & cognoscit, *animam non esse Angelum*? Ergo propriori ad subrogationẽ cognoscit aliquomodo animam; sed illa cognitio discretiva animæ ab Angelo, non est mediata cognitio animæ in phantasmate, & spectro, cum sit propriori ad subrogationem eius pro cognoscenda anima in ipso. Ergo teneris concedere aliquam cognitionem immediatam animæ in se ipsa.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

34 Obijcies 1. Aristotelem lib. 3. de anima text. 30. & D. Thomam 2. 2. quæst. 174. art. 2. ad 4. vbi videntur hanc sententiam tradere. Quæ etiam confirmatur ex illo Pauli prima ad Corinth. cap. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Confirmatur experientia, qua quoties obiectum insensatum cognoscimus, ver. grat. Romam, menti obijcitur Civitas quædam, cuius calles, portæ, edificia, templa, tali, vel tali modo proponuntur. Respondeo Aristotelem, & D. Thomam, vt ipse P. Izquierdo probat, phantasma accipere pro obiecto sensato: vnde solum intendunt, dum cognoscimus obiecta sensata, per species sensatorum, non solum cognoscere nos immediate, obiecta insensata; sed etiam sensata ipsa, per quorum species cognoscimus insensata, quod esse verum dicemus sectione sequenti; & non esse contra nos. Idem dic ad vtramque confirmationem. Obijc. 2. Sine hoc modo cognoscendi non stare præcisiones obiectivas, quæ, apud Logicos tractantur. Respondeo constat ex Logica implicare præcisionem obiectivam; quia distinctio prædicatorum indentificatorum, ratione præcisionis formalis fit.

35 Obijcies 3. Intellectus pro hoc statu solum potest cognoscere vi specierum obiectorum sensibiliũ: sed illæ species solum possunt deservire ad cognitionem immediatam accidentium: ergo substantiæ, & res insensatæ solum mediate possunt cognosci pro hoc statu. Minor probatur 1. Quia si illæ species deservirent ad cognitionem immediatam aliorum obiectorum, essent ipsorum propriæ, & quod inde infertur, intellectus haberet species proprias omnium intelligibilium, quod est falsum. *Secundo*: si illæ species possent repræsentare obiecta non sensata, semper, ac excitantur, illa repræsentarent; quod est contra experientiam. *Tertio*. Quia incredibile est, species rerum sensatarum, quæ quidem paucæ sunt, deservire posse intellectui ad cognitionem omnium insensibilium. *Quarto*. Quia bruta habent species proprias eorundem obiectorum, ac nos, & medijs ipsis, non cognoscunt immediate obiecta insensata.

36 Nego minorem argumenti. Ad *primam* probationem, illæ species non sunt propriæ omnium obiectorum: quia species propriæ vocantur, quæ ab obiectis pro-

cedunt. Patet autem, species illas non procedere ab obiectis insensatis; sed solùm à sensatis quia horum, & nō illorum propriæ sunt illæ; tamen, species variè in phantasia permixtæ ad cognitionem abstractivam omnium deserviunt. Ad *secundam*, semper ac excitantur species repræsentant obiecta, quorum sunt propriæ; non tamen repræsentant semper alia; quia adhoc requiritur tali modo excitari, & misceri, quod non semper accidit: sicut, iuxta Adversarios, semper ac excitantur, non serviunt intellectui ad substituenda phātasmata pro omnibus, licèt ad id possint deservire. Ad *tertiam*, paucæ illæ species, iuxta varios modos, quibus excitantur, deserviunt pro omnibus cognoscendis. Ad *quartam*. Dico, id reducendum esse ad imperfectionem potentiæ brutorum, & perfectionem nostræ: sicut ad eandem perfectionem, & imperfectionem, reducendum est, quod bruta non possint substituere sibi phantasmata, quæ nos possumus iuxtate.

37 Obijcies 4. Quod cognoscitur immediatè cognoscitur, vt est in se: ergo obiecta insensata cognoscimus, vt sunt in se, quod est contra suppositionem numeri 27. & 28. Confirmatur. Quod est in mente nostra sicut est in se intuitivè cognoscitur: sed si cognoscimus immediatè obiecta insensata, sunt in mente nostra, sicut sunt in se: ergo intuitivè cognoscuntur. Ingens æquivocatio. Aliud est obiectum cognosci immediatè: aliud vt est in se: cognosci, vt est in se, est cognosci per speciem propriam ipsum discernentem ab omni non ipso: cognosci immediatè, est obiectum cognosci absque interposito medio, licèt confusè. Igitur distinguo antecedens: cognoscitur, vt est in se; hoc est, per speciem propriam, nego: hoc est ipsum directè, & sine medio, concedo antecedens. Et distinguo consequens eodem modo. Ad confirmationem respondeo, quod obiectum in se, est in mente nostra, hoc est totum, quod in obiecto est cognoscitur; sed quia cognitio est abstractiva, & per species alienas habita, ideo non cognoscitur clarè, & intuitivè: nam sic, solum cognoscitur obiectum, dum totum, quod in se est repræsentatur per species proprias.

38 Obijcies 5. Si intellectus immediatè cognoscit obiecta insensata, nō poterit deprehendere obiecta vaga: quia in obiectis in se sumptis nulla datur vaguitas 6. Si chymeram in se cognoscimus, non eam cognoscimus abstractivè, cum tamen sic frequenter eam cog-

cognoſcamus 7. Anima in ſtatu ſeparationis cognoſcit obiecta inſenſata per ſpecies acquiſitas in hac vita ab obiectis ſenſibilibus: ſed in ſtatu ſæparationis ea cognoſcit in phantaſmatibus ſubſtitutis: ergo in hac vita. Minor probatur quia animæ ad hanc vitam redeuntes dicunt, ſe vidiſſe flumina, flores, & alia, quæ in alia vita non ſunt.

39 Reſpondeo ad *quintum.* Intellectum cognoſcere modo vago, non ſtat in eo, quod obiecta vaga appræhendat; ſed in eo, quod obiecta in ſe determinata, modo in determinato cognoſcat: ſicut modo copulativo, aut disiūctivo cognoſcit obiecta in ſe, nec copulata, nec disiuncta. Ad *ſextum*, dum chymæram in ſe, id eſt, immediatè, cognoſcimus, ipſam cognoſcimus aliter, ac eſt in ſe, hoc eſt, per ſpecies alienas cognoſcimus, quæ duo nō opponuntur. Ad *ſeptimum*, permiſſa maiori, nego minorem. Ad probationem reſpondeo id dicere animas redeuntes, vel quia ea obiecta ipſis proponuntur, vel quia obiecta, quæ immediatè per ſpecies proprias; & vt ſunt in ſe cognoſcunt, non alitèr poſſunt nobis exponere propter verborum defectum, vt nos aliquo modo ea percipere poſſimus.

***

SECTIO IV.

De cognitione intuitiva, & abſtractiva, & alijs circa modum cognoſcendi, quem habet intellectus.

***

40 EX dictis iam ſcies, quid ſit cognitio intuitiva, & quid abſtractiva. Intuitiva eſt: *cognitio habita* per ſpecies proprias obiecti, quæ appellari ſolent ſpecies obiecti, vt eſt in ſe: habita, inquam per ſpecies proprias, quod verum eſt ſive ab obiecto immediatè producantur, ſive à Deo nomine obiecti & ſic,iuxta plurium ſententiam,eſſet intuitiva cognitio, quam Angelus habet de rebus naturalibus,quaſ iudicant hi AA. non producere ſpeciem ſui in intellectu Angelico. Cæterum cognitio, quæ abſque vllis ſpeciebus obiecta, vt ſunt in ſe cognoſcit, vt eſt cognitio Divina, eſt intuitiva: nam ad rationem intuitionis non requiritur quod ſit poſitive per ſpecies proprias; ſed negativè, id eſt non per alienas. Deinde ſi deficiente obiecto, ver. grat. albedine, Deus miraculoſe conſervaret ſpecies albedinis in potentia, ea cognitio intuitiva erit: nam ad intuitionem non requiritur,

tur, quod obiectum sit physicè præsens, vt patet in intuitione Divina possibilium.

41 Cognitio abstractiva est, *quæ habetur per species alienas*, quod verum est sive illæ species productæ sint ab obiectis, sive à Deo: item abstractiva erit, si Deus ad eam cognitionem concurrat, vt causa specialis, supplendo vices specierum alienarum, ea enim cognitio æquivalenter esset habita per species alienas. Hæc explicatio cognitionis intuitivæ, & abstractivæ recta est: quia omnes cognitiones, quæ intuitivæ, & abstractivæ vocantur, habent ea prædicata.

42 Sed, vt clarius intelligatur. Scies, quod phantasma obiecti sensati producit cum intellectu cognitionem sui obiecti, ea claritate, ipsum repræsentantem, quâ repræsentatur à cognitione externa, ver. grat. à visione. Hæc cognitio dicitur intuitiva, seu intuitio: quia visioni assimilatur in claritate, qua cognoscit obiectum: vnde cognitio intuitiva constituitur penes hoc, quod est, repræsentare obiectum eadem claritate, qua per sensationem externam repræsentatur, quod nulla cognitio habebit, nisi sit habita per species proprias, hoc est, nisi sit immediatè causata à phantasmate proprio obiecti sensati, aut speciebus impressis spiritualibus productis ab ipso, si tales species admittantur. Cognitio memorativa, dicitur etiam intuitiva, si cognitio præcedens intuitiva fuit: quia habet claritatem expositam, & fit per species proprias obiecti: nam fit per species productas à priori cognitione, quam, per species proprias, causavit obiectum. Ea, tamen, cognitio memorativa, non erit intuitio prioris cognitionis: quia nostram cognitionem spiritualem ad modum alterius semper cognoscimus, sicut, & alias res spirituales. Quare illa memoratio erit intuitiva, respectu obiecti, & abstractiva, respectu cognitionis præteritæ.

43 Cæterum dum phantasmata, aut, species ex his relictæ varie commiscentur, & excitantur virtutem habent concurrendi cum intellectu ad cognitionem alterius obiecti, cuius species proprias non habet: & ea cognitio abstractiva dicitur; quia nec fit per species proprias obiecti, nec obiectum per ipsam apparet ea claritate, qua per sensationem externam. Dum, tamen, Angelum per species juvenis concipio, ita cōfusè, & juvenis, & Angelus cognoscitur, vt sine cognitione reflexa de ipsorum distinctione, vi præcise prioris forte dubitaret intellectus de ipsorum identitate?

44 Inde

44 Inde infertur, quid sit cognitionem abstractivam cognoscere obiectum admodum alterius? Est ergo, per species alienas obiectum ita confuse attingere, vt possit intellectus decipi circa identitatem illius, & obiecti, cuius species propriæ sunt. Ideo non bene P. Alphonsus cum alijs, ait cognoscere rem admodum alterius Angelum v. g. admodum Iuvenis, esse cognoscere Angelum, vt identificatum cum Iuvene. Quia si hoc ita esset, quævis cognitio abstractiva attingeret obiectum entitativè chymæricum, videlicet identitatem inter obiecta realiter distincta. Vide, quæ diximus in Logica tractat. de Ente rationis disp. 1.

45 Rogas 2. An intellectus pro hoc statu possit cognoscere plura, vt plura? Respondeo affirmativè, tàm per vnum actum, quàm per plures. Per vnum: nam iudicium negans identitatem inter hominem, & lapidem, attingit lapidem, vt ab homine distinctum, & è contra: item cognitio referens creaturas ad Deum tanquam effectum ad suam caussam attingit creaturas, vt realitèr distinctas à Deo: ergo attingit plura, vt plura. Per plures: nam potentia visiva materialis, simul per plures visiones percipit obiecta distincta, vt talia: ergo intellectus spiritualis, qui nobilior potentia cognoscitiva est, per plures cognitiones simul plura cognoscit, vt plura. Dices 1. Non potest vnico actum, quia idem actus esset verus, & falsus, si vnum obiectū existere, & non aliud: tum quia eadem entitas non potest esse physicè hoc, & aliud: ergo neque idem actus potest esse intentionalitèr hoc, & illud obiectum, quod repræsentat. Ad *primum* ille actus esset absolutè falsus, si vtriusque obiecti coniunctionem affirmaret. Deinde trāseat esse simul verum, & falsum respectu diversorum obiectorum, quod plures AA. concedunt. Ad *secundum* est disparitas, quia si eadem entitas esset physicè hoc, & aliud, esset vna, vt supponitur, & physicè multiplex, cum physicè identificetur cum rebus distinctis realiter: at hoc non sequeretur ex eo, quod intentionalitèr esset hoc, & aliud; quia hoc præcisè est actum repræsentare vtrumque obiectum.

46 Dices 2. Non posse pluribus actibus: tum, quia plura accidentia eiusdem generis, nequeunt esse in eodem subiecto: ergo neque plures cognitiones in intellectu. Tum, quia Aristoteles docet intellectum non posse simul plura cognoscere, seu cogitare, licet possit cogitare, seu habere simul plures actus scientificos. Respōdeo ad *primum*. Antecedens esse verum, quando sunt intrinse-

ce opposita; secus quando non sunt; quia simul dantur in eadem parte aëris, & in eadem potentia visiva plures species numero distinctæ, & intendo in coniunctione plurium actuum, saltem aliquorum obiectorum, non esse oppositionem. Ad *secundum* solum intendit Aristoteles, non posse intellectum, simul exprimere vnica cognitione, omnia ea obiecta, ad quorum cognitionem potest se extendere per actus scientificos, quod non est contra nos.

47 Rogabis 3. Quæ obiecta primò cognoscat intellectus? An primò cognoscat vniversalia: an singularia? Respondeo, singularia cognoscere prius. Ratio est; quia intellectus id primo cognoscit, ad quod determinatur per phantasma, & iuxta communem sententiam, per species productas à phantasmatibus: sed hæc omnia determinant ad cognitionem singularium: ergo prius cognoscit intellectus singularia. Maior est certa. Minor probatur. Phantasma (idem dic de specie ab ipso producta, si forte producitur) determinat primo ad cognitionem eius, ex cuius specie generatur: generatur, autem ab specie producta à sensatione externa singularium, si quidem ad sensus externos solum perveniunt species singularium: ergo primo determinant ad singularium cognitionem. Patet, tamen, aliquando vniversalia primo cognosci, ver. grat. si nulla habita specie singularium audias hanc vocem *homo*, & formes conceptum ipsi correspondentem: postea vero, per species singularium incidas in cognitionem singularium.

48 Vbi nota; Intellectum cognoscere vniversalia per species alienas: quia speciebus, aut phantasmatibus vnius, vel alterius singularium determinatur ad cognitionem confusam omnium, quam conceptum vniversalem vocamus. Has species alienas esse rerum vniversalium, probatur. Quia conceptu vniversalium, omnia inferiora cognosco, & non habeo species proprias omnium. Dices. Intellectus abstrahit à phantasmatibus. Quare licet phantasma repræsentet singularia, poterit intellectus cognoscere singularia, post cognitionem vniversalium. Nego consequentiam. Quia abstractio à phantasmatibus, in eo stat, quod cum illis, licet materialibus, concurrat intellectus ad cognitionem spiritualem: non in eo, quod abstrahat ab eis ad repræsentationem aliorum obiectorum, cum omnimoda independentia à phantasmatibus in tali repræsentatione.

DIS-

DISPVTATIO II.

De constitutivo physico intellectionis.

SECTIO I.

Supponuntur aliqua, & referuntur Authorum sententiæ.

1 SVppono 1. Dum intellectus intelligit dantur hæc omnia: Qualitas ab eo producta, quæ expresio repræsentatio, & imago formalis obiecti dicitur *Actio* productiva eius qualitatis. *Vnio*, qua vnitur intellectui, & ei tribuit suum effectum formalem, sivè hæc omnia distinguantur inter se, sivè identificentur, de quo iam dicemus. Similitèr in voluntate, dum amat, datur *qualitas* ab ipsa producta, quæ pondus in obiectum, dicitur *actio* productiva ipsius, & *vnio* ipsius ad voluntatem. Ideo quidquid in hac disputatione dixerimus de constitutivo physico intellectionis, suo modo dicendum est de constitutivo physico amoris.

2 Suppono 2. Qualitas defacto producitur ab intellectu per actionem ab ipsa distinctam, quidquid sit an repugnet qualitas, se ipsa, ab intellectu procedens? *Primo* quia id expresse asseritur à D. Thoma, & Augustino, vt constabit infra. *Secundo*; quia reliquæ qualitates per actionem distinctam producuntur: ergo, & hæc. Probatur consequentia: ideo hæc se ipsa procederet, quia est qualitas vitalis: sed hoc non sufficit; nam vitalis erit: tum quia immanens, quod alijs qualitatibus non convenit: tum quia obiecta media illa, denominatur cognita, & subiectum cognoscens. *Tertio*: quia ex Divo Thoma 1. p. quæst. 105. art. 2. in corpore iuxta fidem, dicendum est, Deu posse producere se solo effectus omnes causarum secundarum: ergo qualitas, quæ effectus est intellectus à Deo produci potest, nisi aliunde efficaciter probetur, actionem esse, quod quidem aliunde non probatur: ergo potest à Deo produci: ergo realitèr non est actio talis qualitas; sed est distincta à sua actione productiva.

3 Suppono 3. Probabilius esse, qualitatem vniri intellectui per vnionem superadditam: Probatur. Omnes qualitates non vitales per vnionem superadditam vniuntur subiecto: ergo, & qualitates vitales. Consequentia probatur; quia-

pro

pro his non est speciale fundamentum. Dices: fundamentum esse. *Primo.* Quia subsistentia se ipsa vnitur: ergo species expressa. *Secundo.* Quia intellectio huius intellectus, non potest alteri vniri: ergo, quia se ipsa, vnitur huic. *Tertio.* Quia species est exercitium, & actus secundus intellectus: ergo se ipsa vnitur, quia quilibet actus se ipso vnitur subiecto, cuius est exercitium. Sed hæc non vrgent. Non *primum.* Quia alibi de probatur, subsistentiam esse modum, ac per consequens se ipsa vniri naturæ: at speciem expressam esse modum, adhuc non probatur ab Adversarijs. Non *secundum.* Quia identificantes intellectionem adæquatè cum specie expressa consequenter dicunt, intellectionem vnius intellectus posse vniri alteri, si ea species ab actione distinguatur. Deinde si antecedens absolute est verum, ideo est, quia intellectio, saltim in adæquatè, dicit actionem immanentem distinctam ab specie, quæ actio se ipsa vnitur intellectui. Tandem ratio Adversariorum non vrget; quia licet se ipsa vniatur intellectui, potest per actionem superadditam, alieno intellectui vniri; sicut, iuxta ipsos, potest subsistentia vniri alteri naturæ. Non *tertium.* Quia species non est exercitium, & actus secundus intellectus, sed terminus illius exercitij, vt dicetur infra.

4 His positis, difficultas est, cum quonam ex rebus enumeratis identificetur intellectio, quæ formaliter est exercitium potentiæ intellectivæ, vt talis? Prima sententia docet, adæquatè identificari cum actione productiva speciei expressæ, ab ipsa adæquatè distincta. Ita PP. Molina 1. part. q. 12. art. 2. Hurtado Complutensis 1. 2. disp. 2. Connimbricenses lib. 3. de Anima cap. 8. Alphonsus dis. 13. qui vult stare adæquatè in actione productiva vnionis speciei expressæ ad intellectum. Secunda sententia docet, adæquatè identificari cum specie expressa, vt distincta realiter ab actione. Ita plures ex nostris, & extraneis quos refert, & sequitur P. Izquierdo dis. 2. quæst. 1. Et refert pro eadem sententia P. Suarez: sed nescio quo iure; nam 1. part. lib. de Attributis negativis cap. 11. ait: *Verbum* (intellige mentis) *nihil aliud esse, quam internus terminus illius actionis intellectualis, per quam intelligimus.* Vbi intellectionem adæquatè distinguit à termino actionis intellectivæ, qui terminus alius non est ab specie expressa. Et clarius tom. 2. Metaphys. disputat. 30. sect. 14. ait, *Om-*

Omnia viventia in eo convenire, quod ab intrinseco operantur, dum vivunt: ergo dum intellectus vivit intelligendo, id non aliter præstat, quàm per actionem, qua ab intrinseco aliquid agit.

5 Tertia sententia docet, intellectionem stare formalitèr in complexo actionis productivæ speciei, & speciei productæ. Ita P. Hurtado d. 6. sect. 1. P. Arrubal tom. 1. in 1. part. disp. 16. & RR. plures, quorum alij dicunt, actionem esse constitutivum adæquatum intellectionis. Alij essentialitèr, ad intellectionem requiri, vt connotatum tantum. Alij intellectionem includere in recto, & *vt quod* speciem, & actionem in obliquo, & *vt quo*. Quarta, & singularis opinio P. Lince. lib. 7. Metaphysic. tract. 3. cap 7. docet, duplicem esse intellectionem aliam activam adæquatè identificatam cum actione producente speciem aliam passivam adæquatè identificatam cum specie expressa.

SECTIO. II.

Eligitur, & probatur vera sententia.

6 Dico 1. Intellectio realitèr identificatur cum actione, vt realitèr distincta ab specie expressa. Probatur 1. Intellectio est vita in actu secundo, & exercitium potentiæ vitalis intellectivæ: sed vita in actu secundo consistit adæquatè in actione potentiæ vitalis: ergo intellectio consistit adæquatè in actione potentiæ vitalis intellectivæ. Maior est certa: nam eodem modo se habet intellectio ad potentiam vitalem intellectivam, ac nutritio ad potentiam vitalem nutritivam. Maior probatur, Vita in actu secundo est motus ab intrinseco potentiæ vitalis procedens: sed motus potentiæ vitalis ab intrinseco ipsius procedens, consistit in actione potentiæ vitalis edæquatè: ergo vita in actu secundo adæquatè consistit in actione potentiæ vitalis. Minor est certa, & maior constat ex toto disp. 4. libri primi

7 Respondent communitèr RR. vitam in actu secundo viventis physicè stare adæquatè in actione: at vita viventis intentionalitèr, qualis est intellectus, tantum dicere, potentiam vitalem percipere formaliter obiectum, quod ab actione physica præscindit. Sed contra 1. Ex dictis loco citato. Omne vivens creatum tale dicitur per ordinem ad actionem physicam, qua in se agit suam perfectionem: quod clare docetur à D. Thoma locis ibi allegatis. Nam dicit *Primo, vt sic viventia dicuntur* (loquitur de viventibus creatis) *quæcumque secundum se agunt ad motum, vel operationem ali-*

aliquam: ea verò in quorum natura non est, vt se agant ad aliquem modum, vel operationem, viventia dici non possunt nisi per aliquam similitudinem. Secundò specialitèr id dicit de intellectu, per hæc verba: *Perfectior modus vivendi est eorum, qui habent intellectum: hæc enim perfectiùs movent se ipsa.* Ex quibus sic. Intellectus intentionalitèr vivens, se movet ab intrinseco, dum in actu secundò vivit: sed se movere ab intrinseco non præscindit; sed potius formalitèr dicit, & quidem adæquatè actionem: ergo vita intellectus in actu secundò, non præscindit; sed potius formaliter dicit, & quidem, adæquatè; actionem.

8 Contra *secundò.* Quia, vt benè P. Hurtado supra, vita intentionalis non distinguitur à physica per inclusionem physicæ actionis: sed in eo, quod per vitam intentionalem vivens tribuit obiecto denominationem cogniti, aut amati: secus vivens physicum, quod per vitam in actu secundò sistit omninò producendo terminum, quo nutritur. *Tertio.* Intelligere est vita intellectus in actu secundò: sed intelligere; est actio physica: ergo vita intellectus in actu secundò, non præscindit; sed potius formalitèr dicit, actionem physicam. Minor probatur ex Div. Thoma 1. part. quæst. 18. art. 3. ad 1. vbi distinguens actionem physicam immanentem, & transeuntem, ait: *duplex actio est. Vna, quæ transit in exteriorem materiam, vt calefacere, & secare: alia, quæ manet in agente, vt intelligere sentire, velle.* Vbi nota, intellectionem à D. Thoma, identificari adæquatè cum actione, vt à qualitate distincta; sicut, apud omnes, calefactio identificatur cum actione productiva caloris, à calore distincta.

9 Contra *quarto.* Quia si, vt concedis, intellectus potest vivere, absque propria actione physica, & voluntas amare absque propria actione: eo præcisse, quod species expressa, & pondus eis vniantur, quamvis ab extrinseco: ergo possibilis est substantia intellectiva, aut volitiva, non productiva alicuius termini, quo intelligat, aut amet: sed hoc est falsum: ergo falsum est, vitam intellectus in actu secundo non includere actionem physicam intellectus. Minor probatur. Amor, vt præscindit à libero, & necessario, est formalitèr voluntarius, sed quivis amor voluntarius: vt talis, dicit essentialitèr actionem voluntatis: ergo implicat amor sine actione voluntatis. Minor probatur. Quia voluntarium prout præscindit à libero, & necessario, est: *Quod procedit à principio*

cipio intrinseco cognoscente singula. Deinde quia intellectus, dũ intelligit, non se movebit; sed movebitur ab extrinseco, contra D. Thomam supra num. 7. denique: quia id contradicere videtur Tridentino sessione 6. canone 4. damnanti propositionem asserentem: *liberum hominis arbitrium à Deo motum* (uidelicèt vt amet) *veluti inanima quoddam, nihil omninò agere, & merè passivè se habere*: hic enim, concilium videtur inuere, voluntatem non agentem, dùm amat; sed merè passivè se habentem, vel vt inanime quoddam se gesturam, & hoc tanquam hæreticum damnat.

20 Respondent 1. Admittendo possibilitatem eius substantiæ: concilium dupliciter explicari posse. *Primò*, concilium damnare propositionem copulativè asserentem, liberum arbitrium à Deo moveri, & esse inanime instrumentum; non tamen curare. An cum eo, quod ab intrinseco determinaretur ad amandum, se haberet, velut in animè instrumentum? *Secundò*: liberum arbitrium, vt non se habeat, vt inanimè instrumentum, aliquid debere agere, dum amat agere, inquam vel physicè vel intentionalitèr, & intentionalitèr agere dum per amorem adæquatè, ab extrinseco productum, fertur in obiectum. Hæ solutiónes insufficientes sunt. *Prima*: quia contra sensum verborum: secunda, quia contra mentem Concilij.

11 *Prima*, est contra sensum verborum. Quia PP. clarè videntur inferre ex sententia docentium, voluntatem, nihil, sua virtute agere dum amat; sed purè passivè se habere, & à Deo adæquatè movere, respectu eius amoris se habituram, vt inanime quoddam. Deindè, sensum illorum verborum probare physicam virtutem voluntatis in amorem, & causalitatem physicam voluntatis indè nobis debet constare; quia omnes nostri, contra Thomistas ex eo loco probant, voluntatem, sua virtute sibi intrinseca, verè influere in amorem, & non purè recipere, amorem, adæquatè causatum à physica virtute habitus Charitatis; quia alias, inquirunt, vt inanime quoddam se haberet: ergo sensus Concilij est, quem nos intendimus. Aliàs rationes nostræ, contra Thomistas, pro virtute naturæ ad actus supernaturales, nullæ essent.

12 Secunda est contra mentem Concilij. Quia intentum Concilij erat, damnare hæreticos asserentes, voluntatem nihil agere, dum amat excitata à Deo: sed ha-

retici non asserebant nihil agere intentionalitèr, sed physicè: ergo damnat asserentes, nihil agere physicè. Minor probatur: nihil agere intentionalitèr voluntatem, dùm amat, est, non amare: sed hæretici non asserebant voluntatem, non amare, dùm amat; sed solum, quod in hoc nihil ageret: ergo hęretici solum asserebant voluntatem nihil agere physicè, & hoc est, quod concilium damnat.

13 Respondent 2. negando posibilitatem illius substantiæ: nam rectè componitur, intellectionem stare adęquatè in specie, & amorem, in pondere, & voluntatem non posse adhùc supernaturalitèr, amare sine actione; quia, videlicèt, actio intrinsecè constituit denominationem amandi, & intelligendi, licèt amor, & intellectio adæquatè distinguantur ab actione. Quod sic explicant: tùm, quia carentia peccati, adæquatè distincta à gratia iustificante, & carentia vnionis hypostaticæ adæquatè distincta ab eadem gratia, intrinsecè constituunt cum gratia denominationē iusti, & filij adoptivi Dei. Tùm à priori. Quia intellectus nequit intelligere, & voluntas amare, nisi habeant intellectionem, & amorem modo vitali, hoc est, per actionem ab intrinseco ipsorum provenientem: quia non alia de causa, lapis non intelligit per intellectionem ipsi vnitam: ergo licèt intellectio, & amor adęquatè distinguantur ab actione non infertur posibilis substantia, quam objicimus.

14 Sed contra primò ergo ea ratione; qua esse iustū, & filium adoptivum dicunt carentiam peccati, & carentiam vnionis ad Deum; esse amantem, & esse intelligentem in actu secundò, dicunt actionem: sed esse iustum, & filium adoptivū dicunt formalitèr carentiā peccati, & carentiam vnionis ergo esse intelligentem in actu secundò, dicit formalitèr actionem: sed intelligere in actu secundo, est formalitèr intellectio: ergo intellectio dicit formalitèr actionem.

15 Contra *secundò*. Doctrina rationis à priori data in solutione, nisalor, est manifesta in consequentia RR. Arguo sic: Per te, vt intellectus intelligat, non requiritur vita physica intellectus; sed sola vita intentionalis & vita intētionalis in actu secundò, per tè in sola qualitate consistit: ergo vt intellectus habeat cognitionem modo vitali, non requiritur actio physica intellectus, sed sufficit qualitas ipsi vnita, licèt ab extrinseco. Explicatur: intellectum habere cognitionem modo vitali, est vivere per ipsam; vel ergo intellectum vivere intentionalitèr, dicit

actionem, vel non? si *primum*: ergo vivere intentionalitèr, dicit actionem physicam, quod negas. Si *secundum*: ergo vivere intellectum per cognitionem, stat sine actione physica intellectus: ergo possibilis erit substantia potens intelligere in actu secundo, & amare, absque vlla prorsus actione physica sui, quod hac secunda solutione negas. Mitto alia.

16 Probatur 2. conclusio. Intelligere creatum est dicere internè, & intellectum ad se ipsum loqui obiectum, quod cognoscit; id certum: sed dicere internè formalitèr est producere verbum: ergo intelligere formalitèr est producere verbum. Minor probatur: nam in Divinis, solus Pater dicit, licèt omnes Personæ formaliter præcipiant obiectum; quia ipse solus producit verbum: tum, quia dicere vocalitèr, est producere verbum vocale: ergo dicere mentalitèr, est producere verbum mentale. Antecedens est certum: quia, apud omnes, dicere vocalitèr, est producere sonum, & vocem, quæ, ex hominum placito, obiectum significat. Probatur consequentia ex Augustino 15. de Civitate Dei cap. 11. vbi ait: *Dictio vocalis, improprius est dictio, quam mentalis: & verbum vocale, improprius est verbum, quam mentale.*

17 Confirmatur. Dictio, & loquutio mentalis est intellectio: sed dictio, & loquutio mentalis, est productio verbi: ergo intellectio est productio verbi. Minor est certa ex dictis, & dicendis sect. 4. Mayor probatur. *Primò* ex Augustino 15. de Trinitate cap. 15. vbi ait: *Cum verbum* scilicèt, *mentale, cogitatione nostra dicitur, intellectio fit*: ergo verbum mentale cogitatione dicitur: sed cogitatio, & intellectio idem sunt: ergo intellectione dicitur: ergo intellectio est dictio. Deindè eodem capite dicit; *verbum nostrum intimum non, nisi nostra cogitatione dicitur*: ergo dicitur intellectione, quæ cogitatio est: ac per consequens intellectio est actio. Probatur *secundò* ex D. Thoma 1.p.q.27.art.1. vbi ait: *quicunque intelligit, producit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiva proveniens, & ex eius notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis.* Ecce, ait, intellectum ex hoc ipso, quod intelligit, producere verbum, & hoc producere ex notitia, hoc est ex cognitione intellectus: ergo intellectio est productio verbi.

18 Vbi obser va tria. *Primum* iuxta D.Thomam, verbũ dici conceptionẽ obiecti, & hanc produci per intellectionẽ: ergo

ergo D. Thomis, conceptionem, & repræsentationem formalem obiecti, sitam in specie expressa, distinguit ab intellectione; & hanc identificat cum actione. *Secundum.* Intellectionem adæquatè distingui, ab specie expressa: nam iuxta D. Th. conceptio formalis obiecti, quæ idem est cum specie expressa, producitur ab intellectu dum intelligit: item procedit ex notitia intellectus: ergo intellectio adæquatè distinguitur ab specie expressa: alias intellectio inadæquatè produceret se ipsam. *Tertium.* Contra D. Thomam constituere Thomistas, intellectionem in actione, sine termino, cum expresse ipse S. Doctor, ponat intellectionem in actione producente verbum, & speciem expressam.

19 Probatur 3. conclusio. Intelligere, est intellectum facere sibi præsens obiectum, & pingere ipsum intentionaliter: ergo intellectio formalitèr ist id, quo facit sibi præsens, & pingit intentionalitèr obiectum: sed id, quo hæc præstat intellectus formalitèr est actio productiva imaginis, & præsentiæ intentionalis; ergo intellectio formalitèr stat in actione productiva imaginis, & præsentiæ intentionalis; sed, apud omnes, imago, & præsentia intentionalis, est species expressa: ergo intellectio formalitèr stat in actione productiva speciei expressæ. Dices 1. Intelligere non esse facere obiectum intentionalitèr præsens, sed habere præsentiam intentionalem vnitam, quod ab actione propria intellectus præscindit. Sed contra *primò.* Quia per hoc, quod est habere præsentiam intentionalem vnitam, non se movet ab intrinseco intellectus, quod necessarium erat, vt intellectus viveret. *Secundò.* Quia cum conceptu asignato in solutione, stat intellectum intelligere, quin aliquid agat, quod præter dicta falsum est; quia intelligere formalitèr dicit, intellectum intendere, & aliquem conatum præstare in obiectum, quod sine actione stare nequit.

20 Dices 2. Saltim hoc argumento non probari, intellectionem non involvere, vltra actionem, ipsam speciem expressam. Sed contra. Intellectio est productio præsentię intentionalis obiecti consistentis in specie: ergo distinguitur adæquatè ab specie. Consequentia probatur: productio præsentiæ physicæ, & productio caloris, distinguuntur à præsentia physica, & calore; item, & vt sic dicam, pictio imaginis, hoc est actio pingendi adæquatè distinguitur ab imagine: & in vniversum productio termini cuiusvis poten-

actionem, vel non? si *primum*: ergo vivere intentionalitèr, dicit actionem physicam, quod negas. Si *secundum*: ergo vivere intellectum per cognitionem, stat sine actione physica intellectus: ergo possibilis erit substantia potens intelligere in actu secundo, & amare, absque ulla prorsus actione physica sui, quod hac secunda solutione negas. Mitto alia.

16 Probatur 2. conclusio. Intelligere creatum est dicere internè, & intellectum ad se ipsum loqui obiectum, quod cognoscit; id certum: sed dicere internè formalitèr est producere verbum: ergo intelligere formalitèr est producere verbum. Minor probatur: nam in Divinis, solus Pater dicit, licèt omnes Personæ formalitèr præcipiant obiectum; quia ipse solus producit verbum: tum, quia dicere vocalitèr, est producere verbum vocale: ergo dicere mentalitèr, est producere verbum mentale. Antecedens est certum: quia, apud omnes, dicere vocalitèr, est producere sonum, & vocem, quæ, ex hominum placito, obiectum significat. Probatur consequentia ex Augustino 15. de Civitate Dei cap. 11. vbi ait: *Dictio vocalis, improprius est dictio, quam mentalis: & verbum vocale, improprius est verbum, quam mentale*,

17 Confirmatur. Dictio, & loquutio mentalis est intellectio: sed dictio, & loquutio mentalis, est productio verbi: ergo intellectio est productio verbi. Minor est certa ex dictis, & dicendis sect. 4. Mayor probatur. *Primò* ex Augustino 15. de Trinitate cap. 15. vbi ait: *Cum verbum* scilicèt, *mentale*, *cogitatione nostra dicitur*, *intellectio fit*: ergo verbum mentale cogitatione dicitur: sed cogitatio, & intellectio idem sunt: ergo intellectione dicitur: ergo intellectio est dictio. Deindè eodem capite dicit; *verbum nostrum intimum non*, *nisi nostra cogitatione dicitur*: ergo dicitur intellectione, quæ cogitatio est; ac per cōsequens intellectio est actio. Probatur *secundò* ex D. Thoma 1.p.q.27.art.1. vbi ait: *quicumque intelligit*, *producit aliquid intra ipsum*, *quod est conceptio rei intellectæ*, *ex vi intellectiva proveniens*, *& ex eius notitia procedens*, *quam quidem conceptionem vox significat*, *& dicitur verbum cordis*. Ecce, ait, intellectum ex hoc ipso, quod intelligit, producere verbum, & hoc producere ex notitia, hoc est ex cognitione intellectus: ergo intellectio est productio verbi.

18 Vbi observa tria. *Primum* iuxta D. Thomam, verbū dici conceptionē obiecti, & hanc produci per intellectionē: ergo

ergo D. Thomis, conceptionem, & repræsentationem formalem obiecti, sitam in specie expressa, distinguit ab intellectione: & hanc identificat cum actione. *Secundum*. Intellectionem adæquatè distingui ab specie expressa: nam iuxta D. Th. conceptio formalis obiecti, quæ idem est cum specie expressa, producitur ab intellectu dum intelligit: item procedit ex notitia intellectus: ergo intellectio adæquatè distinguitur ab specie expressa: alias intellectio inadæquatè produceret se ipsam. *Tertium*. Contra D. Thomam constituere Thomistas, intellectionem in actione, sine termino, cum expresse ipse S. Doctor, ponat intellectionem in actione producente verbum, & speciem expressam.

19 Probatur 3. conclusio. Intelligere, est intellectum facere sibi præsens obiectum, & pingere ipsum intentionalitèr: ergo intellectio formalitèr ist id, quo facit sibi præsens, & pingit intentionalitèr obiectum: sed id, quo hæc præstat intellectus formalitèr est actio productiva imaginis, & præsentiæ intentionalis; ergo intellectio formalitèr stat in actione productiva imaginis, & præsentiæ intentionalis: sed, apud omnes, imago, & præsentia intentionalis, est species expressa: ergo intellectio formalitèr stat in actione productiva speciei expressæ. Dices 1. Intelligere non esse facere obiectum intentionalitèr præsens, sed habere præsentiam intentionalem vnitam, quod ab actione propria intellectus præscindit. Sed contra *primò*. Quia per hoc, quod est habere præsentiam intentionalem vnitam, non se movet ab intrinseco intellectus, quod necessarium erat, vt intellectus viveret. *Secundò*. Quia cum conceptu assignato in solutione, stat intellectum intelligere, quin aliquid agat, quod præter dicta falsum est; quia intelligere formalitèr dicit, intellectum intendere, & aliquem conatum præstare in obiectum, quod sine actione stare nequit.

20 Dices 2. Saltim hoc argumento non probari, intellectionem non involvere, vltra actionem, ipsam speciem expressam. Sed contra. Intellectio est productio præsentię intentionalis obiecti consistentis in specie: ergo distinguitur adæquatè ab specie. Consequentia probatur: productio præsentiæ physicæ, & productio caloris, distinguuntur à præsentia physica, & calore: item, & vt sic dicam, pictio imaginis, hoc est actio pingendi adæquatè distinguitur ab imagine: & in vniversum productio termini cuiusvis poten-

tiæ adæquatè distinguitur à termino: ergo intellectio, quę productio est præsentiæ, & imaginis intentionalis, adæquatè distinguitur à præsentia, & imagine.

21 Dico 2. Si species vnitur intellectui per vnionem superadditam, vt probabilius visum est nobis num. 3. Intellectio formalitèr adæquatè stat in actione, producente vnionem. Probatur, Quia cum intelligere sit, obiectum ab intellectu fieri præsens intentionalitèr intellectio in ea actione stabit, qua intellectus facit sibi præsens obiectum, seu, quod idem est, qua intellectus facit, quod præsentia intentionalis obiecti, ipsi formalitèr repræsentet obiectum: sed hæc actio, alia nequit esse ab actione, qua intellectus vnit sibi eam præsentiam; quia per eam actionem, producitur vnio immediata, qua præsentia formalitèr vnitur, & præstat in actu secundo intellectui suum effectum formalem repræsentandi obiectum, ergo intellectio formalitèr stat in actione producente vnionem.

22 Ex dictis colliges *primò*: Imposibile esse intellectum intelligere per speciem expressam à solo Deo productam, & vnitam intellectui. Quia cum in hoc, nulla actio intellectus involvatur, non habet intellectus ab intrinseco repræsentationem obiecti, ac per consequens non vivit prout necessarium est, vt per speciem intelligat. Si tamen qualitas, & species à solo Deo produceretur, & intellectus produceret sibi, vnionem eius, intelligeret quia iam ab intrinseco facit sibi præsens intentionalitèr obiectum iuxta secundam conclusionem. Colliges *secundò*. Deum se solo non posse producere meam intellectionem: quia se solo, nequit facere actionem mei intellectus. Colliges *tertio*: meã intellectionem se ipsa, non posse vniri, nisi meo intellectui; atsi per actionem superadditam alteri intellectui mea intellectio vniretur: alter intellectus non intelligeret per illam: quia mea actio, in qua stat formalitèr mea intellectio, non est motus, quo alter intellectus se movet; sed terminus motus superadditi, à quo producitur: sed actio, qua, quivis intellectus intelligit, iuxta dicta, debet esse motus ab intrinseco viventis: ergo mea actio, seu intellectio alteri intellectui vnita non constitueret illum intelligentem.

***
***

SEC.

SECTIO III.

Solvuntur obiectiones.

23 OBjicies 1. Div. Thomam, qui 1. part. quæst. 34. art. 1. ad 3. ait. *Intelligere solum importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur*: ergo ab intelligere excludit actionem. Et in 1. distinctione 27. q. 2. art. 2. *Vndè oportet, quod verbum, vel dicatur ipsa operatio intelligendi, vel species impressa, quæ est similitudo res intellectæ*: & concludit post pauca: *Vtrumque, enim, istorum est id, quo quis intelligit formalitèr*: ergo ponit intellectionem saltim indadæquate in qualitate. Tandem opusculo 48. tractatu de prædicamentis. cap. 1. de actione, docet: *Sentire, & intelligere* esse actiones immanentes: has, tamen, actiones, non esse de prædicamento actionis: ergo sentit, intelligere non esse actionem, physicam.

24 Respondeo. In primo loco, non negare D. Thomam originem speciei expressæ ab intellectu; sed originem ipsius rei intellectæ. Quod indè probatur; quia cum ibi dixisset, omnem dicentem producere verbum, & ideò Patrem Æternum producere verbum; quia dicit: addit, reliquas personas, licèt intelligentes, nihil producere, cum intelligunt; quia non dicunt. Vndè sensus est, intellectio, quæ est productio verbi, quod per ipsam dicitur, non est productio rei repræsentatæ per verbum; sed præcise productio repræsentationis formalis ipsius. In secundò loco dicit, verbum stare in operatione intelligendi, vel in specie: ergo à pertè distinguit speciem ab operatione intellectus. Vndè dū addit *vtrūque enim, est id, quo quis intelligit*, ne sibi in eodem loco contrarius sit, solum intendit, imposibile esse aliquem intelligere, qnin sit actio, qua producat speciem, & species producta, quod non est contra nos. In tertio loco explicandus est ita, vt in prædicamento actionis, solum ponat actiones physicas transeuntes: sic explicandum esse, constat; quia actionem intelligendi appertè docet, esse actionem physicam, vt patet exteſtimonijs allatis sect. 2. quæ explicationem non admittunt.

25 Objic. 2. Aristotelem lib. 3. de anima cap. 7. dicentem: *Intellectionem non esse actum imperfecti*, esset autem si staret in actione sola; quia ea posita, manèret intellectus in potentia ad species expressas. Deindè

Augustinum, sæpè dicentem, cognitonem esse verbum; sed verbum, ex Augustino, à nobis allato supra, identificatur cum specie: ergo, & intellectio. Respondeo Aristotelem, ideò dicere, intelligere non esse actum imperfecti; quia supponit compositum, dum intelligit, esse completum in suo esse, & non in potentia ad formam substantialem: actus autem, qui apud Aristotelem, dicitur imperfecti, est actus disponens ad formam substantialem, sic explicat ipsum D. Thomas. Deinde posita actione intellectus non est in potentia ad speciem; sed in actu: quia species est terminus illius actionis, & agentis, quatenus talis. D. Augustinus pro nobis est, vt constat ex dictis locis apductis; in obiectione non loquitur de cognitione formali, sed de eius termino, quem aliquando vocat nomine actionis. Id probat P. Alphõsus, ex ipso Magno Parente lib. 15. de Trinitate.

26 Objic. 3. Intellectio ex suo conceptu, dicit formalitèr esse imaginem, & repræsentationem obiecti: item forma est, quæ intellectui repræsentat obiectum, & formalis conformitas intellectus cum obiecto: sed hæc omnia prædicata soli speciei conveniunt: ergo sola species est intellectio. Confirmatur *Primò*. Intellectio est præsentia intentionalis obiecti; sed præsentia intentionalis obiecti adæquatè distinguitur ab actione intellectus; sicut præsentia physica ab actione mobilis: ergo intellectio adæquatè distinguitur ab actione, & consistit in specie. *Secundò*. Quia intellectio est vita intentionalis in actu secundo, & hæc ab actione distinguitur: quia vita in actu secundo est forma repræsentans formalitèr, quæ in imagine producta, ab actione consistit; sicut in ea consistit forma, qua pictor alijs obiectum repræsentat. *Tertio*: eo intelligit intellectus formalitèr, quo fit expresse similis obiecto; sed fit expressè similis obiecto per speciem solam, quæ similitudo est formalis obiecti: ergo sola specie intelligit intellectus.

27 Nego maiorem argumenti: Quia intellectio ex dictis, est productio imaginis repræsentationis formalis, præsentiæ intentionalis, & formæ formalitèr repræsentantis. Vndè constat ad *primam* confirmationem. Ad secundam vita intentionalis in actu secundo, non est forma repræsentans formalitèr; sed actio ipsius productiva: sicut vita nutritiva in actu secundò, non stat formalitèr in forma augente vivens substantiale; sed in actione productiva ipsius; & calefactio in actu secundo, non est forma formalitèr calefaciens;

ciens; sed actio producens eam formam. Ad *tertiam*, distinguo maiorem: quo fit expressè similis activè & à se, concedo: quo fit expressè similis formalitèr, & non à se, nego maiorem: & distinguo minorem: fit expressè similis activè, à se, nego; formalitèr transeat minor: & nego consequentiam. Quia intelligere formalitèr sumptum, est, intellectum sibi facere præsens obiectum ab intrinseco; quod formalitèr dicit actionem productivam eius præsentiæ, & vnionis; & nihil aliud.

28 Objic. 4. Actio non exprimit formalitèr obiectum: sed intellectio exprimit formalitèr obiectum: ergo actio non est intellectio. Confirmatur: intellectio denominat obiectum immediatè cognitum: sed actio non denominat obiectum immediatè cognitum: siquidem non atingit immediatè obiectum, sed speciem, aut vnionem speciei, quam producit: ergo intellectio non est actio. Ad argumentum nego maiorem: sicut, enim, nutritio non auget formalitèr, sed activè; & calefactio non calefacit formalitèr, ita intellectio solùm activè exprimit obiectum, quatenus est productio formæ exprimentis formalitèr. Ad confirmationem distinguo maiorem: formalitèr, nego: activè, seu determinativè, concedo maiorem: & distinguo minorem: formalitèr, concedo, activè, nego minorem, & consequentiam. Vel aliter: concessa maiori, nego minorem. Quia intellectionem denominare obiectum immediatè cognitum, est intellectionem esse determinationem essentialem, & immediatam, vt obiectum exprimatur in actu secundò, quod præstat immediatè, ponendo ipsam expressionem obiecti: sic calefactio denominat subiectum immdiatè calefactum; & nutritio vivens essentialitèr maius; quia sunt determinationes essantiales, vt existant, tum calor formalitèr calefaciens, tum augmentum substantiale formalitèr morans præcedens subiectum substantialitèr vivens.

26 Objicies 5. Intellectio intenditur ab intellectu propter ipsam, vt præcipuus ipsius finis; sed actio non intenditur ab intellectu propter ipsam; sed propter speciem: ergo actio non est intellectio. Vrgetur. Intellectiones dicuntur species distinctæ propter diversum modum tendendi; sed diversus modus tendendi non reperitur in actione; sed in specie, quæ est expresio formalis: ergo intellectio non stat in actione; sed in specie. Nego maiorem argumenti, quæ non probatur: potius falsitas ipsius ex eo constat; quia præcipuus finis

finis potentiæ nutritivæ, non est nutritio, quæ, apud Adversarios, in actione consistit: sed argumentum substantiale per nutritionem productum: item præcipuus finis potentiæ calefactivæ; non est calefactio; sed terminus calefactivus, nempè, calor, Ad sensationem, maior est vera; quia sæpè terminum intellectionis, intellectionem nominamus, vt monui ex Augustino supra: at in rigore loquendo, formalitèr sumptæ intellectiones non habent diversum modum tendendi, sed productiones sunt specierum, quæ sic, vel aliter obiectum repræsentant.

36 Objicies 6. Intellectio non dicit formalitèr actionem, ex conceptu intellectionis; quia Deus verè intelligit absque actione. Deindè non requiritur actio expredicato intellectionis vitalis: nam intellectio Divina vitalis est absque vlla vera actione; sed hæc, & non alia prædicata in intellectione reperiuntur: ergo intellectio, ex conceptu intellectionis, ex nullo prædicato actionem requirit formalitèr. Respondeo. Intellectionem creatam, de qua hic est sermo, petere actionem ex hoc conceptu: *Intellectio vitalis creata*: quia creatura nequit per intellectionem verè, quin ab intrinseco se moveat, item quin ab intrinseco aliquid agat in intelligibile, quippè est, creaturam vivere intelligendo, si potest intelligere mortuo modo, & minimè se habendo præcisè, quia aliundè accipiat speciem. Neque à Divinis potest summi paritas: quia Deus propter suam summam simplicitatem, per se ipsum vivit formalitèr; ac per consequens per se ipsum intelligit. Vndè insto argumentum: in Deo, neque ex prædicato intellectionis, neque ex vitalitate, requiritur in intellectione species ab ipso Deo distincta: ergo neque ex prædicato intellectionis, neque ex vitalitate requirit speciem ab intelligente distinctam. Ecce tuum argumentum, quod à se alitèr non potest solvi, quam recurrendo ad summam simplicitatem, & perfectionem Divinæ vitæ, & imperfectionem creatæ.

31 Ad calcem nota. Actionem producentem speciem esse intellectionem; quia est productio speciei; non tamen esse intellectionem speciei, quam producit; sed obiecti, quod repræsentatur formalitèr per speciē. Vndè actio illa speciei tribuit denominationem productæ, & obiecto denominationem re-

præ-

præsentati obiecto tribuit denominationem loquuti passivè, & verbo denominationem producti per loquutionem. Sic pictor picturæ tribuit denominationem productæ, & obiecto denominationem repræsentati. Sic calefactio calori tribuit denominationem producti in subiecto, & subiecto denominationem calidi.

SECTIO IV.

De Verbo mentis.

32 VErbum, aliud est vocale, scilicèt: *vox imperata à subiecto rationali, ad significandum conceptum mentis.* Aliud mentale, scilicèt: *forma, qua intellectus sibi exprimit obiectum.* Vtrumquè definitur sic: manifestatio obiecti per *loquutionem producta.* Vbi adverte: *Primò*: Verbum non esse quamlibet vocem; sed eam, quæ à potentia rationali imperatur ex intione significandi. Vndè voces brutorum verba non sunt. *Secundò*: Verbum vocale esse manifestationem obiecti extrinsecè, ex pura hominum impositione: mentale autem non ita; sed natura sua habet manifestare, & repræsentare obiectum, quod repræsentat. *Tertiò*, loquutionem realitèr distingui à Verbo. Quia loquutio est productio verbi: sed productio verbi realitèr distinguitur à verbo: ergo, & loquutio. Minor constat ex dictis sect. 2. & maior ex definitione verbi.

33 Dices. Ergo quod dicimus, quando loquimur non est obiectum; sed verbum. Probatur consequentia. Dictio, & productio verbi, apud nos, idem sunt; sed quod producitur per loquutionem est verbum: ergo quod dicitur per loquutionem est verbum. Respondeo 1. negando primam consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: dictio obiecti, & productio verbi sunt idem, concedo: dictio verbi, & productio verbi, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Respondeo 2. Admittendo primam consequentiam, quæ non est absurda. Tùm quia in divinis Pater producendo verbum dicit ipsum verbum, & omnia, quæ in verbo repræsentantur. Tùm quia iuxta communem modum dicendi, affirmamus dixisse nos, verba bona, iucunda, &c. Sed quia præcipuè intendimus alijs manifestare obiecta verborum, quam verba, & hæc assumimus, vt media adhunc finem, frequentius, & proprius dicimus nos, dum loquimur, dicere res ipsas; non verba.

34 Ex his inferes *primò*. Verbum mentis nihil aliud esse, quam speciem expressam. Quia verbum est manifestatio obiecti producta per loqutionem mentalem; sed manifestatio obiecti producta per loquutionem mentalem, est species expressa: ergo, & verbum. Minor probatur. Quia in primis species expressa est manifestatio obiecti, vt inficiatur nullus. Deindè est producta per loquutionem mentalem; quia est producta per intellectionem, quæ loquutio intentionalis est: ergo species expressa est manifestatio obiecti producta per loquutionem mentalem. Vnde inferes *secundò*. iuxta secundam conclusionem positam num. 21. realitèr non distingui loquutionem, & intellectionem formalem. Nam loquutio stat in actione productiva speciei, & vnionis speciei cum intellectu at in tali actione, ex ibi dictis, stat intellectio: ergo intellectio, & loquutio idem sunt.

35 Solet hic quæri. Vtrùm intellectus cognoscat obiectum, quod repræsentatur per verbum in ipso verbo, tanquam in obiecto prius cognito? affirmant aliqui Thomistæ; & negant communitèr Philosophi, & Theologi apud P. Izquierdo disp. 2. quæst. 2. Sententia negativa vera est. *Primò*. Quia si cognosceremus obiecta in verbo, tanquam in obiecto prius cognito, experiremur, cognoscere verba; sicut experimur obiecta cognoscere: sed hoc non experimur, potius experientia suadet non esse talem experientiam: ergo non semper ac cognoscimus obiecta, cognoscimus ipsa in verbo. *Secundò*. Quia quando aliquid in medio cognoscimus, & innotescit intellectui medium, & cognoscit intellectus medium clarius, quam illud aliud obiectum, vt experientia constat: sed dum cognoscimus obiectum, clarius notescit intellectui obiectum quam verbum, vt etiam constat experientia: ergo non cognoscimus obiectum in verbo, tanquam in medio prius cognito.

36 *Tertiò* ideò prius cognosceremus verbum, quia sæpè obiectum est distans, & repræsentatur per verbum intellectui non potenti ferri in obiectum non præsens: sed hoc nullius est momenti. Quia, vel obiectum debet esse præsens physicè? Et sic neque in verbo illud cognosceremus; quia si intellectus non potest ferri in distans, cur poterit verbum? Vel debet esse præsens intentionalitèr? Et sic cum intellectus sua actione producat in se præsentiam intentionalem obiecti, per ipsam formalitèr tendit intellectus in obiectum physicè non præsens, & per ipsam

ipsam formaliter tendit intellectus in obiectum physicè non præsens, & per ipsam repræsentatum intentionaliter. Vide alios rationes apud Patrem Izquierdo.

DISPVTATIO. III.

De triplici operatione intellectus.

INtellectio creata dividitur communitèr in apprehensionem, iudicium, & discursum, de quorum natura in hac disputatione agendum est. Cæterum supponere debemus, ex summulis divisionem iudicij in absolutum, hypoteticum, & species huius: item divisionem discursus in varias ipsius species. Eaque divisione supposita naturam horum actuum, & eorum inter se distinctionem investigare.

SECT. I.

De apprehensione simplici.

1 PRima intellectus operatio immediatè subsequens operationem phantasiæ, vel orta ab specie impressa spirituali produc ta a phantasmate, & intellectu agente *apprehensio simplex* nominatur. Dicitur apprehensio; quia per ipsam intellectus, quasi apprehendit, & vnit sibi intentionaliter obiectum. Dicitur *simplex*; quia intellectui ita purè per ipsam proponitur obiectum, vt de eo nihil sibi affirmet, vel neget. Ideò definitur sic: *Spiritualis repræsentatio obiecti nihil de eo affirmans, vel negans.* Qua definitione à iudicio secernitur, quod communitèr definitur: *Spiritualis repræsentatio obiecti determinatè affirmans aliquid de illo, aut negans.* Apprehensio, alia est omninò simplex, alia composita. *Prima*, quæ repræsentat vnicum terminum, vt vnicum: talis est hæc *albedo*. *Secunda*, quæ duplex obiectum repræsentat absque affirmatione, & negatione, talis est hæc. *Petrus, Ioannes*: diciturque composita; quia licèt sit vnicus actus, in munere repræsentandi æquivalet duplici actui, quo illud obiectum, prò vt illis nominibus significatum, potest cognoscit. Solet etiam, apprehensio composita vocari coniunctum ex duplici apprehensione simplici.

2 Rursus apprehensio obiecti, alia est evidens, alia inevidens: evidens est, quæ ita intellectui repræsentat suum obiectum, vt cum claritate talis repræsentationis, nequeat intellectus de tali obiecto dubitare, saltim circa illud prædicatum, quod per apprehensionem proponitur. In evidens, quæ secum pati-

citur, intellectum de obiecto dubitare, aut formidare. Rursus apprehensio, alia est suasiva obiecti, alia non suasiva. Suasiva est, quæ sufficientèr intellectum movet ad assensum sui obiecti, sine evidentem, sivè probabilem, iuxta claritatem ipsius. Non suasiva est, quæ non movet sufficientèr intellectum ad assensum ideòque intellectus, nisi aliundè maiorem lucem accipiat, vi illius præcisè nihil poterit de obiecto iudicare. Cæterùm cum altera sua deat assensum, & altera non quia altera diverso modo proponit obiectum quam alia, & hic diversus modus proponendi consistat in maiori, & in minori claritate ipsis apprehensionibus intrinseca, totum discrimen suasivæ à non suasiva reducendum est ad diversum modum tendendi vtriusque.

3. Circa apprehensionem non nullæ sunt difficultates. *Prima.* An apprehensio, & iudicium habeant idem obiectum? Circa quam, respondeo: quoties intellectus ad iudicium habendum indiget apprehensione prævia de quo sectione 2. §. 1. quidquid per iudicium cognoscitur iudicativè simplicitèr cognoscitur per apprehensionem Et ratio est. Quia intellectus in eo casu non potest iudicativè tendere in obiectum, quin ipsi præcedat applicatum per apprehensionē: ergo per apprehensionem debet ipsi applicari, quidquid iudicandum est ergo, & per apprehensionem debet cognosci. Hinc præcipere ad iudicium debet apprehensio subiecti, & prædicati. Sed rogas: an etiam possit præcedere apprehensio copulæ, seu identitatis extremorum? Respondeo affirmativè, quia quandò audio hanc propositionem: *Deus non est creatura* cognosco id, quod per ipsam enunciatur: ergo cognosco identitatem Dei cum creatura, quam ea propositio negat, & de qua enunciat, non existere; sed eam identitatem non iudico, cum primò audio propositionem: quia non affirmativè, vt patet: non nagativè; quia antequam intellectus ferat sententiam negando talem identitatem, necesse est, quod illi proponatur, per apprehensionem non existentia, aut impossibilitas illius: ergo dum primò audio illam propositionem, eam identitatem simplicitèr, apprehendo. Hinc: iudicium, & apprehensio formalitèr exprimunt identitatem alitèr, & alitèr: iudicium, ipsam exprimit, affirmativè, ipsi adhærendo, vel negativè recedendo ab ipsa: apprehensio, verò sine adhæsione, aut aversione, accessu, vel recessu.

4 Vndè etiam fit, quod licèt apprehensio co-

copulæ; apprehendat etiam extrema; quia vnio, vt talis, sine extremis nequit attingi vlla cognitione; attamen illa apprehensio vnionis, & identitatis extremorum, neque identificat intentionalitèr, neque mentalitèr vnit extrema; quia illa solum cognitio dicitur, identificare, & vnire mentalitèr extrema, quæ tali modo fertur in ipsa, vt sententiam ferat, affirmando, aut negando, seu quod idem est componendo aut dividendo; sed apprehensio non sic fertur in identitatem extremorum; ergo neque vnit, neque ea identificat intentionalitèr. Fit tandem. Quomodo intelligendus sit Aristoteles quando dicit: *apprehensionem esse simplicium*: ex quo deduci videtur apprehensionem non esse vnionis, aut compositionis. Dicendum ergo est. *Primo.* Non loquutum fuisse de omni apprehensione; sed de apprehensione terminorum simplicium, seorsim cognitorum. *Secundo.* Apprehensio ipsa copulæ vocari potest simplicium apprehensio, quatenus intellectus cum ea non manet determinatus ad iudicium de tali identitate.

5 Secunda difficultas est. An in idem actum possit esse apprehensio, & iudicium? Respondeo: Non potest esse respectu eiusdē obiecti. Quia nequit idem actus affirmare existentiam obiecti, & simul non affirmare existentiam obiecti eiusdem; sed apprehensio existentiæ ipsam non affirmant, & ipsam affirmant iudicium: ergo idem actus nequit esse iudicium, & apprehensio respectu eiusdem obiecti. Potest autem sic esse respectu diversorum obiectorum. Quia nulla est difficultas in eo, quod idem actus de vno obiecto affirmet existere, & idem non affirmet de alio obiecto, quod repræsentat: quod videtur in hoc actu: *equus Petri currit*, qui iudicat currere equum; non vero iudicat cursum de Petro, quem exprimit.

6 Tertia difficultas est. Vtrum Deus, & Angelus cognoscant simplicitèr apprehendendo? Dico 1. Deus non sic cognoscit. Probatur. Cognitio, quæ in vi sui modi tendendi nequit de obiecto iustam æstimationem facere imperfecta est; sed talis est cognitio apprehensiva, quæ vi sui modi tendendi non certificat intellectum de bonitate, & prędicatis obiecti: ergo imperfecta est, & Deo indigna. Dico 2. Angelus plura obiecta apprehensivè cognoscit videlicèt ea, quæ non attingit per proprias species, vt sunt futura secreta cordium, & alia, de quibus dubitat, & solum coniecturalitèr, illa attingit. Cæterum obiec-

obiecta omnia naturalia; de quibus habet proprias species, purè iudicativè cognoscit. Et ratio est. Quia per species proprias intellectui Angeli proponuntur evidentèr, vt nihil possit impedire iudicium: ergo positis in Angelo speciebus proprijs obiectorum naturalium, ea iudicativè cognoscet.

SECTIO II.

De Iuditio.

Plura de iuditio solent disputari, quæ claritatis gratia in aliquos §§. dividemus.

§. I.

An ante omne iudicium præcedat apprehensio obiecti iudicandi?

7 Communis sententia, quam aliqui RR. sequuntur, affirmat de omni iudicio humano. Alij, cum Patre Alphonso, affirmant de primo iudicio, quo iudicatur res, negant verò de iudicio secundo, quod ex specie relicta à primo, movet intellectum ad iterum iudicandum idem obiectum. Dico 1. Ad plura iudicia pro hoc statu elicienda, prærequiritur apprehensio obiecti iudicandi. Probatur. Sæpè nequit intellectus ferre iudicium de obiecto ex præcisa apprehensione terminorum, nisi accedat voluntatis imperium: vt patet quando cum formidine falsitatis alicui obiecto præbemus assensum: sed voluntas, vtpotè potentia cæca, nequit imperare assensum obiecti, quod non cognoscit: ergo ante imperium cognoscit obiectum assensus, quem imperat; sed ea cognitio non est iudicium, vtpotè præcedens ad primum iudicium, & ad imperium vi cuius; tale iudicium existit: ergo est apprehensio, ac proinde ad plura obiecta iudicanda apprehensio prævia acquiritur.

8 Dico 2. Ad plura alia iudicia apprehensionis præcedentia non requiritur. Probatur plura sunt obiecta evidentia ex apprehensione terminorum, ver. grat. *Quodlibet est, vel non est. Totum est maius sua parte*: sed ad assensum obiecti evidentèr propositi non prærequiritur apprehensio simplex illius: ergo ad plura iudicia non est necessaria apprehensionis præcedentia. Probatur minor. Ad assensum obiecti evidentèr propositi non requiritur imperium voluntatis; sed vbi non requiritur imperium voluntatis ad assensum, non requiritur simplex apprehensio præ-

prævia: ergo ad assensum. obiecti evidentèr propositi non requiritur apprehensio simplex. Confirmatur. Ideò, iuxta communem sententiam, Angelus absque apprehensione prævia iudicat obiecta naturalia: quia species evidentes habet eorum obiectorum: ergo neque intellectus humanus eget apprehensione prævia ad iudicanda obiecta evidentèr proposita. Dico 3. Posse intellectum absque prævia apprehensione iudicare secundò obiectum iam iudicatum antea. Quia cum suum iudicium relinquat speciem sui, & sui obiecti in intellectu, illaque species iuvet intellectum ad actum similem ei, à quo ipso generatur: hoc ipso, quod illa species excitetur, & sit obiecti iam intellectui noti poterit intellectus tali specie adiutus immediatè in iudicium prorrumpere, quin medicet apprehensio: ergo ad secundum iudicium obiecti iam iudicati non prærequiritur apprehensio.

9 Objicies 1. Nequit intellectus pro hoc statu cognoscere, nisi præcedat phantasma: sed hoc nequit immediatè procedere ad iudicium: ergo præcedet apprehensio. Minor probatur. *Primo.* Quia phantasma est operatio apprehensiva, ideòque diversi ordinis à iudicio. *Secundo.* Quia est materiale, & imperfectius iudicio. Nego minorem. Probationes non vrgent. Non *Prima.* Quia alias neque apprehensio posset præcedere ad iudicium; quia est cognitio apprehensiva. Non *secundo.* Quia alias phantasma materiale non posset concurrere immediatè ad apprehensionem spiritualem. Et confirmatur solutio. Quia apprehensio spiritualis potest immediatè præcedere ad amorem efficacem, licèt sit diversi ordinis ab amore: ergo phantasma materiale ad cognitionem spiritualem, licèt etiam sit diversi ordini; ab illo.

10 Objicies 2. Nequit dari amor sine cognitione: ergo neque iudicium sine apprehensione 3. Non potest dari discursus, quin præcedat iudicium aliquod: ergo neque iudicium, quin præcedat apprehensio 4. Quando audio has voces: *Totum est maius sua parte*, antequam intellectus iudicet earum obiectum apprehendit ipsum, vel ad minus ipsas voces: ergo ad iudicium præcedit apprehensio. Probatur antecedens: quia illæ voces sunt signum obiecti, & de ratione signi, iuxta D. Augustinum, est, quod prius cognoscatur, quam obiectum.

11 Ad secundum nego consequentiam: quia voluntas, vtpotè cæca, nequit amare, quod non cog-

R nosc-

noscit: Intellectus, autem ad iudicandum solum indiget speciè obiecti, potentis movere: vt patet in ipsa apprehensione immediatè derivata ab specie: ideò quando species sufficientèr proponit obiectum ad iudicium, apprehensio non est necessaria. Ad tertium, nego consequentiam. Disparitas est. Quia discursus est actio intellectus essentialitèr dimanans à præmissis, vt dicetur sect. 3. Ideò quin præcedant præmissę, implicat existere: at non probatur argumento facto, iudicium stare in actione procedente ab apprehensione, & non à sola specie obiecti iudicandi. Ad quartum nego antecedens. Ad productionem fateor vozes esse signum obiecti: Cæterum de ratione signi tantum est, quod prius, quam obiectum iudicetur, percipiatur per sensus, ideò definitur: *quod se ipsum sensui, & præter se aliud intellectus manifestat.*

12 Iudicium sivè procedat ex apprehensione obiecti iudicandi, sivè ex sola specie obiecti, aliud est evidens ex apprehensione ipsa, vel propositione obiecti, aliud non ita Primum accidit, quando per speciem, vel apprehensionem ita proponitur obiectum, vt intellectus nihil aliud extra se requirat ad concipiendum iudicium evidens. Secundum accidit, quando ita per speciem, aut apprehensionem proponitur, vt adhuc intellectus hæreat dubius, impotensque prudentèr determinari ad assensum, nisi alia extrinseca adiungantur suadentia ipsum obiectum.

§. II.

Vtrùm iudicium sit actus simplex vel compositus?

13 PRima sententia docet, iudicium esse compositum vel ex triplici apprehensione, alia subiecti, alia prædicati, & alia copulæ, vel ex duplici: alia, qua subiectum apprehenditur, vt conveniens prædicato: alia, qua prædicatum, vt conveniens subiecto. Ita Thomistæ communitèr, & Aliqui ex nostris, quos, saltim pro quæstione de possibili, sequitur P. Linze Lib.7. Metaph. tract. 1. Secunda sententia docet, iudicium esse actum omnino simplicem, nullo modo ex apprehensionibus compositum. Ita ferè omnes AA. nostri; sed expressius alijs P. Molina 1. part. quæst. 1. art. 3. P. Ruiz tom. de Scientia Dei disp. 33. sect. 1. PP. Conimbr. Arriaga, Oviedo, Hurtado, Alphonsus disp. 14. sect. 3. & Aliqui ex extraneis, sententia hæc est vera. Ideoque.

14 Conclusio sit. Iudicium est actus omninò sim-

simplex, carensque omni compositione partium. Probatur primo. Iudicium est actus ex suo modo tendendi determinatè affirmans, vel negans aliquid de obiecto, vt sectione 1. diximus, & nullus dubitat. Sed actus cum hoc modo tendendi non identificatur cum apprehensionibus subiecti, prædicati, & copulæ seorsim, aut simul sumptis: ergo est qualitas omninò simplex. Patet consequentia; quia si non identificatur cum apprehensionibus, nihil aliud est constans partibus, cum quo identificetur. Antecedens probatur. In primis quoad primam partem. Non identificatur cum eis apprehensionibus seorsim sumptis; quia ex dictis, sæpè præcedit ante iudicium apprehensio subiecti, aut prædicati, aut copulæ, quin vlla earum apprehensionem sit iudicium: constatque ex eo, quod quando audio propositionem aliquam obscuram, vel dubiam, ac proinde dubito de illius veritate, cognosco subiectum, prædicatum, & copulam, & tamen nihil iudico. Probatur deindè antecedens quoad vtrãque partem. Quando audio hanc propositionem: *Astra sunt paria*, & iudicium suspendo, cognosco subiectum conveniens prædicato, & prædicatum conveniens subiecto; item prædicati, & subiecti identitatem: ergo iudicium neque consistit in apprehensione subiecti, & prædicati, vt mutuo convenientium, neque seorsim, neque simul; neque consistit in apprehensione copulæ seorsim sumpta ab apprehensionibus extremorum, neque sumpta simul cum ipsis: siquidem simul existentibus illis tribus apprehensionibus deficit iudicium, tàm de paritate, quam de imparitate Astrorum.

15 Vrgetur, & explicatur hæc ratio. Vel coniunctio triplicis apprehensionis, seu quod idem est, vel tres apprehensiones coniunctæ habent modum repræsentandi iudicativum, vel purè apprehensivum? Si secundum: nullatenùs illæ apprehensiones constituunt iudicium, vt constat. Sed primum est falsum: ergo iudicium non consistit in eo coniuncto apprehensionum. Probatur minor. Ex eo, quod illæ apprehensiones simul existant in intellectu, non immutatur modus repræsentandi ipsarum; sed modus repræsentandi ipsarũ est apprehensivus, non verò iudicativus: ergo, tres apprehensiones coniunctæ, non habent modum tendendi iudicativum. Probatur maior. Modus repræsentandi apprehensionum, vtpotè ipsis intrinsecus, non potest mutari, quin apprehen-

hensiones intrinsecè mutentur: sed ex eo, quod apprehensiones existant simul in intellectu, non mutantur intrinsecè: ergo ex eo, quod simul existant non mutatur modus repræsentandi ipsarum. Minor probatur. Nequeunt apprehensiones intrinsecè mutari per aliquid omninò ipsis extrinsecum: sed, quod simul, vel seorsim existant, est omninò ipsis extrinsecum, vt est evidens: ergo ex eo, quod simul existant nequeunt intrinsecè mutari.

16 Dices 1. Apprehensiones simul sumptas esse iudicium: quia habent specialem modum tendendi. Sed contra. Vel ille specialis modus tendendi est apprehensivus, vel iudicativus? Si apprehensivus; non constituit iudicium. Si iudicativus; hoc non potest esse; quia intrinsecè non mutantur, & modus iudicativus intrinsecus est cognitioni, quæ est iudicium: ergo, solutio insufficiens est. Dices 2. simul sumptas esse iudicium; quia physicè vniuntur inter se, vel apprehensione copulæ, vel alia vnione. Sed contra *Primò*. Vel ea vnio immutat intrinsecè modum repræsentandi ipsarum, vel non? Non primum, quia vnio duplicis extremi, non immutat extrema, quoad essentialia ipsis extremis: sed modus repræsentandi apprehensionum, est ipsis essentialis: ergo vnio non immutat eum modum repræsentandi. Si secundum: ergo ea vnio non conducit, vt apprehensiones constituant iudicium: nam ad hoc erat necessarium, quod vi vnionis amitterent modum tendendi apprehensivum, & iudicativum acquirerent, quod, vt fateris, fieri non potest.

17 Contra *secundò*. Vel ea vnio est repræsentatio distincta à repræsentatione apprehensionum, vel purus nexus apprehensionum? Si *primum*: ea vnio vt distincta ab apprehensionibus, quas nectit, erit iudicium, quo proindè stabit in simplici entitate vnionis. Si *secundum*, ille physicus nexus solum immutabit eas apprehensiones, quoad modum existendi physicè, non quoad modum tendendi intentionalitèr. Contra *tertio*. Quia iudicium negativum non stabit in ea vnione, iuxta sententiam contrariam, nam si mentalis coniunctio propria iudicij affirmativi, stat in apprehensionum vnione, mentalis divisio propria negativi stavit in apprehensionum separatione: ergo aliud assignandum est, in quo iudicium negativum consistat. Contra *quarto*. Quia gratis omninò fingitur physica vnio, qua apprehensiones extremorum, & copulæ vniantur.

Pro-

tom mu[illegible] Probatur ex conclusio, & simul impugnantur solutiones contrariæ. Apprehensio est modus repræsentandi imperfectior iudicio: ergo quantumvis apprehensiones multiplicentur, non poterunt constituere perfectiorem modum repræsentandi proprium iudicij, sivè physicè vniantur, sivè non. Probo consequentiam. Per replicationem tendentiæ intentionalis imperfectioris, non potest intellectus pervenire ad tendentiam intentionalem perfectiorem, nisi alius actus producatur, cum eo intrinseco modo tendendi: ergo licèt apprehensiones multiplicentur, non poterunt constituere perfectiorem modum repræsentandi proprium iudicij. Antecedens probatur. *Primo.* Per replicationem apprehensionum præcisse, non potest intellectus facere discursum, nisi producat alium actum, qui intrinsecè habeat oriri à prævijs iudicijs: etenim discursus non stat in præcisa coexistentia, aut physica vnione horum actuum: *omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal*; sed in tertio actu, qui sic tendat in obiectum conclusionis, vt intrinsecè habeat ipsi non assentire, nisi ex prævia luce præmissarum, seu priorum actuum: quod per ly, *ergo* denotatur.

12 Secundo. Hæc duo iudicia: *Petrus est homo, Petrus non est equus*: physicè vnita (demus physicè vniri) non alio modo repræsentant obiectum, nec perfectiori, ac si vnita non essent: ergo apprehensiones subiecti, & prædicati, imperfectius repræsentantes, quam iudicium, adhuc physicè vnita, non habent perfectiorem modum repræsentandi, modo apprehensivo. *Tertiò.* Plures amores ex modo tendendi inefficaces, non constituunt vnum efficacem amorem, etiam si physicè vniantur ergo plures apprehensiones, licèt physicè vniantur, non constituunt vnū iudicium. Patet consequentia. Ideò enim antecedens est verum; quia modus tendendi amoris inefficacis imperfectior est modo tendendi efficacis; & plures modi imperfectiores nō constituunt per sui vnionem physicam vnum modum tendendi perfectiorem.

20 Idem, quod diximus de iudicio categorematico, dicendum est de hypotetico, & disiunctivo. Etenim iudicium disiunctivum (idem dicito de alijs) non stat in coexistentia duplicis categorici; aut in illius vnione; sed in tertio actu ab illis adæquatè distincto, qui ex suo intrinseco modo tendendi disiunctivè affirmat, vel negat idem omninò obiectum, quod per iudicia categorica affirmatur, vel nega-

tur absolutè: ideòque iudicium disiunctivum stat in simplici entitate distincta adęquatè à iudicijs cathegoricis, & eorum vnione, quod probandum venit eadem ratione, qua probavimus, in simplici actu consistere iudicium absolutum, scilicèt, propter diversum modum tendendi, qui in iudicio disiunctivo reperitur in categoricis, neque in eorum physica vnione. Propter eandem rationem discursus stat in simplici entitate, nempè, in iudicio consequentis, quod ex suo modo tendendi habet, obiecto consequentis non assentire, nisi ex prævia cognitione præmissarum.

21 Objicies 1. Quando succesivè audio hanc propositionem vocalem: *Homo est animal*, prius apprehendo hominem, deindè copulam, deindè animal, & hoc præcise posito, iudico, hominem esse animal: ergo iudicium stat in ea triplici apprehensione. Nego antecedens, quoad secundam partem. Etenim non iudico, hominem esse animal, quousque habeam actum, qui ex suo modo tendendi assensum ferat de convenientia hominis, & animalis, & per quem intellectus accedat ei identitati. Si autem prolata voce significante copulam aliquid iudico, non iudico hominem esse animal; sed esse aliquid; & postea audita voce animal significante, iudicium habeo, quod affirmat hominem esse animal. Objicies 2. Hoc iudicium: *Homo est animal*, distinguit formalitèr hominem, & animal: sed actus indivisibilis nequit facere distinctionem formalem: ergo hoc iudicium non est actus indivisibilis. Forte actus indivisibilis potest constituere formalem distinctionem, de quo in Logica. Sed hoc omisso, nego maiorem. Quia distinctio formalis petit, ex comuni sententia, distinctionem conceptuum. Vndè iudicium hoc solum æquivalentèr ea extrema constituit distincta formalitèr videlicèt, quatenus in modo repræsentandi equivalet duplici apprehensioni, quarum altera hominem, altera animal exprimat.

22 Sed dices 1. si iudicium est actus indivisibilis, cur hominem constituit subiectum, & non animal? Respondeo: ideò esse, quia ex suo modo tendendi potius habet dicere animal de homine, quam hominem de animali. Dices 2. si indivisibilis est actus, cur iudicium affirmativum dicitur intentionalis compositio extremorum, & negativum intentionalis divisio? Respondeo, id provenire duplici ex capite. Primò, quia affirmativum affirmat identitatem extremorum, & nega-

tivum

vum eam negat; neque aliud intelligimis per hæc verba: *Iudicium affirmativum componit: negativum dividit*. Secundò; quia sæpè ante iudicium extrema præcesserunt formalitèr distincta per apprehensiones prævias, aut formalitèr identificata: & iudicium affirmativum intentionalitèr vnit extrema prius distincta; & negativum dividit intentionaliter extrema prius identificata. Non alitèr, ac Architectus componit dommum, dum vnit physicè lapides prius separatos, & eam dividit, dum separat lapides antea vnitos.

23. Objicies 3. Sic hi actus: *Equus Petri non est rationalis*; est indivisibilis; eodem modo repræsentat Petrum, ac equum: ergo negat rationalitatem de Petro, sicut eam negat de equo. Distinguo antecedens. Eodem modo, sensu significante repręsentationem vtriusque, concedo; sensu significante vtrumque constituere subiectum, nego antecedens, & consequentiam. Itaque illud iudicium æquè repræsentat æquum, ac Petrum, cæterum cum de solo equo neget rationalitatem, & nihil neget de Petro, equum, & non Petrum constituit, & denominat subiectum. Objicies 4. Eadem cognitio indivisibilis nequit repræsentare plura, vt plura; sed iudicium, saltim negativum, repręsentat plura, vt plura: ergo non est indivisibile. Insto argumentum in apprehensione copulæ, vt talis, per quam, iuxta Adversarios, etiam attinguntur extrema. Ideò nego antecedens propter dicta disputationibus superioribus. Dices vnica imago physica non repræsentat plura obiecta: ergo neque eadem imago intentionalis, aut cognitio. Est disparitas. Quia imago physica, vtpotè vnivoca, solumque repræsentans ratione figuræ exterioris, pura subiecta distinctæ figuræ, non potest repræsentare, nisi ipsa habeat distinctas figuras. Cæterùm imago intentionalis, vtpotè æquivoca, potest plura repræsentare intentionalitèr absque partium pluralitate.

§. III.

Vtrum iudicium affirmativum, & negativum differant ex obiecto?

24 IN hac quæstione, cuius resolutio maximè dependet ab alijs duabus de carentijs rerum, & de verificativo actus ne-

negativi. Variè opinantur AA. iuxta proprium vniuscuiusque sententiam. Nam alij, qui nobiscum iudicant non posse esse verificativum actus, quod non est eius obiectum, cum aliundè sentiant, carentiam rei positivæ esse verificativum actus negativi talis rei, consequentèr dicunt, actum negativum, & affirmativum, non ex solo modo tendendi; sed ex obiecto etiam differre: nam affirmativus habet pro obiecto existentiam; negativus verò, existētiam, & carentiam. Ita P. Carlet. d. 18. log. sect. 6. P. Oviedo controv. 12. P. Polizius disp. 50. Mataph. sect. 9. & plures RR. qui pro se citant P. Suarez disp. 54. Metaph. sect. 5. alij, autem. censent, actum affirmativum, & negativum omninò convenire in obiecto sed maximè differre in verificativo. Ita plures Thomistæ, & vnus, vel alter ex nostris. Alij, denique, sentiunt, actum affirmativum, & negativum, tàm in obiecto, quam in verificativo convenire, solumque differre ex modo tendendi. Hæc sententia, satis communis inter nostros magis placet, præcipuè cum nos non admittamus carentias obiectivas aperte rei existentes. Ideò.

25 Sit conclusio. Actus affirmativus, & negativus solum differunt ex modo tendendi, & non ex obiecto. Explicatur conclusio; loquendo de his iudicijs: *Petrus existit*: *Petrus non existit*. Iudicium affirmativum tendit in obiectum per modum accessus intentionalis, & adhæsionis ad ipsum, quia exprimendò iudicativè quod existat, ipsum quasi intentionalitèr ponit in rebus: iudicium verò negativum, tendit in obiectum per modum recessus, & fugæ intentionalis ab ipso, quia negando quod existat, existentiam obiecti intentionalitèr tollit à rebus. Dicimus ergo: iudicium affirmativum, & negativum, supra posita, non differre ex obiecto; sed vtrumque habere pro obiecto existentiam Petri; differre, autem, ex modo tendendi: quia affirmativum tendit in existentiam Petri accedendo intentionalitèr ad ipsam; & negativum tendit in eandem recedendo intentionalitèr ab ea.

26 Probatur conclusio 1. ex dictis disputatione de carentijs. Si iudicium negativum non haberet pro obiecto existentiam Petri, esset, quia haberet pro obiecto carentiam: sed nequit habere pro obiecto carentiam: ergo habet pro obiecto existentiam. Minor probatur. *Primo*; quia carentia, vtporè nihil, nequit esse obiectum alicuius actus. *Secundò*. Nam vel iudicium negativum habet pro obiecto carentiam accedendo ad ipsam?

fam? Et sic non erit negativum; sed affirmativum, vel ab ea recedendo? Et hic dic actus: *Petrus non existit*, quando Petrus non existit erit falsus, quia negaret, Petrum non existere, dum non existit. Ex quo fit 1. Iuxta notata eâ disputatione, hæc iudicia: carentia *Petri existit*: *Petri carentia deficit*; solum esse vera in sensu æquivalenti propositionibus negativis, scilicèt, his: *Petrus non existit*: *Petrus non deficit*. Fit 2. iudicium negativum non attingere carentiam identitatis cum subiecto, & prædicato: sed ipsam identitatem attactam iudicio affirmativo; attingere, inquam, identitatem modo recessivo explicato per ly *non*.

27 Probatur 2. conclusio. Iudicia supra posita opponuntur immediatè, & contradictoriè; sed non opponerentur si non haberent idem obiectum; ergo idem omninò obiectum habent. Probatur minor. Quia vt duæ propositiones contradictoriæ sint, debent esse *eiusdem de eodem*, vnaq; negare debet, quod altera affirmat: sed si in obiecto different, non essent *eiusdem de eodem*, vt per se patet: ergo non opponerentur contradictoriè si non haberent idem obiectum. Probatur 3. amor, & odium habēt idem obiectum, solumque differunt ex modo tendendi: ergo iudicium affirmativum, & negativum idem obiectum habent, solumque differunt ex modo tendendi. Antecedens est certum; & consequentia constat à paritate. Quia sicut amor, & odium se habent ad obiectum voluntatis; ita affirmatio, & negatio ad obiectum intellectus: vndè sicut tota differentia amoris, & odij in eo stat, quod amor ad abiectum tendit modo prosequutivo, & ad hæsivo, odium verò modo recessivo, & vt fuga ab ipso; ita iudicium affirmativum tendit in obiectum per modum accessus, & quasi prosequutionis intellectualis, & negativum per modum recessus, & fugæ intellectualis.

28 Objicies 1: Cognitio, quæcumque ea sit, trahit ad se intentionaltèr obiectum: sed hæc cognitio: *Petrus non existit*, si habet pro obiecto existentiam, non trahit ad se intentionalitèr obiectum; potius ab ea existentia recedit: ergo existentiam non habet pro obiecto. Respōdeo, proloquium illud: *cognitio trahit ad se intentionalitèr obiectum*, nihil aliud significat; quam cognitionem repræsentare formalitèr obiectum, sivè illud repræsentet modo accessivo, sive recessivo. Vndè concessa maiori, distinguo minorem: non trahit ad se intentionalitèr obiectum, illud repræsentandò, nego minorem: non trahit ad se intentionalitèr obiectum modo accessivo

ſivo intellectui, concedo minorem, & nego conſequentiam itaque repræſentat illud negando quod eſt illud, & ad ſe trahendo illud receſsivè.

29 Objic. 2. Si hoc iudicium: *Petrus eſt vel non eſt*, non terminatur ad carentiam Petri; ſed præciſsè ad exiſtentiam, idem iudicium erit acceſus, & receſus ab exiſtentia Petri; proindeque erit affirmatio, & negatio eius exiſtentiæ; ſed implicat idem iudicium affirmare id ipſum, quod negat: ergo terminatur ad carentiam, & exiſtentiam Petri Confirmatur in hoc iudicio de hypoteſi impoſsibili: *Si exiſteret alter Deus exiſteret, & non exiſteret*, quod ſi non terminatur ad carentiam alterius Dei, ſimul accedet, & recedet ab alterius Dei exiſtentia. Reſpondeo, illud iudicium eſſe ſimul acceſſum, & receſſum diſiunctivum exiſtentiæ Petri, quod non eſt impoſsibile, ſed poſsibile, ſtatque in ſpeciali modo tendendi illius actus. Sed pro æquivocatione tollenda. Adverte: aliud eſſe illud iudicium eſſe diſiunctivè acceſſum, & receſſum, hoc eſt, vel eſſe acceſſum, vel receſſum, & neutrum determinatè: aliud eſt, determinatè eſſe acceſſum, & receſſum diſiunctivum. Primum eſt impoſsibile; quia impoſsibile eſt iudicium, quod non ſit, vel affirmatio, vel negatio. Secundum eſt poſsibile; quia nihil eſt aliud, quam illud iudicium determinatè tendere in exiſtentiam ipſi aſſentiendo, & diſſentiendo non determinatè, ſed diſiunctivè.

30 Vndè hic actus: *Petrus eſt, vel non eſt* æquivalet duplici iudicio categorico coniuncto ſub diſiunctione: æquivalet inquam, quoad veritatem; quia idem eſt: *Petrus eſt, vel non eſt*, ac alterum horum iudiciorum *Petrus eſt: Petrus non eſt* eſſe verum, & vtrumque verificatur ab exiſtentia Petri, quæ ſecum identificat poſsibilitate exiſtendi, vel non exiſtendi, iuxta dicta de poſsibilitatem rerum. Ad confirmationem reſpondeo 1. iudicium aſſignatum determinatè eſſe acceſſum, & receſſum exiſtentiæ alterius Dei, ſub ea conditione impoſsibili: quia ſicut alter Deus ſub conditione ſuæ exiſtentiæ, ſua ipſa exiſtentia identificata, cum ſua negatione exiſteret, & non exiſteret ſimul, ita intellectus eodem indiviſibili actu eidem obiecto, ſub eadem conditione accedit, & recedit intentionalitèr ponendo, & auferendo ſimul eam exiſtentiam ſub conditione illa impoſsibili. Reſpondeo 2. ſi dicatur, vt poteſt probabilitèr dici carentiam alterius Dei identificari cum veri Dei exiſtentia, iudicium illud æquivalet huic

huic: *si existeret alter Deus existeret, & simul non existeret verus Deus.* Unde iudicium illud potest terminari ad carentiam alterius Dei. Neque inde paritas sumi potest ad alia iudicia negativa; quia non existentia aliarum rerum, quæ negantur per iudicia negativa, nihil positivum est. Sed prima solutio conformior est supra dictis, & nostris principijs.

§. IV.

Quodnam sit verificativum formale iudicij negativi.

31. SVppono 1. verificativum cuiuscumque actus, aliud esse illativum, & radicale; aliud immediatum, & formale. Primum consistit in quovis ente creato, aut increato essentialitèr connexo cum eo, quod obiectum repræsentatum ab actu, sit in se ipso, sicut actus repræsentat. Secundum est ipsiusmet se habere obiectum in se; sicut repræsentatur ab actu. Nam iuxta Aristotelem, & communem acceptionem Philosophorum: *ab eo, quod res est, vel non est, qua ratione per orationem dicitur, oratio est vera, vel falsa*: ergo verificativum immediatum, & formale actus, est obiectum in se esse; sicut ab actu dicitur; eiusque falsificativum est obiectum non se habere; sicut ab actu repræsantatur. De hoc secundò verificativo procedit quæstio præsens; & inquiritur, quænam sit illa forma, aut quasi forma, quæ actum negativum ver. grat. hunc: *Petrus non existit*, formalitèr, & immediatè verificat? Nam eius verificativum illativum, dubium non est, esse decretum Dei de non existentia Petri, revelationem Divinam id nobis notificantem, & actum Fidei Divinæ, quod id ipsum credere possumus, ac denique quodvis aliud metaphysicè connexum cum eo, quod Petrus deficiat.

32. Suppono 2. Verificativum obiectivum immediatum cuiusvis actus, debet esse obiectum repræsentatum ab ipso actu. Probatur facile. *Primò.* Nam verificativum cuiusvis actus est: *obiectum ipsius se habere, & in esse, sicut dicit actus*; sed hoc essentialitèr importat, quod per actum dicatur, & repræsentetur illud *se habere obiectum*, & illud *esse in se ipso*, per quod obiectum est formalitèr simile, & conforme actui: ergo verificativum cuiusvis actus debet esse obiectum dictum, & repręsentatũ ab actu. Nam ex terminis ipsis videtur notum, quod nulla lo-

sequutio interna, aut externa, nullus ne actus intellectus redditur verus ab eo, quod ipse non datur, & ab obiecto, quod non repræsentat. Nam quis dicat hunc actum: *Petrus currit* verificari formalitèr ab existentiâ Dei, aut ab alia entitate distincta à cursu Petri, quem repræsentat actus? Certè quamvis, omnia entia possibilia distincta à cursu Petri existant solo deficiente cursu Petri, actus ille erit falsus. Ex equo sic. Actus solum potest esse falsus per defectum sui verificativi: sed præcise deficiente obiecto repræsentato per actum, & si omnia alia possibilia existant, actus est falsus: ergo eius verificativum est obiectum repræsentatum ab actu. Ex his, & ex dictis §. præcedenti de omnimoda convenientia actus affirmativi, & negativi contradictorij in obiecto, patet iam verificativum huius actus negativi: *Petrus non existit* (idem dicito de quavis alio) esse Petrum negativè repræsentatum per hunc actum. *Quare*,

33 Sit nostra conclusio. Verificativum formale cuiusvis propositionis negativæ non est aliqua carentia obiecta. neque aliquid positivum creatum, aut increatum essentialitèr incomponibile cum existentia obiecti negati. Probatur. Verificativum formale cuiusvis propositionis est obiectum ipsius: sed habens eodem modo, & sensu, quo accipitur in propositione: sed obiectum propositionis negativæ non est carentia aliqua obiectiva, aut quodvis increatum essentialitèr incōponibile cum existentia obiecti negati: ergo nullum ex his est eius verificativum. Consequentia est legitima. Maior vltra dicta num. præcedenti, & in Physica quæstione de possibilitate, probabitur ex professo disputatione 6. sect. 4. Minor probata est §. antecedenti. Vndè.

34 Confirmatur probatio conclusionis. Iudicium affirmativum, & negativum non differunt ex obiecto: ergo non differunt in verificativo formali: sed verificativum formale propositionis affirmativæ est existentia affirmata: ergo nihil aliud est verificativum formale propositionis negativæ, nisi existentia negata. Eadem ratione probandum est, vtrumque iudicium non differre in falsificativo formali. Dixi semper falsificativum, & verificativum *formale*; quia quodvis positivum essentialitèr in componibile cum existentia obiecti negati, vel cum ea essentialitèr connexum est verificativum, aut falsificativum illativum propositionum; quia quodvis tale positivum connectitur cum eo, quod existentia obiecti non detur, vel cum

eo,

eo, quod dentur; quorum primum necessarium est ad veritatem iudicij negativi, & secundum ad eius falsitatem.

35 Itaque, existentia (idem dic de quovis alio obiecto) quæ existens in instanti. Verificat hunc actum: *Petrus existit in A*, eadem non existens in B. Verificat hunc actum; *Petrus non existit in B*. Nam ideo existens in A. Verificat primum actum, quia de ipsa dicit existere in *A*, & existit: sed dum non axistit in *B*. actus secundus dicit de ipsa non existere, & non existit: ergo ipsa non existens in *B*. Verificat actum secundum negativum. Rursus. Eadem existentia Petri existens in A. Verificat hunc actum: *Petrus existit in A*; & falsificat hunc: *Petrus non existit in A*. Prima pars est certa. Secunda probatur. Falsificari illum actum, nihil aliud est, quam non conformari obiectum cum ipso: patet, autem, non conformari cum ipso, si actus eum negat dum est.

36 Ex Eis fit, *Primo*. Existentiam Petri exercitam in *A*. Sumptam affirmativè per actum; ipsum verificare, & sumptam negativè ipsum falsificare; quia sumpta affirmativè est in se, qua ratione affirmatur per actum; secus si sumatur negativè: & eadem existentia non exercita, sed deficiens in *A*, sumpta affirmativè per actum ipsum falsificat, & ipsum verificat sumpta negativè: quia si sumitur negativè, est in se, qua ratione significatur per actum hoc est, non existit, & hoc ipsum dicit actus; secus si sumitur affirmativè: sic prædicata Petri non existentis sumpta conditionatè per hunc actum: *Petrus est possibilis*, ipsum verificant, & eadem prædicata sumpta absolutè per hunc actum: *Petrus existit* ipsum falsificat. Sic Apostoli sumpti copulativè per hunc actum: *omnes Apostoli sunt duodecim*, ipsum verificant, & sumpti distributivè, ipsum falsificant. Sic Deus sumptus disiunctivè per hunc actum; *Vel Deus existit, vel est lapis*, ipsum verificat, & sumptus copulativè per hunc actum: *Deus existit, & est lapis*, ipsum falsificat.

37 Fit *secundò*: Veritatem in propositionibus negativis, stare in complexo actus, & entitatis ne gatæ, sumptæ negativè per ipsum actum hoc est; propositionem negativam esse veram, est propositionem negativam negare Petro existentiam, & Petrum ea existentia esse negatum, hoc est, non existere, licèt non existere nihil sit: imò ideò propositio est vera, quia dum Petrus non est, dicit, Petrum non esse. Hinc fit *tertio*. Quando dicimus, pro-

positionem negativam esse veram, ly *esse* sumitur propriè, & per statum, quoad actum, & negativè, & alienativè quoad obiectum; æquivalet, enim, illa propositio huic: *Obiectum non existit, & existens est actus id dicens.* Sic dum dicimus: *propositio dicens: Petrus est mortuus vera est*, ly *est* summitur negativè quoad obiectum, & positivè quoad actum: nam idem est, ac dicere: Petrus, qui *fuit iam non est, & actus id dicit.* Fit *Quarto.* Quando dicimus: *obiectum non existens verificat: propositionem negativam*, hoc ipso actu summimus negativè obiectum, quia idem est, ac dicere: *obiectum non existit, & propositio id, & non aliud dicit.* Et hinc patet expedita via ad argumenta.

38 Objicies 1. Existere Petri verificat hanc propositionem: *Petrus existit*: sed existere Petri nequit verificare hanc propositionem: *Petrus non existit*; licet sit eius obiectum: ergo non est idem verificativum propositionis affirmativæ, & negativæ, licèt sit idem obiectum. Minor probatur. Existere Petri impedit veritatem propositionis negativę; siquidem dum existit Petrus est falsa; sed nequid verificare negativam, quod impedit eius veritatem: ergo. Confirmatur. Petrum existere, est obiectum huius propositionis: *Petrus non existit propriè*: sed Petrum existere propriè non verificat ipsum; sed potius ipsam falsificat: ergo obiectum propositionis negativæ non est eius verificativum. Ad argumētum, distinguo minorem. Existere Petri sumpti affirmativè, concedo; sumpti negativè, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem, distinguo minorem: sumpti affirmativè, concedo: sumpti negativè, nego minorem, & distinguo consequēs: sumptum ea ratione, qua impedit, concedo: ea ratione, qua nō impedit, nego consequentiam. Ad confirmationem, distinguo minorem sub his terminis datis. Constat solutio ex dictis. Nam existere Petri negativè sumptum conformatur actui neganti ipsum existere Petri, ac proinde ipsum verificat: existere autem Petri sumptum affirmativè impedit veritatem actus negativi, qui de Petro negat existere, quando existit.

39 Objic. 2. Hęc propositio: *Petrus non existit*, supponendo non existere modo, modo est vera: sed existentia Petri non datur modo: ergo non est eius verificativum. Confirmatur *Primò.* Hæc propositio *Petrus non existit*, æquivalet huic: *Petrus deficit*; & huic: *Petrus excluditur à rebus* Sed hæ requirunt ad sui veritatē aliquid modo existens, quod sit carentia, & exclusio Petri, quod vt pa-

patet, nequit esse Petri existentia: ergo hæc propositio: *Petrus non existit*, requirit aliquod verificativum modo existens distinctum ab existentia Petri. Cõfirmatur *secundo.* Hæc propositio: *Petrus non existit*, iudicat non existere Petrum: ergo vt sit vera requirit non existere Petrum: sed non existere Petrum est carentia Petri distincta à Petro: ergo vt sit vera requirit aliquid distinctum à Petro. sed quod requirit vt sit vera, est eius verificativum: ergo aliquid distinctum à Petro est eius verificativum.

40 Ad argumentum distinguo antecedens: est modo determinatè vera, ly *est* sumpto affirmativè quoad actum, & negativè quoad obiectũ, concedo: affirmativè quoad actum, & obiectum, nego antecedens, & distinguo consequẽs: sumpto ly *datur* in sensu, quo accipitur à verbo propositionis, scilicèt negativè, concedo: quia hoc nihil aliud est, quam verificativum non dari, quod si daretur, rederet propositionem falsam: sumpto ly *datur* in alio sensu, scilicèt affirmativè, nego cõsequentiam; & concessa minori subsumpta, nego consequentiam. Ad primam confirmationem, nego minorem; quia illæ propositiones, ex dictis disputatione citata de carentijs, purè negativæ sunt; ac per consequens idem verificativum habent, ac hæc: *Petrus non existit.*

41 Ad secundam confirmationem distinguo antecedens: indicat non existere Petrum, hoc est, affirmat non existentiam Petri, nego antecedens: hoc est negat Petro existentiam, concedo antecedens, & distinguo consequens requirit non existere Petrum hoc est requirit aliquid, quod sit *non existere Petrum*, nego: hoc est requirit ipsum Petrum non existere, subdistinguo: ly *requirit* sumpto positivè, & affirmativè, nego: sumpto negativè, concedo consequentiam. Est dicere. Propositio illa talis est ex suo modo tendendi, quod si Petrus existeret esset falsa, & hoc est, ipsam negativè requirere, Petrum non existere: non tamen talis est, vt ex suo modo tendendi petat dari aliquid, quod sit *non existere*, seu sit *non existentia Petri*, & hoc est non requirere positivè. Petrum non existere. Omitto alia argumenta, quæ ex dictis pro solutione horum, facilè possunt solvi.

§. V.

Vtrum iudicium sit æquivalenter iudicium sui ipsius?

42 Supppono 1. Iudiciũ intellectus rectè posse se ipsum iudicare, saltem sub ratione cõmuni. Prob. Hic actus *omnis cognitio est repræsentativa ob-*

obiecti, est possibilis; sed hic actus se ipsum iudicat: ergo possibile est iudicium se ipsum iudicans, saltem sub ratione communi. Probatur minor. Hic actus iudicat, omnem cognitionem esse repræsentationem obiecti; sed ipse est aliqua cognitio; ergo iudicat, se ipsum esse repræsentationem obiecti. Idem est in hoc actu: *Omne iudicium est accessus, vel recessus ab obiecto*: & similibus. Probatur vlterius. Quia in cognitione supra se reflectente, nulla invenitur repugnantia, vt solutione argumentorum constabit.

43 Sed obiicies *Primo*. Omnis cognitio creata causatur ab obiecto: sed nulla cognitio creata causari potest à se ipsa: ergo nulla potest cognoscere se ipsam. Obiicies *secundo*. Cognitio est relatio ad obiectum; sed nihil ad se ipsum refertur: ergo nihil à se ipso potest cognosci. Obiicies 3. obiectum est prius cognitione: ergo cum nulla cognitio sit prior se ipsa, nulla potest esse obiectum sui ipsius. Antecedens probatur: obiectum est independens à cognitione, & non è contra; *quia ideò hoc est cognitio, quia est obiectum*, non tamen *ideò est obiectum, quia est cognitio*.

Respondeo ad *primum* negando maiorem. Quia obiectum potest cognosci media specie infusa à solo Deo: item absque vlla specie, si Deus loco speciei concurrat cum intellectu, vt potest. Sed dices. Vnde excitatur intellectus, vt cognitionem habeat supra se reflectentem? Respondeo; vt intellectus cognitionem assignatam habeat, sufficienter determinatur ex speciebus cognitionum, quas experimur; cum, enim, videat singulas seorsim, quas attingit, repræsentare obiectum, rectè indè infert, omnes esse repræsentationes obiectiuas; cumque id nequeat dicere, quin ipse actus quo dicit, sit obiecti repræsentatio, actus, quo id dicit, se ipsum attingit.

44 Respondeo ad *secundum*, illud probare, nullam cognitionem habere posse se solam pro obiecto, quia nulla entitas refertur præcisè ad se ipsam: non tamen probare non posse se simul cum aliis cognoscere: quia dum sic cognoscit fertur in alia à se distincta. Ad *tertium*, nego antecedens in sensu vniversali: solum enim dicitur prius cognitione obiectum illud, quod ipsam causat quod proindè, strictè, & propriè cognoscitur, *quia est*; & est tunc independens à cognitione, quia illud denotat causalitatem obiecti in cognitionem sui, cum tamen cognitio nullam causalitatem in obiectum exerceat. Quando autem cognitio non causatur ab obiecto, non esset necessarium, hoc esse

se

se prius cognitione; adhuc quando obiectum à cognitione distinguitur, quia si obiectum per species à Deo infusas cognosceretur, hoc non esset prius cognitione, vt ex se patet.

45 Suppono 2. Implicat cognitio, quę solum sui ipsius sit cognitio, scilicèt, quæ hunc modum tendendi habeat, *ego sum cognitio.* Probatur. Hæc cognitio, si posibilis esset, solum esset repræsentatio ipsius repræsentationis: sed repræsentatio, quę solum sit ipsius repræsentationis implicat: ergo implicat cognitio, quæ vnicè sit cognitio sui ipsius. Minor probatur. Repræsentatio, quæ solum sit repræsentationis repræsentatio, est in explicabilis: si, enim, quæramus, quid sit ea repræsentatio? Respoderi solum potest, esse repræsentationem ipsam solum. Et si rursus inquiramus, quid repræsentet repręsentatio ipsa solum? Vnicè potest responderi, repræsentare ipsam repræsentationem. Et sic si vlterius procedamus: sed hoc est; eam repræsentationem esse in explicabilem, cum de ipsa solum posimus dicere, & scire quod sit ipsa: ergo in explicabilis est, ac proindè imposibilis. Confirmatur. Imposibilis est vnio, quæ se ipsam sibi vniat præcise, & actio, quæ ipsius solius sit actum: ergo & cognitio, quæ solum sui ipsius sit cognitio.

46 His positis. Dico. Quodlibet iudicium est iudicium sui ipsius, saltem æquivalentèr, hoc est, licèt non sic tendat formalitèr in se ipsum, & circa sic: *ego existo*; tamen ita tendit in obiectum, vt in genere causæ formalis intellectum reddat, scientem, non solú de obiecto; sed de existentia sui ipsius: Probatur 1. ratione, quę etiam probat de apprehensione, & de quolibet actu intellectus, desumiturque ex ipsa experientia, qua intellectui cognoscenti nihil certius est, quàm se cognoscere. Imposibile, enim, est intellectum cognoscentem dubitare de eo, quod ipse actualitèr exerceatur cognoscendo: ergo per quamlibet cognitionem non solum fit certus de obiecto; sed etiam de eo, quod cognoscit obiectum: imò certior sit de ipsa cognitione, quia huius experientiam habet, & quidem certam, & evidentem: ergo quælibet cognitio in genere causæ formalis se ipsam notificat intellectui, & quoad munus reddendi intellectum conscium, & securum de sui existentia æquivalet huic iudicio sic tendendi *ego existo.*

47 Probatur 2. de iudicijs. Omne iudicium, aut est de præsenti, aut præ-

præterito, aut futuro: patet: quia omne iudicium essentialitèr constat verbo significante tempus, & non aliud, quam præsens, præteritum, aut futurum: sed quodlibet ex his iudicijs, saltim æquivalentèr iudicat, se ipsum: ergo omne iudicium saltim æquivalentèr iudicat se ipsum. Probatur minor. Quodlibet ex his iudicijs æquivalentèr saltim iudicat duratione in qua primò concipitur, & existit: sed hanc nequit iudicare, quin æquivalentèr saltim iudicet se ipsum: ergo quovis ex iudicijs assignatis iudicat se ipsum. Maior probatur. Hoc iudicium de præsenti: *Petrus currit* iudicat indistantiam cursus, & durationis iudicijs: & hoc iudicium de præterito: *Petrus cucurrit*, significat distantiā cursus, & durationis iudicij: & hoc de futuro: *Petrus curret*, similitèr significat distantiam cursus Petri, & durationis iudicij: sed hæc nequeunt iudicare, quin iudicium præsenti iudicet, coëxistere durationem sui, & cursus, & alia de præterito, & futuro iudicent, existere durationem sui, & non existere in ea duratione cursum: ergo quodlibet ex eis suam propriam durationem, ac proinde saltim implicitè iudicat se existere.

48 Confirmatur. Hæc propositio: *Adamus existit*, est falsa modo: & hæc: *Adamus extitit*, modo vera est: sed prima, ideò est falsa, quia Adamus non existit, quando existit ipsa: ergo affirmat Adamum existere in duratione sui ipsius. Item secunda est vera, licèt quando ipsa est non existat obiectum. Item licèt affirmet existentiam Adami: ergo ideò est, quia non affirmat existentiam exerceri in duratione sui sed in duratione anteriori: sed implicat iudicare existere, aut non existere Adamum in duratione iudicij, quin saltim æquivalentèr, iudicetur duratio iudicij: ergo quodlibet eorum iudiciorum iudicat durationem in qua est. Ex quo prima minor argumenti ex num. 47. probatur. Quodlibet iudicium, æquivalentèr saltem, iudicat suam durationem: ergo quodlibet, saltem æquivalentèr, iudicat suam existentiam. Probatur consequentia: significatio durationis imprescindibilis est à significatione existentiæ: quippè nequit significare actuale exercitium alicuius rei absque ipsa re: ideòque explicitè significat durationem A. Petri exerceri, implicitè significat existere Petrum: ergo iudicium æquivalentèr affirmans durationem iudicij, æquivalentèr iudicat existentiam iudicij: sed, ex dictis, quodlibet iudicium æquivalen-

lenter saltem, iudicat suam durationem: ergo & suam existentiam.

49 Hinc colliges *primò*. Iudicia de præsenti, præterito, & futuro essentialiter differre ex modo tendendi; quia alterum, ex suo modo tendendi, petit obiectum ab ipso non distare temporaliter aliud existere temporaliter ante ipsum; aliud post ipsum existere. Colliges *secundò* iudicium de præsenti esse verum, si obiectum ab ipso non distet temporaliter; & falsum si distet: & iudicium de præterito esse falsum, si non distet; verum, autem, si distet; quod idem dicito de iudicio de futuro. Colliges *tertio*. Id tandem reducendum esse ad diversum modum tendendi iudiciorum; quia penes solum modum teudendi differunt, & conveniunt omninò in obiecto. Nam hoc iudicium: *Adamus præterijt*, quod æquivalet huic: *modò non existit Adamus; sed existit*, non attingit pro obiecto non existentiam Adami; sed solùm existentiam, quam attingit hoc: *existit Adamus*. Constat hoc ex §. 3. vbi diximus de obiecto iudicj affirmativi, & negativi.

* * *

SECTIO III.

De Discursu.

Plura de eo disputari hic solent ab AA. Nos autem, præcipuas difficultates attingemus, & claritatis gratia, eas in aliquos §§. divisas dabimus.

§. I.

Explicatur natura discursus.

50 Discursus definitur sic: *progressio, & cursus mentalis ex vno aut pluribus iudicijs ad aliud.* Hinc *primo*. Discursus subsequi debet non solum apprehensionem, sed etiam iudicium, & non qualecumque: non enim est discursus indicium, quo assentio: Ioannem modo vivere, quia genitus est ab ipso Petrus vivens modo, videlicet, quia hoc iudicium. *Ioannes genuit Petrum*, non inducit sufficienter intellectum ad iudicandum: *Ioannem generantem vivere modò*; quia tota veritas illius iudicij componitur, cum morte Ioannis. Est autem discursus hoc iudicium: *Petrus est animal*; quod intellectus concipit, inductus ex his: *Omnis homo est animal: Petrus est homo*: quia hoc iudi-

iudicia identificantia Petrum, & animal cum eodem medio rectè movent intellectum, vt assentiat identitatē eorum inter se: evidens quippè est intellectui, eadem esse inter se, quæ sunt eadem vni tertio.

51 Hinc *secundò*. Hoc entimema: *omnis homo est animal: ergo Petrus est animal*; erit discursus si iudicium consequentis iudicet Petrum esse hominem, secus alitèr. Ratio est: Quia si iudicium consequentis id non iudicat, nihil invenit intellectus connexum cum animali Petri, quo ad illud iudicandum moveatur: nam homo identificatus cum animali in antecedenti, sufficiens motivum non est ad affirmandum animal de Petro, nisi Petrus iudicetur identificatus cum homine: at si iudicium consequentis id iudicet, rectè deducitur consequens: quia tunc entimema propositum æquivalet huic: *omnis homo est animal: ergo Petrus; qui est homo, est animal.* Hinc tertiò. Quod formalitèr, & primario percipiat rationem discursus est syllogismus; quia præmissæ identificant extremitates cū medio, quo intellectui saltē implicitè proponunt identitatem earum inter se; quam identitatem intellectus, ductus ex præmissis rectè iudicabit in consequenti.

52 ... discursus alius dicitur obiectivus, alius formalis. Obiectivus sunt obiecta circa quæ discursus formalis, seu actus intellectus, qui vocatur discursus, versatur. Formalis est ipse actus intellectus progrediens ex præmissis ad assentiendū obiecto conclusionis. Vndè præmissæ aliæ sunt formales, scilicèt actus intellectus, ad conclusionē formalē moventes, aliæ obiectivæ, scilicèt, obiecta attacta per formales. Rursus discursus, alius est à priori, alius à posteriori. A priori, qui effectus existentiam iudicat ex iudicio causæ; à posteriori, qui existentiā causæ iudicat ex existentia effectus.

53 Rogas *primò*. An stet discursus in vnico actu? Respondeo: possibilis est actus vnicus, & indivisibilis, qui obiectū præmissarum, & conclusionis sic attingat: *Petrus est animal, quia est homo, & omnis homo est animal.* Hic autē actus esset discursus virtualis: patet; quia quoad munus assentiendi obiecto, æquivalet discursui formali. Cæterū non esset discursus formalis; quia non est transitus vnius iudicij in aliud. Rogas *secundò*. In quonam actu ex inclusis in syllogismo, seu ex inclusis in entimemate, consistat formalitèr discursus? Respondeo, consistere for-

formalitèr in conclusione formali. Probatur. Discursus formalis est progressio, transitus, & motio intellectus vnius actus in aliud: sed talis transitus, progressio, & motio stat formalitèr in conclusione formali: ergo & discursus. Probatur minor. Talis progressio stat formalitèr in actione, qua iudicium conclusionis oritur ex præmissis: non alitèr, ac progressio localis stat formalitèr in actione productiva præsentiæ succedentis localitèr ad præsentiam vnius loci: sed talis actio est conclusio formalis, iuxta nostram sententiam, identificantem intellectionem cum actione se ipsa procedente à suis principijs: ergo talis progressio, transitus, & motio stat formalitèr in conclusione formali.

54 Sed adverte, discursum stare formalitèr in conclusione formali, vt connotante præmissas essentialitèr. Est certum. Quia conclusio afficitur obiecto ex motione præmissarum, & actus, qui ex aliqua ratione obiectiva movetur, licèt ab ea distinguatur, eā essentialitèr connotat, si ex ea essentialitèr moveatur: ergo conclusio, quæ iuxta infra dicenda, essentialitèr movetur ex præmissis, essentialitèr connotat præmissas.

55 Rogas tertiò. An ad conclusionem formalem, positis præmissis, necessaria sit aliqua cognitio reflexa de bonitate illationis? Suppono illationem aliam esse obiectivam, aliam formalem: obiectiva est connexio obiecti antecedentis, cum obiecto consequentis. Formalis est ipsa intentionalis motio ad assensum conclusionis, proveniens ex assensu præmissarum. Quæritur ergo An vt intellectus essentiat obiecto necessarium sit, (vltra cognitiones directas præmissarum, directè cognoscentes,) reflexè cognoscere, vel obiectum antecedentis connecti, cum obiecto consequentis, vel intellectu rectè moveri ex præmissis ad consequens? Respondeo negativè. Et ratio est, quia, per te, vt ex præmissis, & cognitione reflexa de bonitate illationis inferatur conclusio, non requiritur alia secunda cognitio, quā intellectus cognoscat ex præmissis, & notitia reflexa, rectè inferri conclusionem: ergo vt ex præmissis, rectè inferatur conclusio, non requiritur cognitio reflexa de bonitate illationis. Antecedens est certum: alias in infinitum procederemus. Consequentia probatur: sicut illa cognitio reflexa, absque alia reflexa sui, potest movere intellectum ad conclusionem, ita, & præmissæ, vel assigna disparitatem.

56 Probatur 2. Vt valuntas ex intentione, quā,

habet finis moveatur ad electionem mediorum, non est necessaria cognitio reflexa exprimens intentionem rectè movere ad electionem; sed sufficit existere intentionem se ipsa moventem voluntatem: ergo vt intellectus ex præmissis, quas habet, moveatur ad assentiendum obiecto conclusionis, non est necessaria cognitio reflexa repræsentans, intellectum rectè moveri ex præmissis ad conclusionem? Sed sufficit existere præmissas se ipsis moventes intellectum ad illationem. Probatur 3. Per te præmissæ sufficienter movent intellectum, vt rectam iudicet illationem: ergo se ipsis sufficientes movent ad illationem, secluso quovis alio iudicio. Probatur consequentia. Quia propositio obiecti conclusionis sufficiens, vt intellectus illam cognitionem reflexam concipiat, sufficiet, vt immediatè in conclusionem, & illationem prorrumpat.

57 Objicies 1. Vox *ergo* aliquid distinctum significat ab obiecto conclusionis; sed nihil aliud, quam cognitionem de bonitate illationis: ergo illa cognitio reflexa intercedere debet inter præmissas, & formalem conclusionem. Nego minorem: significat, enim, illa vox ipsam illationem mentalem, hoc est assensum conclusionis deductum ex præmissis. Vbi observandum est nos non negare dari sępè talem cognitionem de bonitate illationis; sed dicimus, neque necessariam esse, vt existat illatio: quia præmissæ proponentes identitatem extremorum cum medio virtualitèr exprimunt intellectui identitatem eorum inter se, cui identitati conclusio assentitur: neque vlterius per ly *ergò* significari, quod ea cognitio detur, adhuc quando datur. Illa ergo cognitio quando datur, existit post conclusionem formalem. Nam intellectus reflectens supra totum syllogismum à se constructum, sæpè iudicat, eum esse rectè dispositum, & conclusionem esse legitimè illatam ex præmissis.

58 Objicies 2. Quod positis præmissis alter intellectus inferat conclusionem, & alter non vndè provenire potest, nisi, quia alter cognoscit reflexè bonitatem illationis, & alter non? Imò, vndè provenire potest, quod negantem conclusionem syllogismi imperfecti cogimus ad eam concedendam reducendo imperfectum syllogismum ad perfectum, nisi vt intellectus cognoscat bonitatem illationis? Respondeo neutrum inde provenire. Primum, enim, inde provenit: quia vnus penetrat benè terminos præmissarum, & vi illius penetrationis virtualitèr

sit manet propositum illi intellectui obiectum conclusionis: alter verò non ita perfectè penetrat terminos, sicut, iuxta Adversarios, ex hac meliori penetratione provenit, quod alter reflexè cognoscat bonitatem illationis, & alter non. Secundum indè provenit: quia in syllogismo imperfecto non proponitur tanta claritate, saltem omnibus, identitas extremorum cum medio, vt virtualitèr maneat proposita identitas eorum inter se.

89 Objicies 3. Conclusio reflexè attingit obiectum præmissarum, iudicando, ideò existere consequens obiectivum; quia existit obiectum præmissarum cum ipso connexum sed nequit id iudicare, quin præcedat cognitio eius connexionis; ac per consequens cognitio de bonitate illationis: ergo præcedit ea cognitio. Maior est falsa, vt constabit, 2. Sed ea admissa: nego minorem de cognitione formali. Quia vt intellectus iudicèt, obiectum præmissarum connecti cum obiecto conclusionis, sufficit iudicium identitaitis extremorum cum tertio virtualitèr, & implicitè proponere intellectui identitatem extremorum inter se. Objicies 4. Aristotelem dicentem, tunc non existimare habere scientiam, quando cognoscimus res per causas, & res alitèr non posse se habere: sed hoc est cognoscere obiectum conclusionis, inferri ex obiecto præmissarum: ergo sentit, ad illationem, saltim scientificam, necessariam esse cognitionem de bonitate illationis. Respondeo, Aristotelem loqui de cognitione reflexa, quia post conceptam illationem, noscimus esse rectam, & ad eam cognitionem estò sit necessaria cognitio reflexa de bonitate illationis, non tamen est necessaria ad ipsam conclusionem directam immediatè deductam ex præmissis.

90 Objicies 5. Intellectus assentitur præmissis, vt inferat conclusionem: ergo ante conclusionem debet cognoscere esse vtiles, & aptas ad conclusionem, quod est cognoscere bonitatem illationis. Confirmatur. Quia voluntas eligit medicinam, vt consequatur salutem, ante electionem requiritur cognitio vtilitatis medicinæ ad salutem: ergo quia intellectus assentitur præmissis vt inferat conclusionem, requiritur cognitio vitalitatis præmissarũ ad conclusionem. Ad obiectionem. Respondeo *primo*, concesso antecedenti, distinguendo consequens; immediatè ante conclusionem debet cognoscere vtilitatem præmissarum, nego: mediatè, concedo consequentiam. Est dicere: posito assensu præmissarum, non est necessaria

alia cognitio interiacens inter assensum præmissarum, & assensum conclusionis: sed satis est ante assensum præmissarum, cognoscere ipsas connecti cum conclusione: quia identitas extremorum cum tertio apta est ad inferendam identitatem eorum inter se: si enim, intellectus id cognoscat ante assensum præmissarum, rectè potest ipsis assentiri, vt inferat conclusionem. Id, & non aliud probat confirmatio. Nam. vt quis prudentèr eligat medicinam, vt vtilem ad salutem, sufficit, ante electionem cognoscere vtilitatem: non verò necessarium est pòst electionem medicinæ, iterum cognoscere eam esse vtilem, vt per se patet.

61 Respondeo *secundò*, distinguendo idem consequens: debet cognoscere, præmissas esse vtiles cognitione explicita vtilitatis, nego: implicita identificata cum assensu præmissarum concedeo consequentiā. Quia ipse assensus præmissarum, cum evidentèr explicitè proponat identitatem extremorum cum tertio, implicitè virtualitèr proponit identitatem eorum inter se, & suam vtilitatem ad assensum præmissarum. Hinc oritur disparitas ad confirmationem. Quia cum intentio finis salutis, neque implicitè proponat vtilitatem medicinæ, necessaria est alia cognitio eius vtilitatis, vt eligatur propter finem salutis.

62 Instabis, ex infra diciendis §. 3. Posito assensu præmissarum potest intellectus suspendere assensum conclusionis: ergo vt detur assensus conclusionis, debet intellectus præcognoscere connexionem obiecti præmissarum cum obiecto conclusionis. Respondeo. Quod intellectus possit suspendere assensum conclusionis non provenit ex defectu cognitionis proponentis eam connexionem; sed ex capite dicendo loco citato. Quod indè confirmatur: quia posito hoc iudicio (vt ibi decetur) indivisibili, & evidenti: *quodlibet est, vel non est; & est Petrus*: potest intellectus suspendere hunc assensum: *deficit carentia Petri*; & tamen id non potest provenire ex defectu cognitionis sufficientèr proponentis veritatem huius actus, & falsitatem huius ipsi contradicentis *existit carentia Petri*: ergo quod positis præmissis suspendat intellectus assensum conclusionis, nō provenit ex defectu cognitionis reflexæ proponentis connexionem præmissarum cum conclusione.

63 Rogas *Quartò*. Vtrùm præmissæ influant physicè, aut moralitèr in conclusionem. Respondeo moralitèr tantùm influere. Quia cum intellectus sit virtus activa cognitionis, non aliud exigit pro con-

conclusione elicienda; quam ipsius obiectum explicitè, & formalitèr proponi ipsi, vt proponitur per præmissas: ergo moralitèr tantùm influunt, videlicet, proponendo intellectui formalitèr obiectum iudicandum: ea ratione qua, cognitio moralitèr influit in amorem, quia formalitèr proponit voluntati obiectum amandum. Dices; species impressa activè concurrit ad cognitionem: ergo præmissæ activè concurrit ad conclusionem. Sed ad hoc constat ex dictis disputatione 6. libri primi.

74 Rogas *Quinto*. An quævis conclusio essentialitèr sit talis, pendeatque proindè essentialitèr à præmisis? Respondeo affirmativè. Quia conclusio est intellectio, vt negare potest nullus: sed intellectio essentialitèr pendet à suis causis physicis, & moralibus: ergo & conclusio. Probatur minor; quælibet intellectio essentialitèr est actio, vel ad minus includit actionem, vt constitutivum inadæquatum sui, vt diximus supra disputatione 2. Sed quævis actio essentialitèr pendet à suis causis physicis, & moralibus: ergo, & quævis intellectio. Minor quoad dependentiam à suis causis physicis, certa est apud omnes; & mihi etiam certa est quoad dependentiam à suis causis moralibus, cum pluribus, quos tractatu de actibus humanis citat P. Rivadeneyra.

65 Et ratio est. Quia ea depēdētia stat in motione, quā actu ab eis causis depēdet: sed ea motio stat in ipsa actione, quæ se ipsa habet acquirere, seu esse acquisitionem vis motivę suarū causarum moralium; ergo se ipsa dependet à suis causis moralibus. Minor probatur Quia nō percipio, quo modo meus amor erga Deum ab eius cognitione procedat, nisi media actione illi cognitioni essentialitèr alligata. Item non percipio, quo modo definitio ver. grat. fiat media directione Logicæ, nisi media actione se ipsa affixa Logicæ dictamini, quæ sit acquiectio eius vis directivæ. Hinc fit, relicta ad alium locum fusiori probatione huius principij, deficientibus his præmissis, hunc actum conclusionis deficere, & loco illius succedere aliam cognitionem circa obiectum conclusionis essentialitèr procedentem, vel ab specie præmissarum, vel ab specie, quam primus actus de suo obiecto reliquit. Nam sicut iuxta Adversarios, conclusio perseverans post præmissas non perseverat cum denominatione conclusionis; quia talis denominatur à coëxistentia cum præmissis; ita, iuxta nos absolutè non manet; quia essentialis est ipsi denominatio conclusionis, & ideò essentialis ipsis est actualis eggresio à præmissis.

§. II.

An conclusio formalis attingat formalitèr, & intrinsecè obiectum præmissarum?

(§)

66 IDentitas extremorum cũ medio, quæ obiectum est præmissarum iuxta omnes, est obiectum formale conclusionis. Quia obiectum formale conclusionis est illud quod, vt cognitum, est intellectui ratio assentiendi obiecto conclusionis, scilicèt, identitati extremorum inter se: sed obiectum præmissarum, vt cognitum, est talis ratio: ergo obiectum præmissarum est obiectum formale conclusionis. Maior supponitur communitèr. Minor probatur. Ea est intellectui ratio assentiendi obiecto conclusionis, quam dabit interroganti, cur eum assensum habeat? Sed ratio, quæ interroganti dabitur, est, ea extrema per præmissas proposita identificata fuisse cum vno tertio, quæ identitas est obiectum præmissarum: ergo obiectum præmissarum est ratio cur assentiat intellectus obiecto conclusionis, scilicèt, identitati extremorum inter se.

67 Obiectum formale duplex est: aliud purè motivum: aliud motivum, & terminativum simul. Purè motivum est ea ratio obiectiva, quā assentiens dabit interroganti, cur assentiat? Motivum, & terminativum simul est ea ratio obiectiva, quam non solum dabit assentiens interroganti, cur assentiatur: sed quæ rursus hic, & nunc est obiectum repræsentatum, & attactum per ipsum assensum: sic divina revelatio est obiectum formale huius assensus: *Credo Incarnationem; quia Deus revelat eam:* quia hic assensus non solum movetur ex divina revelatione cognita ante assensum; sed vlterius habet intentionalitèr ferri in ipsam, & ad ipsam terminari: ideò divina revelatio dicitur, & est obiectum formale motivum, & terminativum eius actus. Hinc difficultas præsens inquirit. An quælibet conclusio formalis non solum procedere habeat ab obiecto præmissarum, vt per ipsas præ cognitio; sed etiam in ipsum intentionalitèr ferri, & ad ipsum terminari. Affirmant plures cum P. Arriaga disp. 15. Log. sect. 4. Vbi pro se citat P. Rubio, Capreolum, & Ferraram. Negant plures alij cum Pat. Valentia 2.2. disp. 1. quæst. 1. P. Hurtado disp. 7. sect. 5. Pat. Alphonsus disp. 40. sect. 3. Pat. Izquierdo in Pha-

10. disput. 1. quæst. 5. & est sententia communior, cum qua.

68 Dico 1. Vt assensus ex præmissis deductus sit vera conclusio, sufficit, procedere ab obiecto præmissarum, vt præcognito per ipsas, quin ad ipsum terminetur. Probatur 1. vt assensus conclusionis sit verus discursus sufficit, quod intrinsecè, habeat non ferri in suum obiectum, nisi ex motione prævia præmissarum: sed vt id habeat intrinsecè, non est necessarium terminari ad obiectum præmissarum: ergo vt assensus ex præmissis deductus sit vera conclusio, & discursus, sufficit procedere à præmissis, quin ad earum obiectum terminetur. Maior est certa. Nam si ille assensus deductus ex præmissis, habet intrinsecè ferri in suum obiectum ex motione præmissarum, & non aliter, intrinsecè, habet ex præmissis, & non aliunde deduci, in genere causæ formalis constituit intellectum cognoscentem obiectum conclusionis ex cognitione prævia obiecti præmissarum, quod, ad discursum sufficere, constat ex §. 1. Minor probatur. Eo præcisse, quod hic assensus intrinsecè habeat ferri in suum obiectum, non aliundè propositum, quam per præmissas, intrinsecè habet non ferri in suum obiectum nisi ex motione præmissarum: sed vt intrinsecè habeat ferri in suum obiectum, non aliundè propositum, quam per præmissas, sufficit, quod se ipso sit acquietio motionis præmissarum, & non alterius inclinationis, vt est certum, & in hoc non clauditur, quod intrinsecè terminetur ad præmissarum obiectum: ergo vt intrinsecè habeat ferri in suum obiectum ex motione præmissarum, non est necessarium terminari ad præmissarum obiectum.

68 Explicatur: Quod intellectus nequeat assentiri obiecto conclusionis, nisi ex prævia cognitione obiecti præmissarum, non probat conclusionem terminari ad obiectum præmissarum. Probatur *primo*. Intellectus nequit assentire existentiæ coloris, nisi præcedat cognitio lucis, & coloris apprehensio, & tamen iudicium de colore non terminatur ad lucem, neque ad apprehensionem præviam coloris iudicati. *Secundò*: quia intellectum non posse assentire alicui obiecto nisi ex prævio assensu alterius obiecti, non probat secundum assen-

assensum terminari ad obiectum primi, sed quod primus excitet intellectum ad secundum, & hic oriatur a primo. Sic assensus extremorum ortus ex assensu vnionis, nequit existere, nisi præcedente assensu vnionis & tamen non terminetur ad vnionem. Sic assensus essentiæ Verbi Divini ortus ex assensu existentiæ Patris nequit existere nisi præcedente assensu existentiæ Patris, & ad eam existentiam non terminatur intrinsecè intentionalitèr: ergo similitèr, assensum conclusionis non posse existere non procedente assensu præmissarum, non probat terminari ad obiectum præmissarum: sed has excitare intellectum ad conclusionem, & hanc ab illis oriri. *Tertiò*. Experientia constat, nos non elicere assensum conclusionis, nisi præcedente assensu præmissarum, & tamen experientia videtur costare, saltem vt in plurimum, nos non reflectere supra obiectum præmissarum: ergo necessitas præviæ lucis præmissarum ad conclusionem non probat, hanc supra illarum obiectum reflectere; sed ab eo odiecto, vt proposito per præmissa procedere.

69 Objicies 1. Dum intellectus transit ex præmisis ad assentiendum obiecto conclusionis, repræsentant ipsi præmissæ suum obiectum: ergo poterit tunc intellectus reflectere supra obiectum præmissarum, cum illud habeat propositum: ergo de facto reflectit. Probatur consequentia. Quia intellectus est potentia necessaria, ideòque circa sua obiecta operatur in quantum potest. Instatur argumentum in assensu extremorum procedente ab assensu vnionis, & in assensu existentiæ Patris procedente ab assensu existentiæ Filij. Deindè concesso primo entimemate, ad probationem distinguo operatur in quantum potest, quando in operando non subditur voluntati concedo, quando subditur, nego. Posito autem assensu præmissarum, intellectus subditur voluntatis imperio quoad reflexionem obiecti præmissarum. Quia cum iam per præmissas illi obiecto satisfactum sit, non est vndè intellectus necessitetur, vt iterum versetur circa illud. Constabit clarius solutio ex §. 3.

70 Objicies 2. Obiectum præmissarum est obiectum formale conclusionis: sed conclusio terminatur ad suum obiectum formale: ergo & ad obiectum præmissarum. Confirmatur *Primò*; quia Divina revelatio est obiectum formale assensus Fidei de Incarnatione assensus terminatur ad Incarnationem, & revelationem Divinam: ergo quia obiectum præmissarum est obiectum formale conclusionis, reflexè conclu-

clusio terminatur ad suum obiectum, & obiectum præmissarū. Confirmatur, *secundò*. Quia lux est ratio videndi colorem, visio terminatur ad lucem & colorem: ergo quia obiectum præmissarum est ratio assentiendi obiecto conclusionis, conclusio terminatur ad obiectū præmissarū. Confirmatur *tertiò*. Obiectum præmissarum est obiectum specifiativum conclusionis, siquidem per conclusionem non magis certum est suum obiectum, quam obiectū præmissarum, vt attactum per illas est certum intellectui: ergo conclusio intrinsecè fertur in obiectum præmissarum. *Quartò*. Voluntas nequit eligere mediū electione non terminata ad finē, quod est obiectū formale electionis: ergo intellectus nequit obiecto conclusionis assentire, nisi assentiendo simul obiecto præmissarum, quod est obiectū formale conclusionis.

71 Ad argumentum concessa maiori, distinguo minorē: ad obiectum formale extrinsecū, nego: ad obiectum formale intrinsecum, concedo minorem, & nego consequentiam. Obiectū enim, præmissarum est extrinsecum conclusioni, & non intrinsecum, scilicet est obiectum ex cuius motione fit conclusio: non obiectū, quod ipsa intentionalitèr repræsentat. Vbi observa, pro æquivocatione præocupanda, obiectū præmissarū non dicitur extrinsecum conclusioni, quatenùs intrinsecū sit, illud obiectum propositum, fuisse per præmissas; id, enim, intrinsecum conclusioni est; quia se ipsa alligata est vt principio physico, aut morali eius propositioni: dicitur autē, extrinsecum, quia de essentia conclusionis, vt talis, non est terminari ad illud obiectū, ex cuius prævia motione fit, estò aliqua conclusio sit, quæ sic terminetur. Sic, iuxta communē sententiā, accidit in actibus imperante, & imperato voluntatis. Nam si detur actus charitatis imperans propter Deū actum elemosinæ; hic habet pro motivo intrinseco bonitatem Divinā, quia ad ipsā vt obiectum non terminatur; sed ad sublevationem miseriæ pauperis, & tamen intrinsecum est huic actui præcipi per illud imperiū Charitatis, quia ab illo se ipso procedit.

72 Sed dices. Hic actus elemosinæ, quia non terminatur ad bonitatē Divinam, vt obiectū, non dicitur actus Charitatis: ergo conclusio, quæ non terminatur ad assensum præmissarū, non erit intrinsecè conclusio. Nego consequentiā: & ratio disparitatis est: quia nullus actus voluntatis censetur, iuxta communē sententiā, huius, aut illius

viri

assensum terminari ad obiectum primi, sed quod primus excitet intellectum ad secundum, & hic oriatur à primo. Sic assensus extremorum ortus ex assensu vnionis, nequit existere, nisi præcedente assensu vnionis & tamen non terminetur ad vnionem. Sic assensus essentiæ Verbi Divini ortus ex assensu existentiæ Patris nequit existere nisi præcedente assensu existentiæ Patris, & ad eam existentiam non terminatur intrinsecè intentionalitèr: ergo similitèr, assensum conclusionis non posse existere non procedente assensu præmissarum, non probat terminari ad obiectum præmissarum: sed has excitare intellectum ad conclusionem, & hanc ab illis oriri. *Tertiò.* Experientia constat, nos non elicere assensum conclusionis, nisi præcedente assensu præmissarum, & tamen experientia videtur constare, saltem vt in plurimum, nos non reflectere supra obiectum præmissarum: ergo necessitas præviæ lucis præmissarum ad conclusionem non probat, hanc supra illarum obiectum reflectere; sed ab eo odiecto, vt proposito per præmissa procedere.

69 Objicies 1. Dum intellectus transit ex præmissis ad assentiendum obiecto conclusionis, repræsentant ipsi præmissæ suum obiectum: ergo poterit tunc intellectus reflectere supra obiectum præmissarum, cum illud habeat propositum: ergo defacto reflectit. Probatur consequentia: Quia intellectus est potentia necessaria, ideòque circa sua obiecta operatur in quantum potest. Instatur argumentum in assensu extremorum procedente ab assensu vnionis, & in assensu existentiæ Patris procedente ab assensu existentiæ Filij. Deindè concesso primo entimemate; ad probationem distinguo operatur in quantum potest, quando in operando non subditur voluntati concedo, quando subditur, nego. Posito autem assensu præmissarum, intellectus subditur voluntatis imperio quoad reflexionem obiecti præmissarum. Quia cum iam per præmissas illi obiecto satisfactum sit, non est vndè intellectus necessitetur, vt iterum versetur circa illud. Constabit clarius solutio ex §. 3.

70 Objicies 2. Obiectum præmissarum est obiectum formale conclusionis: sed conclusio terminatur ad suum obiectum formale: ergo & ad obiectum præmissarum. Confirmatur *Primò*: quia Divina revelatio est obiectum formale assensus Fidei de Incarnatione assensus terminatur ad Incarnationem, & revelationem Divinam: ergo quia obiectum præmissarum est obiectum formale conclusionis; reflexè conclu-

cluſio terminatur ad ſuum obiectum, & obiectum præmiſſarũ. Confirmatur *ſecundò*. Quia lux eſt ratio videndi colorem, viſio terminatur ad lucem, & colorem: ergo quia obiectum præmiſſarum eſt ratio aſſentiendi obiecto conclusionis, concluſio terminatur ad obiectũ præmiſſarũ. Confirmatur *tertiò*. Obiectum præmiſſarum eſt obiectum ſpecifiativum concluſionis, ſiquidem per concluſionem non magis certum eſt ſuum obiectum, quam obiectũ præmiſſarum, vt attactum per illas, eſt certum intellectui: ergo concluſio intrinſecè fertur in obiectum præmiſſarum. *Quartò*. Voluntas nequit eligere mediũ electione non terminata ad finẽ, quod eſt obiectũ formale electionis: ergo intellectus nequit obiecto concluſionis aſſentire, niſi aſſentiendo ſimul obiecto præmiſſarum, quod eſt obiectũ formale concluſionis.

71 Ad argumentum conceſſa maiori, diſtinguo minorẽ: ad obiectum formale extrinſecũ, nego: ad obiectum formale intrinſecum, concedo minorem, & nego conſequentiam. Obiectũ, enim, præmiſſarum eſt extrinſecum concluſioni, & non intrinſecum, ſcilicet eſt obiectum ex cuius motione fit concluſio; non obiectũ, quod ipſa intentionalitèr repræſentat. Vbi obſerva pro æquivocatione præocupanda; obiectũ præmiſſarũ non dicitur extrinſecum concluſioni, quatenùs intrinſecũ ſit, illud obiectum propoſitum, fuiſſe per præmiſſas; id, enim, intrinſecum concluſioni eſt; quia ſe ipſa alligata eſt vt principio phyſico, aut morali eius propoſitioni: dicitur, autẽ, extrinſecum, quia de eſſentia concluſionis, vt talis, non eſt terminari ad illud obiectũ, ex cuius prævia motione fit, eſtò aliqua concluſio ſit, quæ ſic terminetur. Sic, iuxta communẽ ſententiã, accidit in actibus imperante, & imperato voluntatis. Nam ſi detur actus charitatis imperans propter Deũ actum elemoſinæ, hic habet pro motivo intrinſeco bonitatem Divinã; quia ad ipſã vt obiectum non terminatur; ſed ad ſublevationem miſeriæ pauperis, & tamen intrinſecum eſt huic actui præcipi per illud imperiũ Charitatis, quia ab illo ſe ipſo procedit.

7 Sed dices. Hic actus elemoſinæ, quia non terminatur ad bonitatẽ Divinam, vt obiectũ; non dicitur actus Charitatis: ergo concluſio, quæ non terminatur ad aſſenſum præmiſſarũ, non erit intrinſecè concluſio. Nego conſequentiã: & ratio diſparitatis eſt: quia nullus actus voluntatis cenſetur, iuxta communẽ ſententiã, huius, aut illius viri

virtutis, nisi in illius obiectum intentionaliter tendat, ideòque actus, qui ad obiectum alicuius virtutis non terminatur, non dicitur illius virtutis intrinsecè, licèt proveniat, vt à principio ab aliquo actu, qui ad obiectum talis virtutis intentionaliter terminetur: at juxta communem sententiam, ille actus dicitur discursus, & conclusio, qui intrinsecè habet non assentiri suo obiecto aliundè proposito, quam per præmissas: cumque hoc stet absque reflexione in obiectum præmissarum, vt probavimus, ideò stat vera conclusio absque ea reflexione,

73 Ad *primam* confirmationem argumenti ex num. 70. ideò antecedens est verum, quia actus Fidei ex suo conceptu formali est intellectuale obsequium præstitum authoritati loquentis, quatenus per ipsum assensum, vt digna Fide acceptatur, & hic conceptus non stat si actus non exprimat authoritatem dicentis, ad ipsumque referatur: stat, autem, conceptus formalis discursus, absque ea relatione intentionali ad obiectum præmissarum. Ad *secundam*, aliqua sunt obiecta meterialia, quæ cognosci non possunt cognitione, quæ non exprimat obiectum formale: Vndè attactio obiecti materialis, est attactio obiecti formalis, & hoc accidit in visionem coloris, quin aliter possit videri, quam perfussus luce: sicut lux, quæ abiectum formale est videndi colorem, non potest videri, quin simul videatur color: possunt tamen, alia obiecta formalia attingi, quin eodem actu attingantur obiecta materialia, ad quæ movent, vt est certum. Vndè sicut assensus præmissarum non exprimit obiectum conclusionis, licèt ad ipsi assentiendum moveat; ita assensus conclusionis non exprimit obiectum præmissarum, licèt ab eo moveatur. Et confirmatur solutio: licèt visio nequeat attingere colorem sine luce, postquam tamen, intellectus, media visione habeat apprehensiones lucis, & coloris, ipsi est sufficienter propositus color, vt ipsum iudicet, iudicio non terminato ad existentiam lucis: sed per assensum præmissarum sufficienter habet intellectus propositum obiectum conclusionis; ergo potest hoc iudicare iudicio, non quod terminetur ad obiectum præmissarum.

74 Ad *tertiam* concesso antecedenti, nego consequentiam. Quia actus intellectus non solum specificatur ab obiecto: sed à principio, vt videre est in actu supernaturali circa obiectum naturale. Vndè, quod conclusio non respiciat obiectum præ-

præmissarum intrinsecè, non tollit, quod ab ipso specificetur oritur enim, ab eius veritate proposita per præmissas, ideoque ab eo obiecto intrinsecè specificatur: indè, est, quod conclusio deducta ex præmissis probabilibus est probabilis, & evidens deducta ex evidentibus: quia cùm tota ratio assentiendi identitati extremorum inter se sit identitas extremorum cum tertio iudicata per præmissas, à quibus conclusio se ipsa pendet: si iudicium præmissarum fuit evidens, conclusio erit evidens, & probabilis si probabile. Ad *quartam*, nego consequentiam. Disparitas est. Quia ex dictis in Physica, quævis electio formalis medij est intentio finis. Conclusio autem constituitur in esse talis per intrinsecam dependentiam à præmissis, vt crescat medijs ipsis obiectum conclusionis, quæ omnia reflexionem ad obiectum præmissarum non dicunt.

75 Instabis. Vt conclusio sit intrinsecè talis nō sufficit oriri ab assensu præmissarum: ergo requiritur reflexio in præmissarum obiectum. Probatur antecedens. Quia iudicium essentialitèr pendens ab apprehensione obiecti non est conclusio, Nego antececens. Ad probationem dico iudiciū illud non est discursus: nec conclusio, quia talis solùm dicitur assensus deductus ex identitate extremorum cum tertio præiudicata. Instabis 2. si conclusio non reflectitur supra obiectum præmissarum, cur tertius actus, & non alius dicitur conclusio? Respondeò ideò esse; quia discursus est progressio intellectus ab vno iudicio in aliud, & tertius actus se ipso est talis progressio, quia se ipso procedit à præmissis, & non alter. Instabis 3. si conclusio non reflectit supra præmissas, cur vna dicitur scientia, alia opinio, & alia Fides? Respondeo; quia vna se ipsa procedet à præmissis evidentibus, alia à probabilibus, alia à præmissis, quarum altera saltem sit alterius testimonium.

76 Dico 2. Potest, intellectus elicere conclusionem, quæ reflectat supra obiectum præmissarum. Probatur: positis præmissis cognoscit intellectus explicitè ante conclusionem identitatem extremorum cum tertio, & implicitè identitatem extremorum inter se: ergo potest assentire huic identitati assensu terminato ad identitatem extremorum cum medio. Probatur consequentia. Identitas extremorum cum tertio est aptum motivum, vt respiciatur ab assensu identitatis extremorum inter se; si illa sit proposita dum elicit con-

conclusionem, neque aliquid sit impediens terminationem ad illam sed quando intellectus elicit conclusionem proposita est ea identitas, & nihil est impediens terminari conclusionem ad illam: ergo potest intellectus assentire identitati extremorum inter se assensu terminato ad identitatem extremorum cum tertio. Confirmatur. Quando per simplicem apprehensionem suasivam proponitur intellectui explicitè duo idẽtificari cum medio, impliciteq; identificari inter se, potest intellectus immediatè iudicare, identificari inter se; quia identificantur cum medio: ergo quando ea identitas extremorum cum medio,& inter se proponitur intellectui per præmissas, potest immediatè essentiri ea duo identificari inter se; quia identificantur cum medio.

77 Objicies 1. Conclusio non potest esse sine prçmissis: sed poterit esse, si reflectit supra ipsarum obiectum; siquidem ipsa attinget quidquid præmissæ repræsentant ergo non potest reflectere. Nego minorem; Quia ita conclusio attingit idem obiectum, ac præmissę, vt se ipsa procedat,& pendeat à iudicio prævio eius obiecti. Objicies 2. Visio attingens lucem, & colorem non est discursus; quia simul vtrumque attingit: ergo conclusio non erit discursus, si attingit obiectum præmissarum. Nego antecedens Ideò enim vlla visio non est discursus: quia discursus essentialitèr est actus intellectus. Objic. 3. Si conclusio terminatur ad obiectum præmissarum, hoc obiectum, vt propositum per pręmissas, non erit obiectum formale conclusionis; sed obiectum præmissarum semper est obiectum formale conclusionis: ergo conclusio non potest terminari ad obiectum præmissarum: distingno maiorem, non erit obiectum formale intrinsecum, concedo maiorem, non erit obiectum formale extrinsecum, nego maiorem, quia vt sit obiectum formale extrinsecum conclusionis, sufficit conclusionem, se ipsa pendere à præmissis ostendentibus illud obiectum, & distinguo minorem in eodem sensu, & nego consequentiam.

78 Objicies 4. Si conclusio ita reflectit supra obiectum pręmissarum, species relicta ex conclusione erit species identitatis extremorum inter se, & cum medio: ergo si repetatur ea conclusio generabitur habitus repræsentandi obiectum conclusionis simul cum obiecto præmissarum: sed hoc est falsum; quia sæpè meminimus obiecti conclusionis absque vlla mentione obiecti præmissarum: ergo conclusio non potest ferri in obiectum præmissa-

sarum. Concesso primo enthymemate, nego minorem subsumptam. Ad rationem probationis, respondeo, illud prouenire, quia species ex repræsentatione conclusionis relicta non excitatur adæquatè; sed inadæquatè, vndecumque id proueniat, quod accidit sæpè in iudicio non discursivo repræsentante plures homines, & relinquente in intellectu speciē sui, & sui obiectis; hæc, enim species hac, vel illa causa inadæquatè excitata in causa est, vt intellectus memoretur, iam vnius tantum hominis, iam plurium, vt constat experientia.

79 Objic. 4. loquendo de hoc syllogismo: *omne animal est vivens: omnis planta est animal: ergo omnis planta est vivens*: si hæc conclusio repræsentaret obiectum præmissarum intrinsecè semper, esset falsa: sed hoc est contra principium sumulisticum, *ex præmissis falsis aliquando verum, aliquando falsum*: ergo non reflectit supra obiectum præmissarum. Maior probatur. Quia propositio affirmans plantam esse viventem, quia est animal, semper esset falsa. Respondeo *primò*, iudicium illud solum docet, conclusionem deductam ex præmissis falsis posse esse veram, qua parte affirmat identitatem extremorum inter se, secus, qua parte affirmat identitatem extremorum cum tertio. Clarius: Eo principio solum voluniu significare, sæpè affirmari falso identitatem duorum cum tertio, cum tamen vere affirmetur identitas corū inter se. Respondeo *secundò*. Eam conclusionem, & quamlibet aliam reflectentem supra præmissas falsas, semper esse falsam; sed quia, iuxta primam conclusionem, potest aliqua vera conclusio supra ipsas non reflectere, potest accidere, quod ex præmissis falsis deducatur vera conclusio: imò hoc argumentum confirmatur valdè nostra conclusione, non necessitate reflexionis assensus conclusionis supra obiectum præmissarum.

§ III.

Qua ratione assensus præmissarum necessitet ad assensum conclusionis?

PARS PRIMA.

80 Supponunt omnes, vt certum, assensum præmissarum aliquo modo necessitare ad assensum conclusionis. Sed quia duplex est necessitas, alia *quoad speciem*, & altera *quoad exercitium*. De vtraque procedit difficultas. Assensum præmissarum necessitare *quoad speciem* ad assensum conclusionis, est, quod positis præmissis, li-

cet posit intellectus omittere assensum conclusionis, tamen non posit elicere oppositum, scilicet non posit dissentire obiecto conclusionis. *Quoad exercitium* verò requiritur, quod vltra necessitatus maneat intellectus, vt omninò ponat assensum formalem conclusionis obiectivæ. Distinguitur in intellectus hæc duplex necessitas à paritate voluntatis, quæ tunc censetur determinata ad amorem quoad speciem, quando impotens est odisse obiectū, tunc vero quoad exercitium, quando impotens est omittere amorem.

81 Suppono 2. Assensum præmissarum realitèr, & ex parte obiecti esse assensum conclusionis obiectivæ. Ratio est. Quia realitèr idem est obiectum præmissarum, & obiectum conclusionis: quippè ea obiecta, quæ in præmissis identificantur cum vno tertio sunt, quæ in conclusione identificantur inter se: sed assensus præmissarū terminatur ad identitatem extremorum cum tertio: ergo terminatur ad identitatem extremorum inter se. Hoc est eorum: vndè solum procedit difficultas: An posito assensu præmissarum, qui formalitèr, & expresse attingit identitatē extremorum cū tertio, & implicitè, & ex parte obiecti identitatem extremorum inter se maneat necessitatus intellectus vi prioris assensus ad alium, qui sit conclusio, tendens que formaliter, & explicitè in identitatem extremorum inter se.

82 Dico 1. Assensus præmissarum necessitat intellectū quoad speciem ad assensum conclusionis. Probatur. Intellectus natura sua impotens est dissentire obiecto, quod proponitur evidentèr verum: sed assensus præmissarum proponit intellectui evidentèr verum obiectum conclusionis: ergo assensus præmissarū necessitat intellectum; ne dissentiat obiecto conclusionis, quod est necessitare quoad speciem ad assensum conclusionis. Probatur minor. Assensus præmissarum proponit evidentèr intellectui extrema esse idem cum tertio: sed hæc propositio simul cum eo principio lumine naturæ noto: *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, est evidens propositio identitatis extremorum inter se, quæ est obiectum conclusionis: ergo assensu præmissarum proponit intellectui verum evidentèr conclusionis obiectum.

83 Explicatur. Ex dictis obiectū conclusionis realitèr est idem cum obiecto præmissarum: ergo dum intellectus per præmissas assentitur eorum obiecto nequit iam dissentire obiecto conclusionis. Probatur consequentia. Si dissentiret obiecto conclusionis dissentiret obiecto, cui per præmissas as-

assentiatur: sed intellectus, ex natura rei, nequit eidem obiecto, præcipuè evidentèr noto, simul assentiri, & dissentiri, cum evidentiam habeat intellectus principij: *impossibile est, rem simul esse, & non esse*: ergo posito assensu præmissarum, nequit dissentire obiecto conclusionis. Hæc ratio etiam probat dum sunt tantùm probabiles præmissæ: nam per eas assentitur intellectus realitèr, & implicitè obiecto conclusionis affirmando esse; si autem dissentiret, negaret idem obiectum, quod affirmat per præmissas, quod probavimus impossibile.

84 Dices: benè potest intellectus assentire, & dissentire eidem obiecto proposito sub diversis terminis formalibus: etenim entitati animalis propositæ sub hac expressione *animal* assentio; & dissentio eidem propositæ sub hac expressione *rationale*: ergo benè potest intellectus dissentire identitati extremorum inter se sub terminis conclusionis, & eidem assentire sub terminis præmissarum. Nego consequentiam. Quia tunc eidem obiecto assentio, & dissentio sub terminis formalitèr diversis, quãdo vnũ nec implicitè proponit obiectum ea ratione, qua proponitur per aliud: & sic accidit in casu antecedentis: quippè hic terminus mentalis *Animal* non proponit sufficientèr intellectui suum obiectum esse rationale, & ideò potest idem obiectum negari sub hoc termino *rationale*: at assensus præmissarum applicat intellectui sufficientèr obiectum conclusionis, ea ratione, qua per terminos conclusionis proponitur; quia videlicèt suadet intellectui, extrema esse idem cum tertio, & cùm aliundè sit evidens esse inter se eadem, quæ sunt eadem vni tertio, propositio applicans intellectui identitatẽ cum vno tertio, applicat identitatem inter se: vndè cum rursus identitas extremorum inter se proponatur intellectui evidentèr, negari nequit: tum quia iam est evidentèr vera, si præmissę sunt evidentes: tùm quia iam ipsi præstitit assensum per præmissas, sivè probabiles, sivè evidentes.

85 Objicies. In sensu composito assensus præmissarum probabilium potest stare in intellectu apprehensio evidens de falsitate consequentis: sed in sensu composito huius apprehensionis potest intellectus consequenti dissentire: ergo in sensu composito assensus præmissarum potest intellectus consequenti dissentire. Explicatur, & confirmatur. In sensu composito huius iudicij evidentis, *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se* stat præceptum divinum de dissensu opposito,

 quam

quam efficio, vt conformet præcepto divino: cum liet modo me fide divina credere, Paternitatem, & filiationem non esse easdem inter se, quando credo esse eadem cum essentia: ergo in sensu composito identitatis extremorum cum tertio, poterit stare simile præceptum de dissensu, extremorum inter se, & ipse dissensus oppositus, qui præcipitur. Confirmat. 2. Quia accidit sæpè concessis præmissis rectè dispositis, consequentiam negari: ergo assensus præmissarum non necessitat intellectum, ne dissentiat obiecto conclusionis.

86 Nego maiorem argumenti. Quia cum assensu obiecti præmissarum probabilium, ex quo semel posito evidenter, deducitur consequens, non stat apprehensio evidens de falsitate consequentis; quamvis tale consequens probabile absolutè sit, & in sensu diviso à primò præmissarum assensu possit apprehendi evidenter falsum. Et ratio est. Quia cum assensus præmissarum assentiat identitati extremorum cum medio, implicitè assentitur identitati eorum inter se, cum quo assensu non stat apprehensio evidens de carentia eius identitatis. Quod hoc exemplo explicant optimè RR. Seclusa omni suppositione, possibilis est cognitio repræsentans, nullam habere bonitatem peccatum; & tamen ea cognitio non componitur cum amore obiecti pravi, quia videlicet amor ipse deducitur ex cognitione ostendente aliquam bonitatem in obiecto pravo, & in peccato: ergo licet sit absolutè possibilis dissensus circa obiectum conclusionis; ille tamen dissensu incompossibilis est cum assensu iam præstito per præmissas eidem obiecto.

87 Ad primam confirmationem concesso antecedenti de assensu illius principij non sumpti omninò vniversalitèr; nego consequentiam. Disparitas est. Quia præceptum illud excitat cognitionem, qua cognoscitur falsum esse in sensu vniversali illud principium: vndè per dissensus illius nulli sub iudicio contradicit intellectus. Cæterùm si stante assensu præmissarum esset præceptum de dissensu, esset præceptum imprudens, quia esset de re impossibili intellectui: esset enim præcipere modo intellectui, vt negaret id ipsum quod affirmat, & quod sibi ipsi in suis iudicijs contradiceret. Ad secundam confirmationem nego consequentiam in sensu nostræ quæstionis; quia antecedens solum est verum, quando præmissæ non penetrantur bene, secus quando penetrantur, vt benè penetrari in hac quæstione supponimus.

PARS

PARS SECVNDA.

88 DIco 2. Assensus præmissarum non necessitat intellectum per se loquendo, quoad exercitium ad assensum conclusionis. Probatur *primo*. Virtus limitata intellectus tot potest actus elicere, vt vltra virtutem non habeat expeditam ad alios: ergo accidere potest, quod quando pervenit ad assensum præmissarum ita virtus intellectus absumatur, vt non maneat expedita ad assensum conclusionis. Confirmatur: sæpè auditus cum specie sonus, & vocum sonum, & voces non percipit, si anima sit ad alia nimis distracta, quia in ea distractionem tota animę virtus in alijs percipiendis insumitur: ergo accidere etiam potest vt in alijs percipiendis ita sumat suam virtutem intellectus, vt quando accidit ad deducendam conclusionem impeditam omninò habeat virtutem actiyam conclusionis, & tunc non deficeret conclusio ex defectu virtutis motivæ præmissarum; sed ex defectu virtutis intellectivæ.

89 *Secundo*. Supposita expeditione virtutis intellectivæ penetratione terminorum, & attentione ad obiectum conclusionis, argumentor infirmando rationem oppositam. Ideò assensu præmissarum necessitaret ad assensum conclusionis, quia ipsarum obiectum connectitur cum obiecto conclusionis, & id cognoscit intellectus per præmissas: sed hæc ratio nulla est: ergo nō necessitatur intellectus omnino absolutè ad assensum conclusionis. Probatur minor *primo*. Identitas Petri cum homine, quæ est obiectum huius actus: *Petrus est homo*, connectitur cum identitate Petri, & animalis rationalis, quæ est obiectum huius *Petrus est animal rationale*, & eam connexionem cognoscit intellectus, quia habet benè penetratam significationem terminorum: ponamus hoc: sed posita cognitione huius connexionis, vi prioris assensus non manet intellectus necessitatus ad eliciendum secundum: ergo quod obiectum præmissarum connectatur cum obiecto conclusionis, & id cognoscat intellectus, non faciet, quod vi assensus præmissarum maneat necessitatus intellectus ad assensum conclusionis. Maior est certa omnibus, & minor mihi: quia alias non possemus iudicare existere definitum sub terminis definiti formalis, quin ipsum iudicaremus sub terminis formalibus definitionis.

90 Probatur 2. eadem minor. Tam evidens est intellectui, impossibile esse, *rem esse, & simul deficere*, ac est

evidens, *identificari inter se, quæ identificantur in præmissis cum medio*: item: tàm connectitur rem existere cum exclusione sui defectus, quam identitas in tertio cum identitate extremorum inter se: ergo tàm connectitur obiectum huius propositionis: *Petrus existit*, cum obiecto huius: *Petrus non deficit*, quã connectitur obiectum præmissarum, cum obiecto conclusionis: sed intellectus sic iudicans: *Petrus existit* cum evidentia primæ connexionis non manet necessitatus ad iudicandum sic: *Petrus non deficit*: ergo intellectus iudicans obiectum præmissarum cum evidentia secundæ connexionis non manet necessitatus ad iudicandum per conclusionem obiectum conclusionis. Sed dices: Primum actum non necessitare ad secundum; quia secundus non habet pro obiecto carentiam Petri, iuxta nostra principia, in quibus non potest aliquid de carentijs directè affirmari, aut negari per assensus ipsas approbantes, aut per dissensus ipsas reprobantes: quare ille actus: *Petrus non deficit* nihil aliud præstat, quam affirmare iterum existentiam Petri, quam affirmavit primus actus, licet sub diversis terminis. Sed contra est: assensus conclusionis nihil aliud affirmat: quam id ipsum, quod affirmant præmissæ, licet sub alijs terminis; ergo vel præmissæ non necessitant ad conclusionem formalem, vel primus eorum actuum necessitat ad secundum.

91 Hinc probatur nostra conclusio. 1. Et sit ratio à priori. Nullum obiectum quantumvis evidentèr propositum necessitat intellectum ad assensum distinctum ab ipsa propositione, quando per propositionem ipsam satisfactum est iam illius veritati obiectivæ: sed veritati obiectivæ conclusionis satisfactum est iam per assensum præmissarum à quibus proponitur evidentèr: ergo assensus præmissarum probabilium, aut evidentium non necessitat quoad exercitium intellectum ad assensum conclusionis, quam proponunt evidentèr verum. Minor probatur *primò*. Veritas obiectiva conclusionis eadem est cum veritate obiectiva præmissarum, siquidem veritas obiectiva ab obiecto non distinguitur; & obiectum idem est; vt negare potest nullus: sed veritati obiectivæ premissarum satisfecit intellectus per assensum premissarum: ergo, & satisfecit veritati obiectivæ conclusionis. *Secundò*. Veritas obiectiva, quæcumque ea sit nihil aliud exposcit ab intellectu, quam ita illam amplecti, dum sufficientèr proponitur, vt de illa iudicativè persuassus maneat, & nullo modo in posterum ipsi refragetur,

getur, quod dum accidit satisfactum est ab intellectu meritis veritatis: sed dum intellectus acquiescit obiecto præmissarum per ipsas præmissas, iam iudicativè amplectitur obiectum conclusionis, ita vt nullatenùs possit ipsi refragari, iuxta dicta conclusione prima: ergo veritati obiectivæ conclusionis, iam satisfactum est per assensum præmissarum.

92 Confirmatur. Dum assentio, assensu evidenti, *Petrum esse album*, evidentèr mihi proponitur, *aliquod album esse Petrum*, & tamen non necessitat primus actus ad secundum; quia videlicèt, cum obiectum vtriusque idem sit, & intellectum id cognoscat, ipsumque iudicativè amplectatur per primum, cum impotentia ipsi refragandi, iam satisfecit meritis illius veritatis obiectivè, & hoc ideò est, quia idem est realitèr, & æquivalentèr, *Petrum esse album*, ac, *aliquod album esse Petrum*: ergo cum æquivalentèr sit idem dicere, *duo identificari cum tertio*, ac *identificari inter se*, per assensum præmissarum satisfecit intellectus veritati obiectivæ conclusionis, eamque iudicativè amplectitur, ita vt in posterum nequeat ipsi contradicere.

93 Cuius vlterior ratio est, quam exhibent ingeniosi RR. Nam præmissæ formales non solum sunt evidens propositio identitatis extremorum, cum tertio, & inter se; sed vlterius sunt notitia experimentalis sui ipsarum (iuxta dicta supra sect. 2. §. vltimo) vel ad minus cum ea experientia connexæ sunt, vt alij sentiunt: quia nihil evidentius est intellectui, dum actu cognoscit, quam se cognoscere: vndè eodem iure, quo intellectui proponunt identitatem extremorum inter se, evidentèr etiam proponunt ipsi evidentia experimentali, se iam satisfecisse veritati obiectivæ conclusionis per iudicium identitatis extremorum cum tertio: ergo evidentia veritatis conclusionis per præmissas apparens nullatenùs poterit cogere intellectum, vt rursus ei identitati assentiatur per conclusionem; nam omnis assensus veritatis, qui supra merita veritatis est, non potest esse debitus veritati, cum iam est satisfactum, sed manebit omninò gratiosus.

94 Hinc confirmatur 2. Superior ratio ex num. 91. Beatus amans Deum propter eius bonitatem in se ipsa clarè visam, & experimentalitèr cognoscens suum amorem, dum postea intuetur in creaturis Divinam bonitatem, non tenetur eam secundo amare in creaturis

videlicet, quia ipsa visio ostendens in creatis Divinam bonitatem, experientia est prioris amoris, quo voluntas Divinæ bonitati satisfecit : ergo licèt præmissæ proponant evidentèr veritatem conclusionis, non necessitabunt quoad exercitium ad eius assensum, quia simul experimentalitèr proponunt iam satis, superque satisfecisse intellectum per præmissas illi veritati.

95 Objicies 1. Intellectus, vtpotè potentia necessaria, positis omnibus requisitis ad operandum, operatur necessario : ergo posito assensu præmissarum evidentèr ostendente obiectum conclusionis, manet intellectus necessitatus ad conclusionis assensum. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Quia posito assensu præmissarum deest requisitum ad operandũ, scilicèt, deest non esse satisfactum obiectum conclusionis, cui per præmissas iam est satisfactum : & non esse satisfactum alicui obiecto, requisitum est, vt intellectus ad assentiendum ipsi necessitetur, vt probarunt rationes factæ. Dices: ergo similitèr posita in potentia visiva specie obiecti poterit potentia visiva cessare à visione obiecti. Nego consequentiam. Quia species obiecti proponit obiectum, cui nondum potentia visiva satisfecit, quod manifestandum est de visione, quia in speculo per reflexionem specierum video res è regione positas : quia per eas species reflexas proponitur evidentèr obiectum, cui nondum est satisfactum à potentia per ipsam speciem reflexam, quam speculum mittit : et sic per reflexionem specierum etiam video in aqua arborem iuxta ripam existentem.

96 Objicies 2. Apprehensio evidens obiecti v. g. huius: *quodlibet est, vel non est*, necessitat quoad exercitium ad assensum talis obiecti: sed assensus præmissarum se ipso est apprehensio evidens, æquivalentèr saltem, obiecti conclusionis, vel adminus apprehensionem evidentem, & explicatam excitat : ergo assensus præmissarum necessitat quoad exercitium ad assensum conclusionis. Maior probatur apprehensio evidens, vt talis, in munere determinandi intellectum ad assensum sui obiecti, excedit apprehensionem probabilem: sed apprehensio probabilis necessitat intellectum quoad speciem ad assensum sui obiecti: ergo apprehensio evidens necessitat quoad exercitium. Minor probatur. Apprehensio probabilis proponens stellarum imparitatem coniuncta cum carentia rationis probabilis pro ipsarum paritate, aut cum mero dubio paritatis, necessitat quoad speciem ad assensum im-

imparitatis; quia cùm ea propositione imparitatis, imparitati dissentire non potest: ergo apprehensio probabilis necessitat intellectum, quoad speciem ad assensum sui obiecti.

97 Ad argumentum, distinguo maiorem: Quando obiecto apprehensionis non est iam satisfactum per alium assensum, concedo maiorem; quando est satisfactum, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiã. Quia quando obiectum conclusionis evidentèr proponitur, sivè per pręmissas, sivè per apprehensionem ex illis ortam, iam illi veritati aliundè satisfactum est per assensum præmissarum, vt constat ex dictis. Ad probationem maioris, concessa maiori distinguo minorem: apprehensio probabilis necessitat se sola ad assensum sui obiecti, nego minorem, simul cum carentia rationis pro opposita parte concedo minorem, & nego consequentiam. Ad probationem minoris dico: ideò necessitare illam apprehensionem, quia cõiungitur, vt supponitur in argumento, cum carentia rationis probabilis pro opposita parte de stellarum paritate. Cumque ea coniunctio sit extrinseca apprehensioni, quæ potest de se coniungi cũ ratione, vt coniungitur quoties cum ratione probabili pro obiecto existentia dubitat intellectus, & in-re formidat de opposito, nequit necessitare se sola quoad speciem, vt se sola necessitat apprehensio evidens, quæ ab intrinseca sua claritate excludit dubium, & formidinem circa oppositam.

98 *Secundo*. Ad eandem probationem maioris responderi potest. Concessa maiori, & minori, distinguo consequens: quando ante apprehensionem non est satisfactum obiecto conclusionis, concedo cõsequentiam: quando ante apprehensionem est iam satisfactum per assensum pręvium pręmissarum veritati obiectivæ conclusionis, nego consequentiam. Itaque vt apprehensio probabilis excedatur ab evidenti in munere determinandi ad assensum obiecti, sufficit, quod apprehensio probabilis pro nullis circunstantijs posit determinare ad exercitium assensus, sed præcisè ad speciem: cum tamen apprehensio evidens necessitet ad exercitium assensus; saltem quando obiecto non est satisfactum prius per alium assensum.

98 Sed dices. Obiectum evidentèr notum dignum est assensu directè, & expressè ad ipsum terminato: ergo dum positis pręmissis intellectus nõ assentitur expressè, & formalitèr obiecto conclusionis, evidenter proposito per apprehensionem æquivalentèr identifica-

ca-

catam cum assensu præmissarum, vel per aliam formalem ex his excitatam, non satisfecit eius obiecti veritati. Distinguo antecedens: dignum est eo assensu in quibuslibet circunstantijs, nego antecedens: in aliquibus concedo antecedens, & nego consequentiam. Quia circunstantiæ in ea suppositione, tales sunt quæ supponant, intellectum iam satisfecisse illi obiecto: cum non alia satisfactio debeatur obiecto evidentèr vero, quam illud per iudiciũ amplecti cum impossibilitate dissensus: qua ratione intellectus amplexatus est illud obiectum per assensum præmissarum.

100 Respondeo 2. cum alijs ad argumentum ex numero 96. negando maiorem: ad probationem concessa maiori, nego minorem. Quia apprehensio probabilis compatibilis est cum dubio positivo, & formidine, imò, & cum dissensu sui obiecti, vt sæpè accidit. Vndè excessus apprehensionis evidentis in munere determinandi ad assensum, stabit in eo, quod evidens inducit necessitatem quoad speciem: secus probabilis. Et confirmatur solutio. Quia voluntas non determinatur quoad exercitium ad amorem obiecti, quod sub nulla ratione malum proponitur; sed præcisse quoad speciem; cum tamen ex se indifferens sit, indifferentia quasi quoad speciem, ad amorem obiecti, quod sub aliqua ratione boni, & aliqua ratione mali proponitur: ergo similiter intellectus indifferens erit, quoad speciem ad assensum obiecti probabilitèr tantùm propositi: & ad assensum obiecti propositi evidentèr erit necessitatus quod speciem, & indifferens quoad exercitium.

101 Objicies 3. Intellectum assentiri identitati extremorum inter se, est habere conclusionem formalem. Sed quoties per præmissas assentitur indentitati extremorum cum tertio, assentitur identitati extremorum inter se: ergo quoties intellectus assentitur identitati extremorum cum medio, habet conclusionem formalem. Probatur minor. Quoties per præmissas cognoscit intellectus evidententèr duo identificari cum medio, cognoscit evidentèr illa duo identificari inter se ex eo principio: *quæ sunt eadem vni tertio, &c.* ergo quoties assentitur identitati extremorum cum medio, assentitur identitati extremorum inter se. Distinguo maiorem assensu explicitè, & formalitèr conferente inter se, extrema conclusionis, concedo: æquivalentèr, & implicitè, nego maiorem, & distinguo minorem: assentitur identitati extremorum inter se assen-

su

ni ipsa formaliter, & inter se explicitè conferente, nego minorem: implicitè, & æquivalenter, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad probationem minoris, admisso antecedens, nego consequentiam: quia ei veritati evidenter notę iam satisfactum est per assensum præmissarum amplectentem formaliter implicitè veritatem obiectivam conclusionis. Vndè postquam identitati Petri, & animalis intellectus præstabit assensum, in his præmisis; *Omnis homo est animal Petrus est homo*; non est vndè postea necessitatus maneat ad conferendam inter se, eadem extrema hac ratione: *Petrus est animal*.

102 Objicies 2. Intentio efficax finis necessitat intellectum ad exercitium electionis mediorum ergo assensus præmissarum necessitat intellectum, quoad exercitium, ad assensum conclusionis. Probatur consequentia. Quia non minus efficax est assensus præmissarum ad inducendam conclusionem, quam intentio, vt moveat ad electionem: ergo si intentio necessitat ad electionem mediorum, assensus præmissarum necessitat ad assensum conclusionis. Confirmatur. Voluntas amans gratiam habitualem essentialiter connexam cum defectu peccati (supponamus sic connecti) nequit fugere à defectu peccati, imò ad ipsum peccati defectum amandum necessitat amor gratiæ: ergo intellectus assentiens obiecto præmissarum essentialiter connexo cum obiecto conclusionis, nequit suspendere assensum conclusionis, sed ad hunc assensum necessitatus manebit ex assensu præmissarum.

103 Ad argumentum, distinguo antecedens: ad exercitium electionis identificatum cum intentione ipsa efficaci concedo: distinctum ab intentione, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem huius, concedo antecedens. Neque indè quidquam contra nos. Quia sicut intentio finis satisfacit ipsi electione mediorum cum ipsa identificata; ita intellectus satisfacit veritati obiectivæ conclusionis assensu identificato cum assensu præmissarum. Quod si dicas; aliquando intentionem finis non esse electionem mediorum, sed ad actum electionis ab ipsa distinctum necessitare. Hoc admisso, est disparitas: quia bonitas finis digna est, quæ executioni mandetur, & ei bonitati non satisfacit voluntas intentione, quæ ipsum finem non inferat, nec exequatur, vndè locus manet,

vt voluntas necessitata maneat ad eam electionem mediorum distinctam ab intentione. At meritis veritatis obiectivæ postulantis, intellectum iudicativè illam amplecti, satisfactum manet assensu præmissarum quo intellectus iudicativè amplexatus est realitèr implicitè veritatem obiectivam conclusionis.

14 Ad confirmationem. Amor gratiæ essentialitèr pugnantis cum peccato se ipso est amor defectus peccati; vndè ad alium amorem explicitum defectus peccati non necessitat, & ratio est. Quia amor explicitus defectus peccati, vtpotè, qui ad ipsam peccati carentiam terminari nequit, ex supra dictis solum terminatur ad ipsam gratiam prosequutivè: at meritis gratiæ per primum amorem satisfactum est; non alitèr ac intendimus satisfactũ esse obiecto conclusionis per assensum præmissarum: ergo amor gratiæ non necessitat ad alium amorem distinctum defectus peccati. Si autem insistas, amorem gratiæ essentialitèr pugnantis cum peccato conceptumque cum notitia eius oppositionis necessitare ad odium explicitum peccati. Fortè concedet aliquis: quia peccatum ex vna parte dignum est fuga voluntatis intendentis gratiam, & cum aliundè sit distinctum ab ipsa gratia dici poterit, intentionem gratiæ non esse fugam formalem peccati, adhuc implicitè, sed eam fugam inducere. Sed verius dico, ad eam fugam explicitam non necessitare: quia amor gratiæ coniũctus cũ ea notitia ex suo modo tendendi est prosequutio gratiæ, & fuga à peccato: ea ratione, quam actus contritionis ipso, & ex suo modo tendendi est prosequutio Dei, & odium peccati, & ideò non necessitat ad peccati odium distinctum ab amore Dei.

105 Objicies 5. Aristotelem dicentem ex præmissis rectè dispositis necessario sequi conclusionem. Objicies 6. Voluntatem non posse intellectum in hanc vel illam partem inflectere, vbi in vnam partem cogit ipsum evidentia veritatis, vt ait SS. P. N. Ignatius in epistola de obedienti; ergo supponit obiectum evidentèr notum necessitare intellectum ad exercitium assensus circa ipsum. Ad quintum respondeo, Aristotelem loqui de conclusione obiectiva, quæ stat in connexione intrinseca obiecti antecedentis, cum obiecto consequentis. Vel si loquatur de illatione formali interpretandus est de necessitate quoad speciem.

106 Sanctissimus P. N. Ignatius longè abest ab opposita sententia, ibi enim tantùm vult duò. *Primum*, voluntatem nõ posse inflectere intel-

lec-

lectum ad assensum, & dissensum obiecti evidenter noti, quod verissimum est, & nos fatemur: siquidem dicimus posito assensu præmissarum, qui formaliter implicitè est assensus conclusionis, non posse voluntatem intellectum cogere in oppositum dissensum; quia sic iudicaret intellectus per dissensum conclusionis non existere, quod existere iudicat per assensum præmissarum, quod, & impossibile est, & cum necessitate quoad speciem cōponitur. *Secundum* est, non posse, nec teneri subditum obedire Superiori, quando præcipit obiectum evidenter pravum; quia cum evidentia pravitatis non stat apprehensio de honestate obedientiæ præceptæ, cum evidentia ipsa pravitatis obiecti sit evidentia inhonestatis obediendi. Hoc etiam dicimus esse verum, & non contra nos, quia absque eo, quod evidentia pravitatis obiecti necessitet quoad exercitium ad iudicium inhonestatis obediendi, sufficienter impotentia, & deobligatio obediendi, penes impotentiam, quæ tunc est habendi cognitionem de ipsius honestate ad obedientiam requisitam, quæ impotentia cum ipsa evidentia pravitatis obiecti idētificatur, quæ ex suo modo tendendi non permittit adhuc apprehensionem formidolosam, aut dubitativam de opposito, nempe de honestate obediendi in casu dicto.

PARS TERTIA.

107 Hucusque dicta intelligenda sunt, vt ipsis rationibus factis colligitur, de syllogismis nitentibus his principijs *dici de omni, dici de nullo, quæ sunt eadem uni tertio, &c. quæ repugnat, &c.* quia in omnibus his syllogismis obiectum iudicatum per præmissas realiter est idem cum obiecto conclusionis. Sunt tamen iuxta plurium, & gravium Doctorum sententiam, alij syllogismi eis principijs non nixi; sed solum connexioni extremorum realiter distinctorum, videlicet illi, in quibus ex existētia vnius connexi cum alio, hoc aliud inferimus v. g. in hoc: *Si existit revelatio Incarnationis cum Incarnatione connexa, existit Incarnatio: sed existit revelatio sic connexa: ergo existit Incarnatio.* Et in hoc formato in materia Physiophica: *Si existat vnio existent extrema: sed existit vnio: ergo & extrema.* De his ergo syllogismis nitentibus præcisè in connexione antecedentis cum consequente cum reali vtriusque distinctione, inquiritur. An assensus præmissarum quoad exercitium necessitet ad assensum conclusionis?

18. Ante resolutionem quæstionis suppono, nul-

nullum esse syllogismum rectè concludentem, qui non nitatur identitati, quamvis præcisè attento cortice aliquorum, appareant identitati non nixi. Et ratio est: quia iuxta communem Philosophorum sensum tota vis, & efficacia artis syllogisticæ innixa est eis principijs. *Dici de omni: Dici de nullo*, ac proindè omnis syllogismus rectè concludens debet niti eis principijs vel formalitèr immediatè, vel mediatè saltem, & æquivalentèr: sed omnis syllogismus eis principijs innixus nititur identitati. Nam sensus illius principij. *Dici de omni*, est, quod quidquid affirmatur de collectione distributivè sumpta, debet affirmari de quolibet in collectione contento, & cum illa identificato: & sensus alterius; *dici de nullo*, est, quod quidquid negatur de collectione distributivè sumpta negari debet de quovis intra collectionem contento, vtpotè etiam identificato cum illa; quod, vt per se patet, est, omnem syllogismum eis principijs innixum inniti identitati: ergo omnis syllogismus rectè concludens identitati innititur. Quare syllogismi adducti n. præcedenti, vt rectè concludant, identitati inniti debent, & æquivalent his: *omnis casus existentiæ revelationis divinæ de Incarnatione est casus existentiæ Incarnationis: hic est casus aliquis existētiæ illius revelationis: ergò est casus existentiæ Incarnationis*. Et alius in materia physolophica: *omnis casus existentiæ vnionis est casus existentiæ extremorum: hic est aliquis casus existentiæ vnionis: ergò & existentiæ extremorum*. Sed vt locum habeat quæstio demus syllogismos aliquos connexioni tantùm innixos. Quo proposito.

109 Dico 3. Assensus præmissarum sive antecedentis essentialitèr connexi cum consequente, & ab illo realitèr distincti, necessitat intellectum quoad exercitium ad assensum conclusionis. Probatur. Quoties per præmissas proponitur intellectui evidentèr obiectum conclusionis, manet intellectus necessitatus ad assentiendum obiecto conclusionis; nisi per assensum præmissarum ei veritati obiectivæ conclusionis satisfecerit. Constat hoc ex huiusque dictis. Sed in syllogismis, de quibus nunc est sermo proponitur intellectui evidentèr per præmissas obiectum conclusionis, & aliundè per assensum præmissarum non satisfecit intellectus ei veritati obiectivæ conclusionis: ergo manet intellectus quoad exercitium necessitatus ad assensum conclusionis. Consequentia est legitima, & prima pars minoris certa. Si enim evidens est intellectui per præmissas existere extrema, si existat vnio, & existere vnio-

vnionem, evidens est ipsi, existere extrema.

11 Quoad secundam partem difficilem probatur. Obiectum evidentèr notum intellectui dignum est assensu realitèr, saltem implicitè, & absolutè ipsum amplectentem: item formalitèr, & immediatè incomponibile cum opposito dissensu: sed in syllogismis, de quibus nunc est sermo, assensus præmissarum non amplectitur adhuc implicitè, & absolutè obiectum conclusionis assensu formalitèr, & immediatè incomponibili cum opposito dissensu: ergo per assensum præmissarum non satisfecit intellectus veritati obiectivæ conclusionis. Consequentia est bona; quia non satisfit intellectus alicui veritati per assensum, quando assensus non est realitèr, & saltem implicitè ille, quo digna est talis veritas. Probatur minor. Iudicare existere extrema sub conditione vnionis, & existere vnionem, non est formalitèr, adhuc implicitè iudicare existentiam extremorum assensu formalitèr, & implicitè opposito huic: *non existunt extrema*: sed obiectum conclusionis est extremorum existentia: ergo per assensum præmissarum non [illegible] amplectitur intellectus, adhuc implicitè, obiectum conclusionis assensu formalitèr incomponibili cum opposito dissensu. Probatur maior. Quia iudicare existere extrema sub conditione vnionis, & existere vnionem, non est absolutè iudicare, adhuc implicitè existere extrema; sed præcisse est iudicare conditionatè existentiam extremorum, & absolutè existentiam vnionis ab extremis realitèr distinctæ.

111 Confirmatur, & explicatur 1. Hoc iudicium: *existit creatura connexa cum Deo*, non iudicat formalitèr adhuc implicitè, existentiam Dei quippè nihil iudicat de Deo; sed de creatura connexa cum Deo iudicat existere: sed iudicium de existentia extremorum, sub conditione vnionis, & de existentia vnionis nihil iudicat de extremis absolutè; sed de vnione connexa cum ipsis iudicat existere: ergo non iudicat formalitèr, adhuc implicitè, & absolutè existentiam extremorum. Explicatur secundo. Ideò hoc iudicium: *Petrus est homo* iudicat absolutè, & formalitèr, saltem implicitè, Petrum esse animal rationale; quia hoc iudicium: *Petrus est animal rationale* nihil iudicat non iu-

iudicatum per primum; sed id ipsum affirmat licèt sub alijs terminis: sed hoc iudicium *existunt extrema* aliquid indicat absolutè, & formalitèr, saltim implicitè, non iudicatum absolutè per iudicium de existentia extremorum sub conditione existentiæ vnionis: ergo iudicium de existentia extremorum sub conditione vnionis non iudicat absolutè, & formalitèr saltim implicitè existentiam extremorum.

112 Explicatur 3. veritas obiectiva proposita evidentèr intellectui, vt absolutè existens meretur assensum absolutum sui, dignaque est, vt intellectus illam amplectatur per absolutum assensum ad ipsam terminatum; neque eius meritis satisfit, neque per assensum purè conditionatum terminatum ad ipsam, neque per assensum absolutum terminatum ad aliam rem realitèr distinctam, vt ipsis terminis patet: sed in vi illarum præmissarum proponitur evidentèr intellectui, vt absolutè exercita absoluta existentia extremorum: ergo meretur assensum absolutum intellectus ipsam absolutè amplectentem, quin ipsi fiat satis; neque per assensum conditionatum circa ipsam, neque per assensum absolutum terminatum ad aliam rem realitèr distinctam. Nunc sic. Sed illa præmissa maior est assensus purè conditionatus circa existentiam extremorum; & minor est assensus absolutus circa vnionem distinctam realitèr ab extremis: ergo per nullam ex præmissis est satisfactum existentiæ absolutæ extremorũ merendi assensũ absolutũ ab ipsam terminatum.

113 1. Objicies 1. Magis connectitur identitas duorum cum tertio cum identitate eorum inter se; quam existentia vnionis connectitur cum existentia extremorum: sed prior connexio iudicata per præmissas non necessitat intellectum quoad exercitium ad assensum identitatis extremorum inter se: ergo neque secunda necessitabit ad exercitium assensus existentiæ extremorũ. Vrgetur: identitas duorum cum tertio est connexio cum identitate duorum inter se; & tamen assensus conclusionis ei connexioni subnixus non est quoad exercitium necessarius. Ad argumentum, permissa maiori, & concessa minori; nego consequentiam. Nam identitas duorum inter se iudicata est per iudicium de identitate ipsorum cum tertio; ac per consequens per hoc iudicium satisfactum est iam ipsius veritati. Existentia autem extremorum non est iudicata per iudicium de existentia antecedentis connexi cum ipsa. Vndè, manet ius veritatis ipsius non satisfactum per illud iudicium. Ad instantiam,

tiam. Connexio, posita in antecedenti est pure logica, & identitatis. Quare impossibile est, intellectum iudicare vnum extremum, quin aliud formaliter iudicet: at connexio posita in consequenti est physica, atque adeo potest intellectus vnū extremum iudicare, alio formaliter non iudicato. Vnde constat disparitas pro vno, & altero syllogismo.

114 Objicies. 2. Impossibile est intellectum conscium terminorum iudicare existere extrema, si existat vnio, & existere vnionem, & tamen negare existentiam extremorum: ergo iudicare existere extrema si existat vnio, & existere vnionem, est virtualiter iudicare existere extrema; ergo per primum iudicium satisfecit intellectus veritati obiectivæ existentiæ extremorum. Confirmatur *primo*. Qui amat aliquid essentialiter connexum cum alio cum prævisione eius connexionis virtualiter vult illud aliud: ergo qui assentitur antecedenti essentialiter connexo cum consequenti, virtualiter assentitur consequenti: ergo assensus vnionis est virtualis, & implicitus assensus extremorum existentiæ. Confirmatur *secundò*. Per primum iudicium manet intellectus persuasus de existentia extremorum: ergo per primum iudicium satisfacit intellectus veritati existentiæ extremorum.

115 Ad objectionem concesso antecedenti, distinguo consequens: virtualiter virtualitate illationis, seu determinationis, concedo; quia determinat intellectū ad aliud iudicium de existentia extremorum: virtualitate æquivalentiæ formalis, nego consequentiam. Quia non æquivalet formaliter, iuxta dicta, iudicio explicitè iudicante existere extrema. Ad primam confirmationem: nego antecedens: quia intellectus de nullo persuadetur nisi per iudicium, quo illud iudicat. Ad secundam, disparitas est: quia amare virtualiter aliquid, est quod ipsius existentia imputetur voluntati ipsam non amanti formaliter: cumq̃ amanti aliquid connexum cum alio cum prævisione connexionis imputari possit illius existentia: quatenus hæc necessario descēdit ab extremo posito libere ab amante, ideò qui vult aliquid essentialiter connexum cum alio virtualiter vult illud aliud, nempe virtualitate sufficienti ad imputabilitatem.

116 Cæterum assentiri formaliter implicitè, & virtualiter consequenti, est, quod assensus directè tendat circa ipsum absolutè illud indicando, licèt non sub terminis formalibus, & proprijs conclusionis; sed sub alijs diverso modo ipsam conclusionem

nem obiectivam exprimentibus. Cumque assensus antecedentis connexi, distinctique realiter à consequenti non tendat directè circa consequens, neque ipsum absolute iudicet, ideo assensus antecedentis non est virtualiter assensus consequentis. Secus se habet res in syllogismis nitentibus identitati, aut distinctioni cum tertio: quia in eis propter identitatem obiecti consequentis, cum obiecto antecedentis ipsum, consequens manet iudicatum directè, & absolutè, licèt non sub terminis proprijs, per iudicium antecedentis.

DISPVTATIO IV.

De divisione, & oppositione actuum intellectus.

EGimus disputatione praeterita de apprehensione, iudicio, & discursu in quae, tanquam in species immediatas dividitur humana intellectio. Restat modo hos actus in suas species subdividere.

(S)

SECTIO I.

Dividitur humana intellectio in suas species.

1 DIviditur *primò* cognitio, sivè apprehensiva, sivè iudicativa, sivè discursiva, in directam, & reflexam: directa est, quae attingit obiectum distinctum à cognitione: reflexa est, quae cognitionem habet pro obiecto. *Secundo* in intuitivam, & abstractivam: dequibus egimus disp. 1. sect. 4. *Tertiò* in distributivam, vagam, indefinitam, & singularem, de quibus in summulis. *Quartò* in cognitionem obiecti in alio, & in se: cognitio obiecti in se est, quae citra medium connexum cognoscit: cognitio obiecti in alio est, quae obiectum in medio cum illo connexo citra omnem discursum attingit.

2 *Quinto* cognitio, alia est evidens, alia obscura. Evidens, quae ea claritate obiectum attingit, cum qua non compatitur dubium, aut formido de opposito, neque ipsis patet aditus ad intellectum dum existit in illo actus evidens. Vnde evidentia formaliter stat in cognitione habente formaliter claritatem oppositam dubio, formidini, & obscuritati; radicaliter autem stat evidentia in principijs determinantibus ad eam

cog-

cognitionem; quæ principia sunt, vel species propria obiecti, vt accidit in visione oculari, vel apprehensio evidens ex propositione terminorum, quæ iudicium causat, vel præmissæ evidentes, ex terminis, aut ex principijs, quæ causant conclusionem formalem evidentem. Cognitio obscura est, quæ non tam clare repræsentat obiectum; sed potius tali modo, vt cũ ipsa dubiũ, aut formido de opposito compatiatur.

Sexto cognitio alia est quidditativa, alia comprehensiva. Prima, quæ quidditatem, & essentiam rei attingit claritate sufficienti, vt eam discernat ab omni non ipsa. Circa comprehensivæ conceptum mirum est, quantum varient AA. Placet conceptus assignatus à P. Oviedo, & quem illustrat P. Alphonsus tract. de Scientia Dei: videlicet eam esse cognitionem comprehensivam obiecti, quæ attingit explicite obiectum, & in obiecto intrinseca, & extrinseca ad ipsum pertinentia. ita, vt si obiectum perseveret variato aliquo ex his, quæ nunc habet perseveret etiam eadem cognitio. Hac ratione cognitio divina est comprehensiva, quia deficiente aliquo ex his actibus contingentibus intellectus, & voluntatis, quos Deus nunc habet, perseveraret eadem divina cognitio, sicue perseverat ipse Deus. Hoc cognitioni creatæ repugnat; quia ad defectum cuiuslibet obiecti, quod ea cognitio exprimit deficit necessario, & succedit alia. Vnde patet, per conceptum assignatum impossibilem probari cognitionem creatam comprehensivam Dei.

4 *Septimo* cognitio dividitur in scientiam certam, fidem, dubium, opinionem, & scrupulum. Scientia est notitia certa, & evidens per demonstrationem acquisita. Certa est actus connexus cum obiecto, qua ratione repræsentatur per ipsum Fides est actus, aut assensus præstitus obiecto propter authoritatem loquentis. Dubium aliud est negativum quod tunc accidit, quando intellectus quia pro neutra parte contradictionis habet fundamentum, nec rationem suadentem hæret nihil de obiecto iudicans: aliud positivum, quod tunc accidit, quando intellectus habens pro vtraque parte contradictionis aliquod fundamentũ iudicat, nullum esse sufficiens, vt alteri parti determinatè assentiatur. Vnde dubium positivum in hoc iudicio consistit. Formido, quæ propriè est actus voluntatis, & translativè vocatur etiam actus intellectus, est iudicium reflexum, quo intellectus iudicat, forte falli in eo, quod iudicat; quia alia iu-

dicia similibus fundamentis nixa, expertus est esse falsa. Opinio est iudicium prudens, & probabile de altera parte cōtradictionis compatibile cum formidine. Scrupulus strictè sumptus est formido de falsitate iudicij probabilis, quæ stat cum prudentia eius iudicij orti ex sufficienti motivo. In hac acceptione frequenter reperitur in viris timoratæ conscientiæ scrupulus circa res pertinentes ad bonos mores. Appellatur etiam scrupulus iudiciū temere, & sine fundamento conceptum de malitia alicuius obiecti, vel operationis. Hic scrupulus non stat cum prudentia iudicij de honestate illius operationis, ne assensus, & dissensus circa idem obiectum naturalitèr coniungantur. Dividitur etiam cognitio in practicam, & speculativam, de quibus in Logica.

SECTIO II.

De evidentia, & certitudine.

6 Aliqua de evidentia, & certitudine exponenda sunt valde necessaria ad theologicum institutum. Evidentia alia dicitur obiectiva, alia principij, alia actus. Evidentia actus est ipse actus evidens. Evidentia principij, est principium determinatum influere in actum evidentem. Evidentia obiecti est ipsum obiectum per actum attactum evidentem. Deinde evidentia quælibet dividitur in moralem, physicam, & metaphysicam. Ideoque omne quod de evidentia morali, physica, & metaphysica actus dixerimus suo modo dicendum est de evidentia principij, & obiecti.

7 Igitur tunc datur evidentia moralis actus, quando prudenter dubitari non potest de existentia obiecti: sic prudenter dubitari non potest de existentia Romæ, nec de existentia Mysteriorum fidei, quam testificant tot viri, docti, sancti, & prudentes. Hæc evidentia simplicitèr est obscura, quia licèt dubitari non possit prudenter de existentia obiecti; potest tamen physicè; quia physicè impossibile non est omnes homines testificantes existentiam Romæ falli, & me fallere. Vnde cum evidentia morali de obiecto, licèt non prudenter, & moralitèr; physicè tamen componitur dubium de opposito. Vnde evidentia moralis actus est iudicium assignatum de obiecto, & principium moralitèr evidens est principium determinans ad talem actum.

Evi-

8 Evidentia physica est cognitio orta ex principijs, cum quibus non componitur physicè, & ex natura rei non existentia obiecti huius naturæ est visio ocularis, & cognitio obiecti visi. Hæc evidentia naturalitèr excludit formidinem, & dubium: quia impossibile est aliquem naturalitèr dubitare de existentia albedinis, quam videt: at hic actus potest supernaturalitèr esse falsus; quia potest Deus miraculose conservare speciem albedinis deficiente albedine: id constat in Eucharistia vbi datur evidentia physica substantiæ panis, cũ detur evidentia physica accidentium cum ipsa connexorum: & tamen evidentia falsa est; quia ibi non datur substantia panis, vt Catholici fatemur.

9 Evidentia metaphysica est actus ea claritate obiectum attingens cum qua non compatiatur dubium aut formido, & quæ non possit subesse falsitati adhuc supernaturalitèr: talis naturæ sunt hi actus: *totum est maius sua parte*: *impossibile est eandem rem simul esse, & non esse*. Vbi nota evidentiam metaphysicam in genere evidentiæ perfectiorem esse physica; & physicam perfectiorem morali.

10 Ex his infero *primo*. Evidentiam formalem non distingui à cognitione evidenti. Nam evidentia formalis est ea forma, quæ sua claritate impedit dubium, aut formidinem de obiecto: sed hæc forma nulla alia esse potest quam cognitio; quia in nullo alio potest inveniri claritas intellectualis: ergo. Inferes *secundo*. Actum evidentem moralitèr esse inevidentem, & obscurum metaphysicè. Constat ex num. 7. & 8. Inferes *tertio*. In eodem genere evidentiæ posse eundem actum esse evidentem, & obscurum circa diversas formalitates obiecti. Nam quando à longe video animal habeo evidentiam de identitate obiecti cum animali; & inevidentiam de identitate obiecti cum rationali. Qua vero ratione hoc verum sit absque contradictione, constat ex Logica.

11 Rogas: vtrum vnus actus evidens possit esse evidentior alio? Certum est 1. Actum evidentem metaphysicè esse evidentiorem actu evidenti physicè, & hunc evidenti moralitèr. Certum est 2. Intra genus evidentiæ moralis, alium actum esse evidentiorem alio. Nam evidentior moralitèr est actus iudicans existere Romã, quam actus iudicans existere obiectum, quod vnus, aut altèr homo tantum licet fide dignus testetur. Sed quid intra genus evidentiæ physicæ, & metaphysicæ? Certum est. Intra hæc genera evidentię alium actum esse

se clariorem alio. Quia alius exprimit plures formalitates obiecti, quam alius. An vero ideo vnus dicendus sit evidentior alio, quæstio est de voce. Nam quilibet, dum evidens sit, excludit omne dubium, & formidinem de obiecto, in quo ratio formalis evidentiæ consistit. Vnde solùm erit dissidium. An ille, qui pluribus titulis, aut maiore claritate dubium, aut formidinem excludit sit evidentior alio? Loquere vt volveris. Hæc de evidentia.

12 Certitudo, alia est obiectiva, alia formalis alia subiectiva. Obiectiva est sola entitas obiecti cognoscibilis per actum. Formalis est actus ipse certus, & certitudo actus in eo formaliter consistit, quod sit determinatus ad verum, seu in connexione illius cum obiecto, qua ratione illud repræsentat. Sic actus nostræ Fidei, licet obscuri, & inevidentes certi sunt, quia connexi cum obiecto revelato. Vnde colliges *primo*. Non esse idem actum esse certum, & esse evidentem. Colliges *secundo*. Non distingui ab actu certo eius certitudinem: quia hæc stat in connexione actus cum obiecto, & actus connexio adæquatè identificatur cum actu. Colliges *tertio*. Certitudinem, & infallibilitatem esse idem. Colliges tandem. Incertitudinem nihil aliud esse, quam actum, non connexum cum existentia obiecti.

13 Certitudo subiectiva est adhæsio intellectus ad obiectum quod iudicat verum, per quam excludit oppositam formidinem. Hæc adhæsio stat in ipso actu, vt provenientе ex principijs excludentibus formidinem, & in carentia ipsa formidinis. Potest etiam hæc adhæsio provenire non ex principijs obiectivis assensus: sed ex imperio voluntatis, quatenus voluntas eo affectu imperat assensum, qui incomponibilis est cum dubio: sic Fideles adhæremus rebus nostræ Fidei. Sed nota certitudinem subiectivam, quæ provenit ex principijs obiectivis non stare cum falsitate actus moraliter, physice, aut metaphysicè. Quia ea principia semper determinant assensum evidentem moraliter, physicè, aut metaphysicè, iuxta ipsorum naturam. Cæterum certitudo subiectiva proveniens ex imperio voluntatis moraliter, physicè, aut metaphysicè stat cum falsitate assensus; vt patet in hæretico, qui adeò adhæret suis erroribus, ac nos nostræ Fidei Mysterijs.

14 Certitudo actus, seu formalis (idem suo modo dicendum est de subiectiva, & obiectiva) alia est moralis, alia physica, alia metaphysica. Moralis est actus proveniés

à principijs, quæ moraliter non possunt influere in actum falsum, seu actus moraliter connexus cum obiecto. Physica est actus proveniens ex principijs, quæ ex natura rei non possunt influere in actum falsum, seu actus connexus ex natura rei cũ obiecto. Metaphysica est actus proveniens ex principijs, quæ nulla ratione possunt influere in actum falsum: seu actus essentialiter connexus cum obiecto. Inde colliges, actũ certũ metaphysicè certiorẽ esse certo physicè, & hunc certo moraliter

15 Rogas. An intra idem genus certitudinis possit vnus actus esse certior alio? Certum est, id defacto accidere inter actus certos moraliter. Nam certior est moraliter actus, qui nititur testimonio plurium dignorum Fide, quam qui paucorum. Intra genus certitudinis physicæ, dico, vt supra num. 11. vnum posse esse clariorem alio; sed non certiorem: quia certitudo stat in connexione physica cum obiecto, & connexio non est maior, aut minor pro maiori, aut minori claritate. Maior tamen difficultas est intra genus certitudinis metaphysicæ. Iudico tamen, nullum esse certiorem alio: quia nullus est magis essentialiter connexus cum obiecto quam alius. Et ratio est: quia inter connexiones metaphysicas non est alia maior, & alia minor: eadem enim impossibilia inferrentur; quippè inferuntur omnia ex falsitate cuiusvis actus metaphysicè certi.

16 Dices cum P. Alph. dis. 15. § 3. & pluribus, quos pro se refert. Actus Fidei oritur ex divino testimonio tanquam ex principio obiectivo, & ex habitu Fidei tãquã ex principio physico, quorum neutrum potest influere in falsum: sed certitudo sumitur ex determinatione ad non influẽdũ in falsũ: ergo actus Fidei divinæ certior est quovis actu naturali metaphysicè certo. Respõdeo id probare, actum Fidei pluribus titulis esse certum; quia pluribus titulis est cõnexus cum obiecto; non tamẽ, esse certiorem, quia non est magis connexus cũ obiecto; cũ inter connexiones metaphysicas non sit vna maior alia. Neque vt iudico id opponitur Authoribus oppositæ sententię qui solũ intendere possunt, esse magis certum, quasi extensivè; quia plura sunt capita pugnantia eius falsitate.

17 Inde colligo *primo*. Actum naturalem metaphysicè certũ æquè certũ esse, ac actus Fidei supernaturales. Constat ex dictis. Colligo 2. Quevis actũ naturalẽ evidentẽ esse, certiorem actu Fidei certitudine subiectiva. Probatur. Certitudo subiectiva est adhęsio excludens formidinẽ, & dubium de opposito: sed magis adhæret intellectus obiecto evi-

evidenter noto, quam credito per Fidem: ergo actus evidens naturalis certior est certitudine subiectiva actu Fidei. Minor probatur. Quia intellectus non potest dubitare, nec formidare, adhuc imprudenter, de obiecto evidenter noto, vt supra dictum est; potest, autem, imprudenter dubitare de obiecto Fidei propter obscuritatem, qua proponitur divinum testimonium, cui Fides nititur.

SECTIO III.

De oppositione horum actuum inter se.

18 Loquimur de oppositione naturali. Et in hoc sensu; certum est *primo*: cum opinione, & fide humana non componi circa idem obiectum dubium, sivè positivum, sivè negativum. Nam opinio, & fides sunt iudicia, quibus intellectus ex prudenti fundamento adhæret obiecto; cum eis autem iudicijs non stat hæsitatio negativa intellectus. hoc est suspensio actus; nec iudicium de defectu prudentis fundamenti pro assensu alterius partis, quod esset dubium positivum. Certum est *secundo*; cum assensu Fidei divinæ non stare formidinem de obiecto, si assensus ex suo modo tendendi acceptet authoritatem divinam, vt infallibilem. Nam intellectus per hanc acceptationem certus est de existentia obiecti; & cum ea certitudine non componitur iudicium formidolosum; videlicet, iudicans forte intellectum falli, & posse obiectum aliter se habere. Certum est *tertio*. Propter oppositam rationem, formidinem componi cum fide humana, & opinione.

19 Certum est *Quarto*: Cum cognitione evidenti non componi aliam cognitionem obscuram formidolosam circa idem obiectum. Quia non potest intellectus iudicare, forte non existere obiectum, quod evidenter noscit existere. Certum est *Quinto*. Sæpe in intellectu coniungi opinionem, formidinem, evidentiam, scientiam, & fidem circa diversa obiecta: quia in hoc nullum est dubium. Difficultas tamen est. An possint in intellectu naturaliter coniungi scientia, & fides: item scientia, & opinio, sive scientia, & evidentia sit intuitiva, sive abstractiva, circa idem obiectum? Rursus: An idem actus possit esse scientiæ, & fidei; aut scientiæ, & opinionis. Latè agunt de his Theologi ad tractatum de Fide: Nos breviter aliquam notitiam dabimus.

*** ***
***

§.

§. I.

Possunt coniungi in intellectu scientia, & Fides, & scientia, & opinio circa idem obiectum; per diversa tamen media.

20 ITa communiter DD. nostræ Societatis contra Thomistas. Probatur 1. apriori. Hi actus non opponuntur quoad simultaneam existentiam: ergo possunt simul existere. Probatur antecedens. Non opponuntur ex obiecto; quia suppono obiectum esse idem. Non ex modo tendendi. Probatur hoc. Modus tendendi ipsorum est, quod alter sit clarus, & alter obscurus: sed hi modi tendendi non opponuntur quoad simultaneam existentiam: ergo non opponuntur ex modo tendendi. Minor probatur *Primo.* Cum actu evidenti de hominum mortalitate stat propositio Fidei eiusdem obiecti; ac proinde apræhensio eiusdem ex motivo Fidei, quæ apræhensio, vt per illud motivum existens obscura est, vt patet. *Secundo:* quia actus certus, & incertus non opponuntur quoad simultaneam existentiam: sæpe enim coniunguntur circa idem obiectum Fides divina certa, & humana incerta: cur ergo opponentur actus clarus, & obscurus? Non enim magis contrariatur obscuritas claritati, quam certitudo incertitudini. *Tertio:* iudicium, & appræhensio, actus efficax, & inefficax habent modos tendendi essentialiter distinctos; & tamen non opponuntur quoad simultaneam existentiam: ergo neque duo actus, quorum alter ex modo tendendi sit clarus, & alter obscurus.

21 Probatur. 2. conclusio. Tùm quia Paulus ad Hebreos 11. docet, necessitatem, & obligationem esse credendi existentiam Dei, vt Authoris naturæ; vt bene probat P. Izquierco disp. 4. quæst. 5. Et tamen Dei, vt Authoris naturæ evidentiam habemus. Tùm quia Angeli tempore viæ habuerunt Fidem Dei, vt tanquã certissimum tenet P. Suarez, cum D. Thoma; & tamen Angeli habuerunt evidentiam Dei. Tùm quia negari non potest, Beatam Virgenem, & Apostolos Fide divina cerdidisse ea ipsa Misteria, quæ experientia oculari experimentalitèr evidenter noscebant vt Mortem, Ascensionem, Resurrectionem Christi. Tùm quia nos fidem habemus de hominum mortalitate, quam evidenter ipsa experientia noscimus. Tùm quia existentiam Solis, quam oculis videmus; sæpe etiam iudicamus propter aliorum testimonium. Tandem: quia quid probi-

hibet discipulum persuasum evidenter de aliqua veritate, eadem sibi suadere propter authoritatem Magistri.

22 Quorum omnium ratio potest esse *primo.* Quia cum motivum scientiæ, & fidei in suasionem eiusdem veritatis obiectivæ, tendant, non est cur vnum alterum impediat; potius ratio est, vt vnum alterum admitat secum, tanquam eandem causam agentem. *Secundo.* Quia quilibet horum actuum præstat effectum diversæ rationis; ideòque neuter naturalitèr superfluit: actus, enim, scientiæ tēdit in obiectum propter ipsum, vt sic dicam, & actus fidei tendit in ipsum propter authoritatem loquentis: quare intellectus per fidem, & præstat assensum obiecto, & obsequium intellectuale authoritati loquentis, quam per assensum acceptat, & intellectualiter reveretur; per scientiam, autem, simile obsequium non præstat.

23 Observa *primo.* Idem dicendum esse de compatibilitate, opinionis, & fidei humanæ cum scientia, & evidētia, propter eandem rationem. Nec contra est, fidem humanā, & opinionem, quæ obscurę sunt, coniungi cū formidine de obiecto, quæ cum evidentia non compatitur ex num. 18. & 19. Nam opinio, & fides humana non trahunt secum necessario formidinem; sed possunt cum illa coniungi; nisi aliunde impediatur: impeditur, tamen per scientiæ claritatem. Observa *secundo.* Idem dicendum esse de habitibus his actibus respondentibus: quia si actus existere simul possunt in intellectu, cur non habitus?

24 Obijcies 1. D. Paulum ad Hæbreos 11. asserentem fidem esse: *argumentum non apparentium*: & PP. docentes *primo*: non posse credi obiecta, quæ apparent. *Secundo.* Fidem nullum habere meritum dum obiectum ipsius videtur. Respondeo Divum Paulum non dicere omnia, quæ creduntur, non apparere; sed aliqua: nam eodem modo dicit fidem esse *sperandarum substantiam rerum*; cum certum sit, fidem esse etiam rerum timendarum, vt sunt iudicium, & mors; & rerum præsentium, & præteritarum, quæ vt tales sperari non possunt. Respondeo deinde. Fidem esse rerum non apparentium ex motivo fidei, scilicet per revelationē, quæ semper obscura est. Sic explicantur PP. videlicèt, non posse credi obiecta, quæ per ipsum motivum fidei apparent. Et fidem non habere meritum, dum obiectum per motivum ipsum fidei videtur. Atque hoc forte, non est absolute necessarium. Quia plures, etiam ex Thomistis, docens, fidem stare posse cum evidentia in attestante, seu quod idem est, cum evi-

evidentia revelationis. Fateor tamen, aliquatenus minui fidei meritum dum obiectum, adhuc per aliud motivum, evidens est: quia tunc facilius est suaderi de obiecto revelato; minusque obsequium præstatur authoritati loquentis.

25 Obijcies 2. vis motiva fidei omnino deficit ad conspectum evidentiæ: ergo dum est scientia, non potest intellectus credere, seu assentiri obiecto ex motivo fidei. Antecedens probatur *primo*: quia ea vis motiva tunc est superflua ad assensum obiecti, cui iam est præstitus assensus scientificus. *Secundo*: quia lux remissa non conducit ad visionem obiecti ad præsentiam magnæ lucis Solis. Nego antecedens. Quia per evidentiam obiecti nihil minuitur de authoritate testificantis. Deinde, quia evidentia obiecti non tollit, quod ergo obsequium præstitū loquenti acceptando eius authoritatem per assensum, qui ex suo modo tendendi feratur ita in obiectum, ac si per aliud medium obiectum non esset notum. Vnde constat ad primam probationem. Ad secundam illud est verum, quia lux remissa remissior est, quam lux à sole producta in illo medio: quia agens remissum non potest intendere intensius se, quando vtrumque est vnivocum: at motivum fidei constituit cum intellectu causam æquivocam respectu assensus fidei; quam respectu fidei non potest constituere cum intellectu motivum scientiæ.

26 Obijc. 3. Assensus fidei debet esse liber, sed in hoc casu quivis assẽsus esset necessarius: ergo nō potest in hoc casu esse actus fidei. Min. Prob. Quia evidentia obiecti necessitat intellectum ad assensum. Resp. *primo* neg. mai. vniversaliter sumptam: quia cum natura assensus fidei non pugnat, quod necessario fiat. Respondeo *secundo* admissa maiori, neg. min. & eius probationem. Quia ex dictis disput. 3. sect. 3. intellectus non necessitatur ad assensum obiecti evidenter noti, quando ipsi iam satisfactum est; & satisfactum est iam per assensum sciẽtiæ. Respondeo *tertio*. Esto ex motivo scientiæ necessitaretur intellectus ad assentiẽdum iterum obiecto: liber tamen esset, vt ipsi assentiret propter authoritatem loquentis non apparẽtem evidenter. Vnde assensus fidei semper est liber. Obijcies 4. In Beatis non stat fides cum visione Dei; quia clara est, & evidens: ergo fides, & evidentia opponuntur. Respondeo si verum est antecedens, non ideo verum est, quia physicè ipsi actus opponantur; sed quia perfectioni status Beati, minus cōsonat modus obscurus cognoscendi, de quo Theologi.

Obij-

27 Obijcies. Evidentia, & opinio componi non possunt. *Primo.* Quia evidentia comparatur possessioni, & opinio desiderio: sed non componuntur desiderium, & gaudium de eodem obiecto: ergo neque scientia, & opinio. *Secundò.* Quia fides assentitur obiecto, & authoritati loquentis, & opinio soli obiecto: ergo quando tales actus coniunguntur non erunt circa idem obiectum, contra suppositionem quæstionis. Respondeo ad *primum.* Gaudium, & desiderium non compati: quia desiderium ex suo modo tendendi petit obiectum non apparere existens, & gaudium è contra, petit obiectum apparere existens scientia, autem, & fides solum opponuntur, ex eo quod cum vtraque in idem obiectum tendat, altera tendit clarè, & altera obscurè, & in hoc intendimus implicationem non esse. Ad *secundum* respondeo *primo*, actum fidei non iudicare authoritatem loquentis, quam repræsentat; sed propter ipsam præiudicatam, aut antecedenter propositam iudicare obiectum. Respondeo *secundò.* Licet actus fidei iudicet authoritatem loquentis semper est verum; habere idem obiectum ac opinio; licèt vltra obiectum opinionis habeat aliud.

(§)

§. II.

Idem actus potest esse scientiæ, & fidei, item scientiæ, & opinionis.

28 PRobatur 1. Potest idem actus intellectus eidem obiecto asentiri ex duplici motivo formali, quorum quodlibet sufficeret seorsim movere intellectum ad assensum: ergo potest idem actus eidem obiecto assentiri ex motivo scientiæ, & fidei, ac per consequens potest esse scientia, & fides. Antecedens probatur *primo.* Quia sæpè conclusioni, quã à principijs intrinsecis certam iudicamus, indivisibili actu propter ea principia assentimur, & propter authoritatem Ministri, cui subnixi eidem conclusioni præberemus assensum, licèt principia intrinseca non essent. *Secundo.* Quia ex dictis in Physica lib. 2. disp. 8. Voluntas eodem actu potest velle idem obiectum materiale ex duplici fine, quorum quilibet seorsim ab alio movere posset voluntatem ad amorem eius obiecti.

29 Probatur 2. Quia authoritas dicentis, quæ est motivum fidei se sola sufficit movere intellectum ad assensum: item sufficit movere evidens obiecti proposito, quæ motivum scientiæ est: ergo vtraque si-

simul potest movere intellectum ad assensum indivisibilitèr vtrumque respicientem. Probatur consequentia. Quoties duæ causæ physicæ potentes producere effectum coniunguntur, per indivisibilem concursum influunt in effectum, si in tali influxu nulla appareat implicatio ergo idem continget in causis intentionalibus. Sed quælibet ex causis intentionalibus asignatis, potest intentionalitèr assensum causare ergo vtraque simul sumpta potest movere intellectum ad assensum indivisibilitèr vtramque respicientem, si in hac motione nulla appareat implicatio: sed nulla apparet, vt constabit solutione argumentorum: ergo idem actus potest simul esse scientiæ, & Fidei. Stant communitèr pro hac conclusione nostri DD. apud P. Izquierdo disp. citata, quibus ipse subscribit. Adverte eisdem rationibus probari posibilitatem actus, qui sit scientia, & opinio simul.

30 Obijcies 1. Ille actus, quia scientia est, esset clarus, & quia Fides obscurus: sed idem actus nequit esse clarus, & obscurus; quia obscuritas negat claritatem: ergo imposibilis est ille actus. Obijcies 2. Actus asignatus, quia actus Fidei esset liber; & quia scientiæ necessarius; & idem actus nequit esse liber, & necessarius vt patet. Respondeo ad primum, illum actum esse positive clarum, & negativè seu præcisivè obscurum. Est positivè clarus; quia nititur motivo scientiæ. Est negativè obscurus; quia ex motivo Fidei non haurit claritatem; non tamen habet obscuritatem ex eo motivo; quia Fides non dicit absolute obscuritatem; sed defectum claritatis ex motivo proprio Fidei. Ad secundum, ille actus esset liber; quia licèt admittamus gratis, intellectum esse necessitatum ad assentiendum obiecto evidenter noto per actum solius scientiæ; tamen intellectus obiecto proposito per vtrumque motivum liberè assentitur: potest enim assentiri ipsi, aut própter vnum solum, aut propter vtrumque simul.

31 Obijcies 3. Si idem actus posset esse scientia, & Fides: ergo posibilis erit entitas, quæ sit accidens, & substantia. 4. Hic actus neque posset elici ab habitu solo scientiæ; quia esset actus Fidei; neque elici ab habitu Fidei solo; quia esset actus scientiæ, in quem nequit Fidei influere: ergo cum supernaturalis sit, & Theologicus; quia immediatè movetur ex divina authoritate asignandus est pro hoc actu habitus Theologicus distinctus à Fide, Spe, & Charitate. 5. Hic actus, quia scientia esset evidens, & quia indivisibilitèr motus ex motiuo Fidei non esset evi-

evidens: ergo implicaret. Probatur antecedens quoad secundam partem. Conclusio deducta ex vna præmissa evidenti, & altera probabili, non est conclusio evidens; sed inevidens, & obscura: ergo actus, qui indivisibilitèr movetur ex motivo scientiæ, & Fidei non erit evidens, sed inevidens, & obscurus.

32 Respondeo ad tertium; disparitatem esse; quia substantia essentialitèr opponitur accidenti, & è contra. Vnde impossibilis est entitas, quæ simul sit accidens, & substantia. At intendimus Fidem non opponi in eodem actu cũ scientia; quia nullam pugnam invenimus in tendentia indivisibilitèr respiciente motiva scientiæ, & Fidei: sic etiam idem actus indivisibilis potest esse misericordia, & pœnitentia, si ex vtroque motivo indivisibilitèr moveatur. Ad quartum potest dici *primo*, hunc actum produci indivisibilitèr ab habitibus scientiæ, & Fidei à quolibet tamquam à causa partiali. Vel *secundo*, non produci ab habitu Fidei propter rationem assignatam in argumento: nec ab habitu infusso Theologico distincto à Fide, Spe, & Charitate; quia habitus permanens non datur ad actus rarò accidentes, qualis est hic dequo loquimur; sed ab auxilio extrinseco produci præfatum actum, à

Sed de hoc latius Theologi ad tractatum de Fide.

33 Ad quintum est disparitas. Quia conclusio non respicit aliud motivum, quam obiectum præmissarum, vt per ipsas propositum, videlicet identitatem cum tertio; ideoque nequit maiorem, aut diversam claritatem habere ab ea, qua proponitur per præmissas talis identitas; at ea identitas, vt præposita per præmissas, dequibus est sermo, non est evidens intellectui, cum altera ex ipsis sit obscura: vnde nititur conclusio obiecto formali inevidenti. In nostro verò casu actus est evidens; quia nititur motivo formali evidenti, cuius evidentia non minuitur per coniunctionem cum obscuritate motivi Fidei. Vno verbo, Neutra ex præmissis est se sola adæquatum, & sufficiens motivum conclusionis. Vnde vtraque eget consortio alterius, vt ad conclusionem determinet; conclusioque evadet obscura, si aliqua ex præmissis sit obscura, cum hæc constituat absolute obscurum motivum vnicum, & per se requisitum ad conclusionem. At motivum scientiæ se solo, & sine consortio motivi Fidei est sufficiens ad indicendum actum evidentem, & hæc vis impediri non potest per coniunctionem cum mitivo Fidei à quo indivisibilitèr talis actus moveatur.

Vt

34 Vt alia minoris momenti solvas observa *primo*. Hunc actum non definiendum pluribus definitionibus adæquatis; sed vna, quæ ipsum quatenus scientiam, & quatenus Fidem explicet, licèt possit diversis definitionibus in adæquatis explicari. Idem dicito si actus plusquam duo obiecta formalia respiciat. Observa *secundo*. Eundem actum non posse esse apprehensionem, & iudicium eiusdem obiecti. Quia apprehensio est cognitio non iudicativa, & impossibile est eundem actum esse cognitionem iudicativam, & non iudicativam eiusdem rei. At quod idem actus iudicet idem obiectum propter evidentiam principiorum, & propter auctoritatem loquentis nullo ex capite impossibile est. Observa *tertio*. Actum, de quo loquimur, licet nixum motivo naturali scientiæ, non esse naturalem, nec permixtum ex naturali, & supernaturali; sed absolutè, & integrè supernaturalē: quia actus supernaturalis ille dicitur ad cuius effectionem sola natura non sufficit, & sola natura non sufficit ad actum, qui essentialiter oritur à motivo supernaturali Fidei. Ob hāc rationem supernaturalis est amor procedens à voluntate naturali, & habitu supernaturali Charitatis.

35 Observa *quarto*. Non posse eundem actum esse scientiæ, & Fidei ex eodem motivo; licet admittamus, posse existere simul duos actus alterum scientiæ, & alterum Fidei ex eodem motivo. Quia modus, quo actus Fidei tendit in suum motivum adeo est dissimilis, & oppositus modo, quo tendit in suum motivum actus scientiæ, vt illi modi tendendi non possint reperiri in eodem actu circa idem motivum: sicut in eodem actu nequit inveniri circa idem obiectum modus tendendi iudicij, & appræhensionis. Hinc, sicut non potest dari actus, qui æquivaleat in modo tendendi iudicio, & aprehensioni: ita non potest dari actus, qui æquivaleat actui Fidei, & actui scientiæ, quos admittimus coniungibiles in intellectu ex eodem motivo.

SECTIO IV.

De oppositione assensus, & dissensus.

36 Assensus dicitur: *iudicium affirmativum obiecti*, & dissensus: *Iudicium obiecti negativum*. Quærimus: An simul possint existere in intellectu circa idem obiectum, & sub eadem expressione? Quia intellectum sæpe eidem obiecto assentiri, & dissentiri

simul, sub diversis expressionibus constat ex dictis in Logicâ circa præcisiones formales. Et quæstio procedit tàm ex natura rei, quàm de potentia absoluta. Quidquid autem de simultate assensus, & dissensus in intellectu dicatur, eodem modo dicendum est de simultate amoris efficacis, & efficacis odij relate ad voluntatem.

§. I.

Proponitur, & probatur vera sententia.

57 Sed pro maiori intelligentia, prius notandum est *primo*. Non esse quæstionem de simultate assensus, & dissensus quoad ipsorum simultaneam veritatem, aut falsitatem. Quia evidens est, non posse simul esse veros, aut falsos, cum evidens sit, eandem rem non posse simul existere, & non existere: existeret, autem, simul, & non existeret, si simul darentur veritas, & falsitas, assensus, & dissensus, vnde solùm est quæstio de ipsorum compatibilitate physica, præscindendo à capite veritatis.

38 Notandum est *Secundo*. Simul posse existere assensum, & dissensum si intellectus non advertat illud principium lumine naturæ notum, *quodlibet est, vel non est*, aut si erroneè iudicet esse falsum. Probatur. Quia tota difficultas coniunctionis horum actuum stat in eo, quod intellectus nequeat iudicare id, quod apparet evidenter falsum, quale est, rem simul existere, & non existere, quod iudicaret per assensum, & dissensum: sed dum intellectus non advertit illud principium, aut erroneè iudicat esse falsum, non apparet ipsi evidenter falsum, rem simul existere, & non existere, quod iudicaret per assensum, & dissensum: ergo in ea suppositione simul possunt coniungi in intellectu illi actus. Confirmatur. Tàm est impossibile, voluntatem desiderare serio obiectum impossibile, quam intellectum iudicare obiectum evidenter falsum; sed si voluntas non aduertit obiectum esse impossibile, aut erroneè proponitur ipsi esse possibile, potest illud serio desiderare, vt certo constat: ergo dum intellectus non cognoscat, obiectum esse evidenter falsum, aut erroneè iudicet esse verum, poterit illud iudicare. His positis.

39 Dico 1. Stante notitia illius principij: *quodlibet est, vel non est*, aut illius: *impossibile est rem simul existere, & non existere*, nequit ex natura

rei

rei intellectus assentire, & dissentire eidem obiecto sub eadem expressione. Est communis Philosophorum sententia, quam plures dicunt demonstrabilem esse. Probatur ipsa experientia, qua novimus, dum assentimus obiecto statim cessare à dissensu antecedentèr proposito; neque possumus quamtumvis vellimus in ipso perseverare: ratio autem huius experientiæ est *primo*. Quia stante illo principio ex suppositione assensus iam apparet intellectui evidentèr falsum obiectum dissensus: sed intellectus ex natura rei nequit iudicare, quod ipsi evidentèr falsum apparet: ergo stante illo principio nequit intellectus ex natura rei simul assentire, & dissentire eidem obiecto. Maior est certa: quia si intellectus nóscit impossibile esse, rem simul existere, & non existere, & iudicat *existere*, necessarium est ipsi proponi impossibile, & evidentèr falsum, rem non existere.

40 Minor in qua stat difficultas probatur. Quia intellectus ex natura rei non potest iudicare obiectum, nisi ex parte huius detur aliqua vis motiva, & alliciens ad iudicium: sed ex parte obiecti quod apparet intellectui evidentèr falsum nulla datur vis motiva alliciens ad iudicium: ergo intellectus ex natura rei nequit iudicare, quod ipsi apparet evidentèr falsum. Minor probatur. Quia vis alliciens, & movens ad iudicium, vel est veritas obiecti evidens ex terminis, vel saltem proposita per apprehensionem suasivam de eius existentia: sed quando obiectum apparet evidentèr falsum neque datur veritas ipsius evidens ex terminis, vt patet; neque proposita per apprehensionem suasivam; quia cum evidentia de falsitate non stat apprehensio suasiva veritatis: ergo ex parte obiecti, quod apparet evidentèr falsum nulla datur vis motiva, & alliciens ad iudicium.

42 Confirmatur. Quando voluntati proponitur obiectum, ita malum, vt sub nulla ratione proponatur bonum, nequit ex natura rei illud amare: ergo cum intellectui proponitur obiectum, ita falsum, vt sub nulla ratione proponatur verum, nequit ex natura rei illud iudicare: sed in casu quæstionis res ita se habent; ergo nequit intellectus iudicare non existere obiectum ex suppositione assensus, quo iudicat, ipsum existere. Eadem ratione dicendum est, non posse voluntatem ex natura rei amare simul, & odio habere efficacitèr obiecti existenti, m. Quia obiectum non existere, ex suppositione, quod existat, impossibile est; sed voluntas nequit efficacitèr velle impossi-

sibile cognitum, vt tale: ergo dum vult efficaciter rem existere, nequit efficaciter nolle eandem existentiam.

44 Aliqui AA. sed sunt pro ratione huius naturalis incomponibilitatis assensus, & dissensus, physicam, & naturalem oppositionem ipsorum; quatenus unus per sui existentiam in intellectu, exigit, ne alter existat; non aliter ac calor, & frigus opponuntur in gradibus intensis. Cæterum hæc ratio ex eo mihi non probatur; quia si eam physicam oppositionem haberent inter se assensus, & dissensus, non possent coniungi adhuc deficiente notitia illius principij: *quodlibet est, vel non est*, vel stante iudicio erroneo de eius falsitate; & in præfatis suppositionibus posse naturaliter coniungi, verum est ex dictis num. 28. Quare tota incomponibilitas assensus, & dissensus reducenda est ad impotentiam intrinsecam intellectus, vt ex natura rei assentiatur obiecto ipsi proposito, vt evidenter falso: proponiturque intellectui evidenter falsum obiectum dissensus per coniunctionem ex duplici assensu, quorum alter amplectitur existentiam obiecti, & alter acquiescit veritati illius principij: *quodlibet est, vel non est*.

45 Dico 2. De potentia absoluta possunt coniungi assensus, & dissensus eiusdem obiecti in intellectu sub eadem expressione. Probatur *primo*. Quia in hoc nulla cernitur repugnantia, vt constabit solutione argumentorum. *Secundo*. Quia ideò posito assensu, nequit intellectus ponere dissensum; quia nec ex parte obiecti datur ratio ad assensum alliciens; neque ea deficiente potest voluntate determinari ad dissensum: sed licet hæc ratio probet intellectum non posse ex natura rei, neque ex propria determinatione dissentire, non probat, non posse de potentia Dei absoluta; Deo, videlicet, ipsum determinante, seu prædeterminante ad dissensum: ergo de potentia Dei absoluta possunt coniungi assensus, & dissensus. Minor probatur. Deficere totum id, quod ponitur in maiori non est deficere aliquam virtutem intrinsecam productivam dissensus; nec est deficere in re obiectum dissensus, vt est certum; sed præcisse est deficere applicationem obiecti, scilicet propositionem veritatis ipsius; sed de potentia absoluta potest intellectus dissentire obiecto, quod non est applicatum, videlicet, suplente Deo vices applicationis, sicut potest de potentia absoluta ignis agere in passum non applicatum: ergo hæc ratio non probat, intellectum assentientem

tem

tem non posse de potentia Dei absoluta dissentire.

44 Confirmatur. Determinet se intellectus ad dissensum, nempe adhoc indictum falsum: *Petrus non existit*; tunc in intellectu non de est virtus productiva assensus; neque deest obiectum assensus, cum existat Petrus: cur ergo non poterit Deus intellectum determinare, vt assensum ponat, & simul conseruet dissensum? Dices ideò non posse; quia existentia Petri in sensu composito dissensus proponitur evidenter falsa, & intellectus non potest iudicare, quod non proponitur, vt verum. Sed contra. Existentiam Petri proponi ut veram; seu quod idem est propositio veritatis existentiæ, non est obiectum formale assensus. Nam huius obiectum formale est ipsa existentia, quæ proponitur, vt vera: ergo licèt dissensus impediat, existentiam proponi vt veram, non impediat; Deum determinare ad assensum supplendo vices eius apparentiæ, quæ pura applicatio est; & si vis, sit comprincipium physicum assensus. Nam Deus etiam potest supplere influxum comprincipij physici in effectum.

45 Confirmatur *primo*. Tùm est impotens potentia visiva videre obiectum coloratum sine luce, & voluntas amare obiectum non bonum, quam intellectus assentire obiecto non verò; sed de potentia absoluta potest visus videre obiectum coloratum sine luce, & voluntas amare obiectum, quod non cognoscit, vt bonum, quia nimirùm Deus supplet vices lucis, & cognitionis: ergo de potentia absoluta potest intellectus assentire obiecto non verò, quia nimirum supplet vices propositionis veritatis Del. Et urgetur. Quia propositio veritatis, vel pura conditio est ad assensum, vel comprincipiū physicum cum intellectu concurrens; sed Deus potest supplere vices conditionis, ut diximus de igne; item potest supplere vices comprincipij physici: ergo potest determinare ad assensum intellectum dissentientem.

46 Confirmatur *secundò*. De potentia absoluta possunt coniungi in voluntate ingens gaudium, & vehemens tristitia de eodem obiecto: ergo in eodem intellectu coniungi possunt assensus, & dissensus. Antecedens est certum de Christo Domino, qui vsque ad mortem tristabatur de morte subeunda; & simul gaudio beatifico vehementissime gaudebat de ipsa morte, imò, & de ipsa tristitia. Consequentia probatur. Magis opponuntur vehemens gaudium, & vehemens tristitia, quam

quam assensus, & dissensus: nam tristitia, & gaudium valdè intensa, adhuc diversorum obiectorum, nequeunt ex natura rei coniungi in eadem voluntate, vt est certum; cum tamen assensus, & dissensus circa diversa obiecta sæpè coniungantur: ergò si potest Deus supernaturalitèr hos effectus voluntatis coniungere actus intellectus oppositos, scilicèt assensum, & dissensum.

47 *Tertio* probatur conclusio. Quia si incompossibilitas naturalis assensus, & dissensus est purè physica stans in exigentia, qua vnum alterius expulsionem, seu non existentiam petit, non est maior difficultas in ipsorum coniunctione, quam in coniunctionem caloris, & frigoris, in gradibus intensis, aut alterius duplicis formæ physicæ naturalitèr oppositæ; sed quamlibet formam oppositam cum altera contra ipsius exigentiam potest Deus coniungere cum altera: ergo potest coniungere assensum, & dissensum contra ipsorum exigentiam physicam, & naturalem, adhuc dato, quod hanc physicam incompossibilitatem inter se habeant, quod num. 42. constituit esse falsum.

(§)

§. II.

Solvuntur obiectiones.

48 OBjicies 1. Nequit intellectus conscius terminorum vnico actu sic iudicare: *Petrus existit, & non existit*: ergo neque per duos actus idem obiectum iudicare existere, & non existere. Consequentia patet: Quia sic iudicare illud obiectum per duplicem actum esset, saltem virtualitèr, assentire complexo existentiæ, & non existentiæ, quatenùs tale complexum est. Antecedens probatur. Quia complexum ex existentia, & non existentia Petri apparet intellectui conscio terminorum evidentèr falsum: ergo nequit intellectus conscius terminorum per vnicum actum illud iudicare verum. Respondeo *primo*: Admisso antecedenti propter rationem probationis, nego consequentiam. Quia duplex actus non esset virtualis assensus illius complexi quatenus talis: nam vnus fertur in existentiam, alter autem in non existentiam, divisim: ea ratione qua per apprehensiones prævias existentia, & non existentia proponuntur absque vlla propositione. Neque datur alter tertius actus, qui in existentiam, vt coniunctam cum non existentia feratur, iudicativè. Respondeo *secundò*, & est solutio tenenda; ne

negando antecedens: Ad probationem concesso antecedenti, distinguo consequens ex natura rei, seu ex propria determinatione, concedo, ex determinatione divina nego consequentiam.

49 Instabis 1. Intellectus est intrinsecè improportionatus ad assensum obiecti evidentèr falsi: ergo non potest à Deo determinari ad talem assensum. Consequentia est certa: quia ideò non potest Deus determinare potentiam visivam ad visionem obiecti non collorati; quia est improportionata intrinsecè ad videndum aliud obiectum. Antecedens, autem, probatur hac ipsa paritate. Potentia visiva est improportio alia intrinsecè ad visionem obiecti non colorati: ergo intellectus est intrinsecè improportionatus ad assensum obiecti evidentèr falsi. Dinstinguo antecedens: est intrinsecè improportionatus ad eum assensum, vt absolutè producendum, nego: vt producendum iuxta leges naturæ, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis, concedo antecedens, & nego consequentiam, disparitas est. Quia color est obiectum formale intrinsecum potentiæ visivæ, & nulla potentia potest, adhuc à Deo, ferri extra suum obiectum: at obiectum formale intrinsecum intellectus est verum transcendentaliter: cumque illud obiectum, nempè, simultas illa, quæ apparet evidentèr falsa, verum transcendentalitèr sit; quia potest per actum verum cognosci, videlicèt, per actum dicentem, eam esse impossibilem: Hinc dum intellectus à Deo determinatur, vt iudicet illam simultatem, non fertur extra suum obiectum formale ac per consequens non est intrinsecè improportionatus, vt ex divina determinatione ponat illum assensum.

50 Instabis 2. Assensus destruit obiectum formale dissensus: sed destructo obiecto formali dissensus, nequit Deus intellectum determinare, vt dissentiat; ergo cum assensu neque de potentia absoluta potest coniungi dissensus. Maior est falsa. Quia quando actus est probabilis componitur cum motivis etiam probabiliter suadentibus oppositum: tamen distinguo maiorem: destruit obiectũ formale intrinsecum, nempè veritatem trancsendentalem, nego maior. extrinsecum, nempè propositionem eius veritatis, concedo maiorem: & distinguo minorem: destructo obiecto formali intrinseco, concedo: extrinseco, nego minorẽ, & consequẽtiã. Quia Deus potest supplere vices eius propositionis determidando intellectum, vt sine præræquisitis ex parte naturæ ponat dissensum.

Adde: illam propositionem veritatis, adhuc ex natura rei non esse necessariam ad omne iudicium; vt patet in primo iudicio obiecti proveniente ab specie evidente nulla interveniente prçvia apprehensione suasiva veritatis obiecti, iuxta dicta disp. 3. sect. 2. §. 1.

51 Instabis 3. Nequit Deus ignem necessitare, vt simul habeat alteram actionem productivam caloris; & alteram destructivam: sed intellectus per assensum tribuit existentiam obiecto, & eandẽ destruit per dissensum: ergo nequit Deus determinare intellectum, vt assẽtiat simul, & dissentiat obiecto. Distinguo minorem: tribuit per assensum existentiam obiecto *intentionalitèr*, & eam destruit *intentionalitèr* per dissensum, concedo minorem: *physicè* tribuit, aut *physicè* destruit eam existentiam, nego minorem, & consequentiam propter disparitatem insinuatam. Quia cum implicet calorem simul existere, & non existere physicè implicat ignẽ simul illum physicè producere, & physicè destruere: at obiectum existere, & non existere intentionalitèr nihil aliud est, quam intellectum ipsi assentiri, & dissentiri, in quo intendimus nullam esse implicationem.

52 Instabis 4. Licèt obiectum non ponatur, & destruatur physicè per assensũ, & dissensum tamen intellectus per assensum, quatenùs est ex se, ponit in re existentiam obiecti, & per dissensum, quantum est ex se, illam tollit; sed nequit intellectus adhuc, vt à Deo determinatus quantum est de se ponere, & tollere existentiam obiecti: ergo nequit obiecto assentire simul, & dissentire. Et confirmatur. Tam connectitus intellectus cum impossibilitate existentiæ, & non existentiæ obiecti, quam ignis cum simultate existentiæ, & non existentię caloris: ergo tàm implicat, intellectum, ex determinatione adhuc divina, simul ponere, quantum est de se, illam simultatem, quam ignem, adhuc ex determinatione divina simul procedere, & destruere calorem. Ad instantiam distinguo maiorem, quatenùs est de se, hoc est ex sua determinatione, nego maiorem; hoc est iudicijs ex suo modo tendendi efficacitèr adhæsivis existentiæ, & non existentiæ, concedo maiorem; & distinguo minorem in eodem sensu, & nego consequentiam. Ad confirmationem intellectus nequit ponere illam simultatem, qua ratione cum ipsius impossibilitere connectitur: connectiturque cum impossibilitate illius simultatis, vt existentis physicè non vt existentis intentionalitèr. Quia existentia intentionalis simultatis,

ni-

nihil aliud est, quam simultas assensus, & dissensus, & hucusque non probatur, eam simultatem impossibilem esse. Ideò concesso antecedenti, nego consequentiam.

53 Objicies 2. Si possunt coniungi assensus, & dissẽsus, poterunt de potentia absoluta coniungi circa Mysterium Trinitatis: ergo homo potest esse simul hæreticus per dissensum, & fidelis per assensum. Objicies 3. Adhuc de potentia absoluta non possunt coniungi gratia, & peccatum: ergo neque assensus, & dissensus. Ad secundum concesso antecedenti, nego consequentiam. Quia homo non est hæreticus, aut fidelis dum absque libertate credit, aut discredit mysteria; & in casu argumenti homo neque assensum, neque dissensum libere haberet, saltem quoad coexistentiam: quia ea coexistentia, vtpotè, naturalitèr impossibilis non subditur imperio voluntatis. Ad tertium admisso antecedenti nego consequentam. Quia si antecedens habet veritatem, ideò est, vel quia peccatum consistit in privatione gratiæ, ac per consequens contradictoriè opponitur cum gratia, vel quia aliundè probabitur, indecentia in ea coniunctione: at assensus neque carentia est dissensus, neque è contra; neque indecentia probatur in Deo ex coniunctione ipsius cum dissensu, vt ostensum est.

54 Objicies 4. Intellectus per assensum manet prædeterminatus ad carentiam dissensus: ergo nec de potentia absoluta potest coniungi dissensus cum assensu. Confirmatur *primo*. Voluntas nequit divinitus velle simul, & nolle efficacitèr deambulare quia volitio est prædeterminatio ad carentiam nolitionis: ergo si assensus est prædeterminatio ad carentiam dissensus, nec de potentia absoluta poterit intellectus assentiens dissentire. Confirmatur *secundò*. Assensus, & dissensus provenientes ex determinatione intellectus, adhuc divinitus, sunt incomponibiles: ergo assensus proveniens, ex determinatione intellectus, & dissensus ex determinatione Dei adhuc divinitus sunt incomponibiles.

55 Ad argumentum distinguo antecedens: manet prædeterminatus ad carentiam dissensus, vt ponendi ex determinatione intellectus, aut ex imperio voluntatis, concedo: vt absolutè ponendi, adhuc relatè ad potentiam absolutam Dei, nego antecedens, & consequentiam. Ad *primam* confirmationem, nego antecedens. Quia ideò naturaliter non posset, quia posita nolitione proponitur ipsi naturalitèr impossibile obiectum

volitionis; & vidimus hanc rationem non probare in intellectu; vnde nec in voluntate probabit: tum deinde; quia nolitio solum determinat voluntatem ad carentiam volitionis ponendæ ex propria determinatione; non vt absolutè ponendæ, etiam relatè ad potentiam absolutam Dei. Ad *secundam* confirmationem semper manet imposibilitas naturalis, quę stat in defectu virtutis intellectus, vt à sua, vel voluntatis determinatione coniungat assensum, & dissensum, quam impossibilitatē nequit Deus vincere; quia nequit facere, quod intellectus habeat à se virtutem, quā intrinsecè non habet ponendi, videlicet, ex propria determinatione dissensum compositum cum assensu. Cæterùm potest Deus supernaturalitèr operando determinare virtutem intellectus, vt ex aliena determinatione ponat, quod neque ex sua, neque ex determinatione voluntatis ponere potest. Non alitèr, ac, licet Deus nequeat facere, quod ignis habeat virtutem agendi ex proppropria determinatione in distans; potest supernaturalitèr oporando facere, quod ex aliena determinatione agat in distans, id, quod ex propria, aut ex naturæ determinatione nequit facere.

DISPVTATIO V.

De Veritate actuum intellectus.

ACCEDIMVS Ad indagandam veritatis naturam: cuius rei disquisitio præcipuum obtinet locum inter phylosophicas disputationes: est, enim, veritas adeò nobilis proprietas actuum intellectus, vt plures essentiam iudicij consistere dicant in eius veritate, vel falsitate. Quamquam igitur hæc res, difficultatesque non minus graves, quam vtiles ad ipsam pertinentes, lōgum tractatum exposcant; nos brevitate, qua solemos, vtiliorē de veritate doctrinam in duas sequentes disputationes divisam dabimus. In hac de phylosophicis difficultatibus sermo erit in sequenti verò gravior, & subtiliora valdeque controversa inter Thomistas, & Nostros, & quæ ad institutum Theologicū spectant, attingemus.

SECTIO I.

Statuit conceptum metaphysicum veritatis, & nonnullis suppositis refert sententias circa eius constitutiva.

1 Div. Thomas. 1.p. quæst. 16. sic definivit veritatem: *Conformitas actus intellectus, & obiecti.* Hæc definitio communitèr est admissa ab omnibus. Tunc autem actus dicitur conformari cum obiecto, quando enunciat de obiecto id ipsum, quod obiectum habet in se. Vndè conformitas, in qua metaphysicè stat veritas, nihil aliud est, quam similitudo quædam intentionalis in eo consistens, quod obiectum se habet in essendo, sicut actus se habet circa ipsum in repræsentando. Clarius. In eo consistens, quod obiectum in se sit, vel non sit eo modo, quo actus dicit esse, aut non esse. Hinc disconformitas, in qua stat metaphysicè falsitas, est dissimilitudo intentionalis actus, & objecti in eo consistens, quod obiectum in se non sit eo modo, quo actus dicit obiectum esse.

Hæc apud omnes certa. De constitutivis physicis veritatis, est celebris quæstio, & difficultas, cum quonam scilicèt, ea conformitas, & similitudo identificetur? An cum solo actu? An cum actu, & obiecto? An cum aliquo distincto ab vtroque? sed antequam sententias refferam. Noto *primò*. Alios actus intellectus esse circa obiectum contingens; alios circa obiectum necessarium. Illi, quorum obiectum potest sic, vel alitèr se habere, seu potest existere, vel non existere: quale est obiectum horum actuum: *Petrus currit, Petrus sedet.* Secundi generis sunt actus, quorum obiectum non potest sic, vel alitèr se habere; sed necessario tale est, quale actus illud repræsentat: huiusmodi est obiectum horum actum: *Deus existit: Petrus est possibilis: chymæra repugnat.* Noto *secundò*. Circa obiectum contingens, alios esse actus connexos essentialitèr cum eius existentia, vt actus fidei; & quilibet actus supernaturales, iuxta communem opinionem, inferentes essentialitèr suum obiectum existere. Alios, autem, esse, aut excogitari posse, qui ita obiectum contingens repræsentat, vt ex nullo capite cum eius existentia connectantur.

2 Noto *Tertio*. Veritatem aliam dici formalem, & conformitatis; & aliam determinationis, illativam, & radicalem. Formalis est ipsa conformitas, & similitudo intentionalis actus, & obiecti. Determinationis, illativa, seu radicalis est de-

determinatio, & connexio essentialis, quam habet actus cum existentia sui obiecti eo modo, quo per actum affirmatur. Noto *quarto*. Omnis actus, etiam naturalis, circa obiectum necessarium essentialitèr connectitur cum sui obiecti necessaria existentia: v.g. hic actus naturalis: *Petrus est possibilis*: essentialitèr connectitur cum possibilitate Petri Probatur 1. Nam omnis actus, etiam naturalis, ex prædicato entis creati connectitur essentialitèr cum possibilitate cuiusvis possibilis, & impossibilitate cuiusvis impossibilis, ex dictis in Physica lib. 2. disp. 3. ergo ille actus: *Petrus est possibilis* essentialitèr connectitur cum possibilitate Petri per ipsum enuntiata. Quod idem dicendum est de hoc actu: *Chimæra est impossibilis*, qui cum impossibilitate chymæræ essentialitèr connectitur.

4 2. Absolutè probatur hoc notatum. Hic actus: *Petrus est possibilis* est essentialitèr repræsentatio Petri; potius quam equi: ergo essentialitèr connectitur cum eo, quod Petrus non sit equus; ac per consequens cum eo, quod Petrus sit prossibilis. Antecens est certum. Nam quivis intellectus actus per suam essentiam habet repræsentare id, quod repræsentat. Consequentia autem probatur. Ille actus si non connectitur essentialitèr cum eo, quod Petrus non sit equus, non esset essentialitèr potius repræsentatio Petri, quam equi; sed indifferens esset ad repræsentandum Petrum, & equum: ergo si essentialitèr est repræsentatio Petri, potius quam equi, essentialitèr connectitur cum eo, quod Petrus non sit equus. Respondet P. Izquierdo disp. 3. eum actum non connecti cum possibilitate Petri; quia non est immediata repræsentatio Petri in se; sed mediata, & in substituto, quod sibi subrogat intellectus pro cognoscendo Petro. Sed contra *primo*. Admissa ea doctrina (nobis falsa , ex disp. 1. sect. 3.) de necessitate substituti ad cognoscendum Petrum, solutio non solvit vim argumenti. Quod sic ostendo Per te (vt habes disput. 2. Sect. 3.) hæc cognitio *Petrus est possibilis* essentialitèr habet esse cognitionem Petri, & non alterius, licèt medio substituto: ergo essentialitèr habet Petrum, quem in substituto repræsentat, non esse alium à Petro, seu non esse equum, quod est essentialitèr habere, Petrum esse possibilem Probatur consequentia. Quia si non haberet essentialitèr Petrum non esse equum, non esset essentialitèr repræsentatio Petri, & non equi in illo phantasmate

tasmate subrogato pro Petro. *Secundò*. Vel hæc repræsentatio est solum connexa cum phantasmate Petri, & non cum Petro ipso, vel ulterius connectitur cum eo, quod illud phantasma sit potius Petri, quam equi? Si primum: ergo ea cognitio non est essentialitèr repræsentatio Petri potius, quam equi, quod est contra te, si secundum; ergo essentialitèr habet, Petrum distingui ab equo; quia habet essentialitèr illud phantasma subrogari pro Petro, & non pro equo, quod non stat, quin inferat distinctionem Petri ab equo.

5 Si dicas cum alijs: hanc cognitionem: *Petrus est possibilis* non esse essentialitèr; sed solum accidentalitèr repræsentationẽ, & cognitionem Petri, & non equi. Arguo sic: ergo hæc cognitio, quæ repræsentat Petrum capax est repræsentandi equum: ergo non connectitur cum eo, quod suum obiectum non sit equus. Est certum: tùnc sic: ergo hæc cognitio constituitur in ratione repræsentationis Petri, & non equi per aliquid, à se distinctũ: sed non per aliud quam per identitatem sui obiecti cum Petro: ergo esse cognitionem Petri dicit suum obiectum esse Petrum. Patet; quia constituit in esse cognitionis, & repræsentationis Petri per identitatem sui obiecti cum Petro. Ergo hæc est bona consequentia: *Petrus est obiectum huius cognitionis: ergo obiectum huius cognitionis realitèr est Petrus*: ergo similitèr hæc erit bona consequentia: *Petrus est obiectum huius cognitionis. Petrus est possibilis: ergo obiectum huius cognitionis realitèr est Petrus possibilis*: ergo cognitio repræsentans Petrum possibilem essentialitèr habet suum obiectum esse Petrum possibilem; ac proindè Petrum, & non equum.

6 Vndè rursus arguo sic. Hæc cognitio: *Petrus est possibilis*: quia respectus transcendentalis ad Petrum, habet essentialiter repræsentare Petrum, & non equum: ergo habet essentialitèr Pettum, & non equum esse obiectum repræsentatum per ipsam: ergo habet essentialitèr Petrum non esse equum. Probatur hæc consequentia. Nequit Petrus esse obiectnm repræsentatum per hanc cognitionem, & non equus, sine vera distinctione Petri ab equo: sed hæc cognitio habet essentialitèr Petrum, & non equum esse obiectum repræsentatum per ipsam: ergo habet essentialitèr Petrum distingui ab equo; & quod idem est, ha-

habet essentialiter esse Petrum, & esse possibilem. Confirmatur. Si hæc cognitio essentialiter habet Petrum, & non equum esse obiectum repræsentatum per ipsam est vera hæc propositio: *nullus equus est cognitus hac cognitione*: item hæc est vera: *Petrus est cognitus hac cognitione*: ergo hæc etiam, quæ indè deducitur est vera: *Petrus non est equus*. Patet; quia hæc forma arguendi, *nullus equus est cognitus hac cognitione: Petrus est cognitus hac cognitione: ergo Petrus non est equus*, rectè concludit in *Festino*.

8 Respondent syllogismum non concludere. Quia arguitur in ipso ab identitate, quam Petrus, & non equus habet in esse cogniti ad identitatem in esse rei seu vt melius dicam, arguitur à repugnãtia Petri cum equo in esse cogniti hac cognitione ad repugnantiã identitatis vtriusque in esse reali. Sed contra. Ergo benè stat cum natura huius cognitionis, quod per ipsam cognoscatur Petrus, & non equus; & tamen permittere, quod in esse rei Petrus sit equus. Concedis: vndè sic infero: ergo rectè stabit cum natura huius cognitionis *animal* terminatæ ad hominem per ipsam ex parte obiecti attingi animal, & non attingi rationale. Probatur consequentia satis absurda AA, cum quibus nunc disputamus reflectentibus præcisiones obiectivas. Stat benè per tè, per aliquam cognitionem cognosci Petrum, & non equum; & tamen indè non argui Petrum non esse equum: ergo stabit benè animal, & rationale esse idem ex parte obiecti, & tamen indè non argui cognosci animal, dum cognoscitur rationale. Antecedens est sententia respondentium. Consequentia probatur. Ideò primum est verum, per vos quia arguitur ab identitate in esse obiecti cogniti ad identitatem in esse rei; sed in secundo casu arguitur ab identitate in esse rei ad identitatem in esse obiecti cogniti: ergo stabit benè quod intenditur. Vndè hic syllogismus à Nostris, & respondentibus confectus contra præscindentes obiectivè firmitatem non habebit: *animal est cognitum cognitione A; rationale est animal: ergo rationale est cognitum cognitione A.* Costet ergo adeò verum esse nostrum notarum: ac verum est cognitionem attingentem animal ex parte obiecti identificatum cum rationali attingere rationale.

8 Præterquam quod falso, & sine fundamento dicitur ab Adversarijs, & à præscindentibus obiectivè claudicare syllogismum supra factum in *Festino*; eo quod in ipso

ipsoq arguatur & repugnantia duorum in esse obiecti ad repugnantiam ipsorum in esse rei. Tum quia sic arguere, non est defectus in arguendo; nam cum identitas realis duorum sit summa convenientia; imò & unitas ipsorum in omnibus omninò prædicatis, etiam extrinsecis, ex eo, quod duo disconveniat in hoc prædicato *obiecti cogniti* rectè arguitur disconvenientia ipsorum *in esse rei*; ac proindè distingui realitèr. Tùm quia si rectè perpendantur syllogismi à nobis adducti, & alij similes contra præcisiones obiectivas, non tàm arguitur in ipsis à repugnantia duorum *in esse obiecti*, ad ipsorum repugnantiam *in esse rei*, quam à repugnantia duorum *in esse rei* cum aliquo tertio, ad ipsorum repugnantiam inter se etiam *in esse rei*. Hic enim, syllogismus; *nullus equus est cognitus hac cognitione: Petrus est cognitus hac cognitione: ergo Petrus non est equus*: debet exponi sic: *Nullus equus identificatur cum obiecto huius cognitionis: Petrus identificatur cum obiecto huius cognitionis: ergo Petrus non identificatur cum equo.* Ecce arguitur repugnantia Petri, & equi inter se *in esse rei*, ex repugnantia ipsorum etiam *in esse rei* cum tertio obiecti illius cognitionis. Eodem modo exponi debent omnes syllogismi contra præcisiones obiectivas, quorum efficaciam eludere, difficile est.

Noto Quintò. Veritatem determinationis illativam, & radicalem identificari adæquatè cum actu verò sivè naturali, sivè supernaturali, sivè circa obiectum contingens, sivè circa obiectum necessarium. Probatur facilè ex dictis. Hæc veritas nihil aliud est, quam connexio, quam habet actus cum obiecto, quæ connexio, & infert obiectum existere modo quo enunciatur, & ipsum actum determinat, ne evadat dissimilis obiecto: sed ea connexio in quocumque actu detur, identificatur cum actu adæquatè: ergo hæc determinationis veritas adæquatè identificatur cum actu. Maior est certa. Probatur minor. Nam quocumque cum alio connectitur per suam essentiam connectitur, & non per aliud ipsi extrinsecum. Vndè fit: nullum actum non connexum cum obiecto secum identificare veritatem determinationis, & radicalem. Quare solum est difficultas de veritate formali. An, videlicèt, veritas formalis actus sivè naturalis, sivè supernaturalis, circa obiectum contingens, aut circa obiectum necessarium identificetur adæquatè, aut inadæquatè cum actu

cu verò? Quod etiam de falsitate actus falsi disputatur.

10 P. Puente, Hurtado disp. 8. de Anima sect. 3. judicat, de veritate cuiuscumque actus circa quodlibet obiectum, & falsitatem ipsi oppositam adaequatè identificari cum actu verò, & cum actu falso. Alij docent, veritatem formalem cuiuscumque actus infallibilitèr, & essentialitèr veri, sive ea in fallibilitas proveniat ex principio, sive ex motivo, adaequatè identificari cum actu, secus veritas actus contingentèr veri. Ita P. Alphosus disp. 15. sect. 3. & alij pauci RR. communior sententia docet veritatem formalem cuiuscumque actus circa quodvis obiectum adaequatè identificari cum actu, & obiecto, & adaequate cum quolibet horum. Ita P. Oviedo controversia 7. de Anima puncto 1. §. 3. Arriaga disp. 14. Logicae. Izquierdo in Pharo disp. 3. sect. 1. Quiros disput. 99. & ferre omnes nostri sequuti Exim. Doctorem disp. 8. Metaphysicae.

SECTIO II.

Statuitur prima conclusio nostrae sententiae, & soluuntur obiectiones contra ipsam.

1 Dico 1. Veritas formalis actus naturalis de obiecto contingenti non identificatur cum actu solo; sed cum actu, & obiecto. Probatur 1. veritas formalis huius actus; *Petrus currit* connectitur cum cursu Petri; sed hic actus non connectitur cum cursu Petri: ergo non identificatur adaequatè cum sui veritate formali. Maior est certa; & minor probatur *primo*. Hic actus nullam physicam connexionem habet cum cursu Petri; siquidem actus non est modus ipsius; neque explicabile est in quonam stet illa physica connexio, cum actus illo naturalitèr existat deficiente cursu Petri: neque habet connexionem moralem stantem in eo, quod cursum exigat existere: tum quia falso ea connexio moralis, seu exigentia moralis edstruitur: tum quia potest Deus ei exigentiae non annuare, & deficiente cursu conservare actum. *Secundò* probatur eadem minor. Deficiente cursu Petri, nihil deficit, aut ex parte principij, aut ex parte cau-

sa:

tiarum, aut conditionum, vt existat ille actus: ergo ille actus, qui currente Petro est verus, existere potuit Petro non currente, & ideò esset falsus. Antecedens probatur. Petro non currente solum deficit cursus, qui nullo modo influit physicè, aut moralitèr in actum: ergo nihil deficit requisitum, vt existat actus. *Tertiò.* Hic actus naturalis de obiecto contingenti: *Deus Incarnavit*, non connectitur cum existentia incarnationis: ergo neque alter connectitur cum cursu Petri. Antecedens probatur: tum: quia si connecteretur, Angelus omnes entitates naturales vi natiua comprehendens, cognosceret euidenter connexionem huius actus cum incarnatione; ac per consequens incarnatio, & alia mysteria supernaturalia non essent supra vires euidenter cognoscitiuas naturæ: tùm, quia nulla entitas naturalis potest connecti cum existentia rei supernaturalis, vt communitèr docent Theologi.

Probatur 2. conclusio. Actum esse verum, est dari actum, & dari obiectum eo modo, quo affirmatur per actum; sed licèt actui huic: *Petrus currit* sit essentialis per identitatem sua existentia non est ipsi essentiale dari cursum eo modo, quo ipse affirmat dari: ergo hic actus non est essentalitèr verus, neque identificari potest adæquatè, cum sui veritate formali. Probatur minor: cursum dari non est essentiale actui per identitatem, vt patet: non est essentiale per essentialem connexionem: quia non connectitur essentialitèr cum existentia cursus: ergo nullo modo est essentiale huic actui dari cursum eo modo, quo, per ipsum affirmatur. Antecedens patet ex prima probatione. Dices: eam connexionem probari ex prædicato imaginis, & repræsentationis cursus. Sed contra. Vel dicis connecti cum cursu; quia essentia sua est repræsentatio vera cursus? Et sic petis principium: quia sola conclusione respondes. Vel dicis connecti cum cursu præcisè, quia essentialitèr est imago, & repræsentatio cursus? Et intendo eum actum, licèt essentialitèr connectatur titulo repræsentationis cum eo, quod prædicata cursus sint talia: quia essentia sua actus potius cursum repræsentat quam sessionem; intendo tamen eum actum non connecti, titulo imaginis, cum eo, quod ea prædicata exerceantur à parte rei, eo modo quo actus enunciat exerceri.

Et

Et arguo sic: Non currente Petro hic actus: *Petrus currit* est falsus; tamen tunc hic actus est imago, & repræsentatio cursus: ergo hic actus ex prædicato imaginis non connectitur cum existentia cursus.

13 Probatur 3. à priori. Veritas formalis, iuxta notata, est similitudo intentionalis actus; & obiecti: sed similitudo intentionalis actus, & obiecti intrinsecè claudit actum, & obiectum: ergo veritas formalis actus identificatur cum actu, & obiecto, & non cum solo actu. Minor probatur. Similitudo actus, & obiecti intrinsecè, & formalitèr dicit existere actum, & existere obiectum, vt repræsentatur ab actu; sed existere obiectum, vt repræsentatur ab actu, supra entitatem actus dicit entitatem obiecti: ergo similitudo intentionalis actus, & obiecti intrinsecè claudit actum, & obiectum. Confirmatur *primò*. Veritas est relatio similitudinis intentionalis inter actum, & obiectum: sed relatio similitudinis intentionalis inter actum, & obiectum intrinsecè claudit fundamentum, & terminum, scilicèt, actum, qui refertur, & obiectum ad quod refertur actus: ergo veritas essentialitèr claudit actum, & obiectum. Minor probatur: similitudo physica Petri, & Pauli essentialitèr claudit Petrum, & Paulum se habentem in suis prædicatis eo modo, quo se habet Petrus in suis: ergo similitudo intentionalis inter actum, & obiectum essentialitèr claudit actum, & obiectum, se habens in suis prædicatis eo modo, quo repræsentatur ab actu. Confirmatur *secundò*. Nam licèt demus illi actui: *Petrus currit*: illam essentialem connexionem cum existentia cursus, quod est apertè falsum, adhuc nihil obtinent. Adversarij pro identitate adæquata actus cum sui veritate formali. Quod sic ostenditur. Actum esse formalitèr, & non purè illativè verum, non est præcisse dari actum connexum essentialitèr cum existentia obiecti; sed vlterius claudit existentiam ipsam obiecti dari in se ipsa eo modo, quo repræsentatur ab actu: sed existentia ipsa obiecti essentialitèr constituens veritatem formalem actus non identificatur cum actu connexo cum illâ, vt est evidens: ergo adæquata veritas formalis actus non identificatur cum solo actu, licèt hic connectatur cum existentia sui obiecti.

14 Objicies 1: Actui vero intrinseca est conformitas cum obiecto: ergo est intrinsecè conformis, & verus. Antecedens probatur *primo*. Actui verò intrinsece cum est esse imaginem obiecti:

er

ergo actus verò intrinseca est conformitas cum obiecto. *Secundò.* Hic actus: *Petrus currit* essentialiter repræsentat cursum, vt existentem: ergo essentialiter dicit cursum revera existere. *Tertiò.* Hic actus intrinsecè habet, quod Petrus currens sit affirmatus per ipsum: ergo, & quod Petrus affirmatus per ipsum sit currens. Nego primum antecedens. Ad *primam* probationem distinguo antecedens: Intrinsecum est huic actui esse imaginem intrinsecè præscindentem à vera, & falsa, concedo: esse imaginem verã, nego antecedēs, & consequentiam. Ad *secundam* probationem concesso antecedenti, distinguo consequens: Sumpto ly *dicit* pro eodem, ac *cursum repræsentat existere*, concedo: Sumpto pro eodem, ac *essentialiter secum importat connexam existentiam cursus*, nego consequentiam. Ad *tertiam* probationem distinguo antecedens: Appellante ly *sit* supra affirmationem, concedo; Supra *cursum*, nego antecedēs: Quia licèt intrinsecè affirmet cursum Petri, non tamen intrinsecè habet, quod cursus in re sit. Vel alitèr, concesso antecedenti, distinguo cōsequens: Quod Petrus affirmatus sit currens in re, & exercitè, nego: In affirmatione, & signatè, concedo consequentiam. Constat solutio ex dictis.

15 Dices 1. Hic actus: *Petrus revera currit* essentialitèr repræsentat verum cursum Petri: ergo deficiente verò cursu Petri, nequit perseverare; proindeque cum existētia cursus connectitur. Probatur cōsequentia: Deficiente cursu Petri ille actus non posset repræsentare verum cursum; sed fictum: ergo repræsentatio cursus veri, nequit perseverare dificiente vero cursu. Nego consequentiam. Ad probationem, nego antecedens. Imò ideò deficiente verò cursu actus est falsus; quia repræsentat existere verum cursum, quando non existit. Dices 2. Ille actus per suam essentiam est imago obiecti: ergo per suam essentiam, vel est illi similis, vel dissimilis? Si primū connectitur cum existentia cursus: Si secundum conectitur cum cursus carentia; ac per cōsequens per suam existentiā, vel est essentialitèr verus, vel essentialitèr falsus. Respondeo, illum actum per suam essentiam esse imaginem præscindentem à similitudine, & dissimilitudine: hoc est per suam essentiam, neque esse similem, neque non dissimilem determinatè; sed determinatum, vt sit, vel similis, vel dissimilis, quia semel existens impossibile est non coniungi cum veritate, aut falsitate; quia impossibile est non coniungi cum existentia, aut non existentia obiecti: nam obiectum necessariò, vel existit, quando existit actus, vel

non existit tunc. Sic impossibile est, me non esse similem, dissimilem in albedine Petro; & tamen neque intrinsecè sum determinatè similis, neque determinatè dissimilis; quia intrinsecè, neque determinatè connector cum albedine, neque determinatè cum carentia albedinis; sed intrinsecè ab vtraque simul sumpta determinatè praescindo, & vtriusque disiunctivè sumptae sum capax.

16. Objicies 2. Veritas est perfectio actus, & falsitas imperfectio: ergo veritas, & falsitas essentialis est actui. Probatur antecedens. Quia aliàs non esset cur Deus necessitatus esset ad cognitionem veram, & non posset habere cognitionem falsam. Distinguo antecedens: est perfectio partim intrinseca, & partim extrinseca, concedo antecedens: adaequatè intrinseca nego antecedens, & consequentiam. Ratio autem, cur Deus nequeat habere cognitionē falsam, est, quia falsitas est imperfectio cognitionis, licèt inadaequatè extrinseca; & cognitio divina nullam imperfectionē adhuc extrinsecam habet, tùm praecipuè; quia imperfectio falsitatis extrinseca cognitioni arguit intrinsecam imperfectionē in principio, scilicèt, potentiam se coniungendi cum errore; item carentiam determinationis ad cognoscendas res, vt sunt in se, quae omnia Deo evidentissimè repugnant.

17. Sed instabis 1. Hic actus; *Petrus non currit*, vt falsus dicit actum, & cursum; vt verus, autem, dicit actum, & carentiam cursus; sed coniunctum ex actu, & cursu perfectius est coniuncto ex actu, & carentia cursus: ergo actus falsus perfectior est actu verò. Respondeo: distinguo minorem. Perfectius est entitativè, & physicè, concedo: Moralitèr, nego minorem, & distinguo consequens: Actus falsus perfectior esse entitativè, & physicè actu verò, concedo: moralitèr, nego consequentiā. Est dicere. Potest accidere actum verū intrinsecè constitui ex aliquo imperfectiori eo, quo constituitur actus falsus, semper autem actus verus erit moralitèr perfectior; tum quia perfectio est moralis, aut quasi moralis, actū intellectus assimilari obiecto; sicut mihi aliqua perfectio physica est, assimilari Petro albo, vt tali: tūm quia actus verus, quia talis perfectio est potentiae intellectivae; secus actus falsus.

18. Instabis 2. Si perfectio veritatis sumitur ex actu, & obiecto: ergo aeque perfecta est veritas meae cognitionis, qua cognosco Deum, ac veritas cognitionis Dei qua meam cognitionem attingit; siquidem vtraque veritas includit Deum, & meam cognitionē, & nihil aliud. Respō-

deo:

deo, si comparatio fiat inter veritatem, & veritatem, vera est instantia: quia vtraque veritas nihil aliud, quàm coniunctū ex Deo, & mea cognitione includit. Cæterum falsa est si comparat vnius, & alterius cognitionis veræ perfectionē: quia mea cognitio vera à Deo, quem respicit vt obiectum, non capit infinitā perfectionem: & cognitio Dei, qua me cognoscit, capit à Deo eam infinitatem perfectionis. Sed dices: Si veritas meæ cognitionis intrinsecè claudit Deum, cur ea mea cognitio vera nō est infinitè perfecta? Siquidē denominatio claudens duas partes ab vtraque haurit perfectionē. Sic iustus constitutus ex gratia, & natura rationali habet tantā perfectionem, quantam habet gratia. Resondeo. Meam veritatē ex parte obliqui, scilicet, ex parte obiecti esse infinitè perfectam; quia Deus est eius obiectū: non verò ex parte recti, scillicèt actus; quia actus ab obiecto, cū quo non coniungitur per identitatem, non potest accipere perfectionem, quam obiectū habet: sicut humanitas Deitati vnita; quia non habet ipsam per identitatem, non redditur tàm sancta, ac Deitas ab ipsa Deitate. Cur autem homo habens gratiam tantùm placeat Deo, quantùm Deus complaceat in gratia, Theologus edisces.

29 Instabis 3. Bonitas amoris Dei non constituitur ex actu, & obiecto; sed adæquatè identificatur cum actu: ergo bonitas, & perfectio veritatis non constituitur ex actu, & obiecto; sed adæquatè identificatur cum actu. Nego consequentiam. Est disparitas. Quia bonitas amoris non consistit in conformitate amoris cum bonitate obiecti; cum actus non amans obiectum, quantum amabile est, bonus amor sit, & tamen non conformis bonitati obiectivæ; sed consistit tendentia affectiva in obiectum propositum bonum, quæ tendentia adæquatè identificatur cum actu: At bonitas veritatis stat in conformitate actus cū obiecto, eaque conformitas intrinsecè, & formalitèr claudit obiectum, vt supra probavimus.

30 Objicies 3. Id quo actus est conformis obiecto est adæquatè intrinsecum actui: ergo conformitas cum obiecto est adæquatè intrinseca actui. Antecedens probatur *primo*. Id, quo actus est conformis obiecto distinguitur ab obiecto: ergo adæquatè identificatur cum actu. *Secundo*. Id, quo actus est conformis obiecto est repræsentatio obiecti; sed repræsentatio obiecti adæquatè identificatur cum actu: ergo. *Tertio*. Quia alias tàm dici potest obiectum conforme actui, quàm actus dicitur conformis obiecto. Insto argumentum cum probationibus in relatione simili-

tudinis physicæ inter duo alba, in qua similitudine, neque fundamentum est adæquata similitudo, neque est adæquatè id, quo est simile termino; sed est inadæquata similitudo, & inadæquatè id, quo vnum alteri simile est, & è contra. Ideò distinguo primum antecedens: id, quo est actus adæquatè conformis obiecto est adæquatè intrinsecum actui, nego: Id, quo est inadæquatè conformis, concedo antecedens; & nego consequentiam. Ad primam probationem antecedentis. Id, quo actus est conformis inadæquatè obiecto distinguitur adæquatè ab obiecto; quia est ipse actus: Id verò, quo est adæquatè conformis non distinguitur adæquatè ab obiectò; sed per obiectum inadæquatè constituitur. Ad secundam; repræsentatio adæquatè identificata cum actu est id, quo actus est inadæquatè conformis; non id, quo adæquatè. Ad tertiam, actus solus dicitur similis intentionaliter obiecto, & obiectum non dicitur intentionaliter simile actui: quia quidquid intentionale est solum dicitur verè de intellectu, & eius actibus, iuxta communem sensum vocum à quo non est recedendum sine vrgenti fundamento.

SECTIO III.

Reliquæ conclusiones, vera sententia.

21 Dico 2. Quilibet actus cuiuscumque potentiæ sit essentialiter connexus cũ existẽtia obiecti, quod repræsentat, essentialitèr est verus. Probatur. Ille actus essentialitèr est verus, qui essentialitèr est determinatus ad veritatem: sed quilibet actus essentialitèr connexus cum existentia obiecti, est essentialitèr determinatus ad veritatem: ergo est essentialitèr verus. Maior est certa. Probatur minor: Actus essentialitèr connexus cum existentia sui obiecti essentialitèr per identitatem connectitur secum ipso, & essentialitèr infert existere obiectum eo modo, quo per ipsum affirmatur: sed, actum existere, & existere obiectũ eo modo, quo per actum affirmatur, est existere veritatẽ: ergo actus essentialitèr conexus, cũ existẽtia sui obiecti, est essentialitèr determinatus ad veritatem. Sed hic est difficultas: An hic actus sic connexus non solũ identificetur adæquatè cum veritate determinationis, quæ ex num. 9. in ea connexione cum ea existentia cõsistit; sed vlterius cum sua veritate formali? An potius veritas formalis adæquatè identificetur cum, & obiecto? Circa quod.

22 Dico 3. Actus, non solum connexus cum existentia sui obiecti; sed identificatus cum obiecto adæquatè identificat secum suam veritatem formalem, & conformitatis. Probatur. Veritas formalis stat in existentia actus, & existentia obiecti eo modo, quo repræsentatur per actum; sed actus identificatus adæquatè cũ existentia sui obiecti, modo quo per ipsum affirmatur secũ adæquatè identificat complexum ex existentia actus, & existentia obiecti eo modo, quo repræsentatur per actum: ergo talis actus identificat secum suam veritatem conformitatis. Dixi: *Eo modo, quo per actum affirmatur*; quia vt actus identificatus cum suo obiecto sit verus non sufficit quævis identitas; sed requiritur identicari cum obiecto eo ipso modo existente, quo per actum affirmatur: vndè hic actus, qui de se ipso dicat; *Ego non sum cognitio*, licèt sit identificatus cum suo obiecto; tàm longè abest ab eo, quod identificetur cum veritate formali, vt potius identificetur cum sua formali falsitate: idque accidit, quia non identificatur cum obiecto, vt in se ipso existente, eo modo, quo actus dicit, & enuntiat. Adverte Nos modò nihil statuere de possibilitatè huius actus, quam negavimus supra disp. 3. sect. 2. §. 5. sed ea admissa asserimus, cum eo identificari eius veritatem formalem.

23 Dico 4. Veritas formalis actus essentialitèr veri cuiuscumque obiecti, & cuiuscumque subiecti sit, identificatur adæquatè cum actu, & obiecto; & non cum solo actu. Probatur ex P. Izquierdo supra allegato à priori. Veritas formalis cuiuscumque actus, est conformitas actus, & obiecti: sed conformitas actus, & obiecti formalissimè includit actum, & obiectum: ergo veritas formalis cuiuslibet actus identificatur cum actu, & obiecto adæquatè. Confirmatur *primo*: Conformitas actus, obiecti formalitèr est similitudo intentionalis actus, & obiecti: sed similitudo intentionalis actus, & obiecti adæquatè identificatur cum actu, & obiecto: ergo: & conformitas. Probatur minor: Similitudo physica duplicis albi identificatur adæquatè cum vtroque albo: ergo similitudo intentionalis actus, & obiecti identificatur adæquatè cum actu, & obiecto. Confirmatur *secundo*: ex Aristot. in prædicam. cap. de Substantia, vniversalitèr docente, quemlibet actum esse verum, vel falsum ab eo, quod res affirmata per ipsum sit, aut non sit eo tempore, & eo modo, quo esse, aut non esse affirmatur per actum: ergo obiectum cuiuscumque actus est constitutivũ

inadæquatum veritatis, aut falsitatis formalis ipsius.

24 Dices: Actum essentialitèr verum se solo, & inferre suam entitatem, & existentiam obiecti, quo modo per actum repræsentatur; ac proindè se solo habere repræsentare obiectum, sicut est; & obiectum esse, sicut repræsentatur; quod est se solo esse suam veritatem. Sed contra *primò*. Licèt actus se solo inferat essentialiter esse suum obiectum, sicut repræsentatur; tamen evidens, est ipsum existere obiectum in se, sicut repræsentatur adæquatè distingui ab actu: sed veritas formalis formaliter includit ipsum existere obiecti in se, sicut repræsentatur: ergo veritas formalis formalitèr includit aliquid adæquatè distinctum ab actu. Vndè probat solutio, actum se solo esse suam veritatem radicalem, seu determinationis; non verò veritatem formalem. Contra *secundò*. Licet homo connectatur cum sua præsentia Matritensi, ponamus hoc inferatque essentialitèr, & se solo, se esse præsentē Matriti; tamen hoc, quod est esse præsentem Matriti non identificatur adæquatè cum homine; sed cum homine, & præsenti: quia, videlicèt, licèt homo inferat se solo, ipsum esse præsentem Matriti; tamen hominem esse præsentem Matriti, non est esse præsentem se solo; sed se, & præsentia: ergo licèt actus essentialitèr connectatur cum existentia obiecti modo, quo repræsentatur; tamen actū esse verū formalitèr non identificatur adæquatè cum actu; quia licèt se solo inferat se esse verum; non tamē infert esse verum se solo sed se, & obiecto.

25 Contra *tertiò*. Tàm repugnat me non esse cognitum à Deo, quam actum essentialitèr connexum cum obiecto non esse verum: sed me esse cognitū à Deo nō identificatur adæquatè mecum; sed mecum; & cum cognitione divina: ergo actum connexum cum obiecto esse verum non identificatur adæquatè cum actum; sed cum actu, & obiecto. Dices. Id esse discriminis, quod me esse cognitum à Deo non oritur ex determinatione mea; sed ex determinatione, & ex perfectione divinæ mentis: at actum esse verum oritur ex determinatione actus connexi cum obiecto; ideòque cum ipso actu identificabitur actum adæquatè esse verum, licèt mecum non identificetur adæquatè me esse cognitum à Deo. Sed contra. Me esse cognitū à Deo, per te, oritur ex determinatione, & perfectione divinæ mentis: sed ego semel existens connector cum ea determinatione & perfectione Dei: ergo ex intrinseca mea determinatione oritur, me esse cognitum à Deo.

Deo. At hoc non probat, vt concedis, mecum identificari adæquatè me esse cognitum à Deo: ergo neque actum connecti cũ obiectò probat, actum esse verũ formalitèr identificari adæquatè cum actu.

26 Ratio præcedentiũ & confirmatio à priori est. Quia denominationes, quę ex genere suo nõ identificantur adæquatè cum vno extremo, non identificantur adæquatè, adhuc quando vnum extremum connectitur essentialitèr cum alio. Patet hoc in denominationibus similitudinis, inæqualitatis, coexistẽtiæ, præsentiæ, &c. quæ, quia ex genere suo non identificantur adæquatè cũ vno tantum extremo, sed cum vtroque (vt videre est similitudine, inæqualitate, coexistentia, quibus sum similis; inæqualis, & coexistens alteri homini) neque identificatur adæquatè cũ vno extremo, quando hoc essentialitèr connectitur cum similitudine sui, inæqualitate, & coexistentia cum altero. Ergo, enim, essentialiter connector cum similitudine in aliquo prædicato cum inæqualitate perfectionis, cum coexistentia temporali, & locali cum Deo, & tamen hæ denominationes non identificantur adæquatè mecum; sed adæquatè mecum, & Deo: ergo cum denominatio *veri* ex genere suo non identificetur adæquatè cum actu, vt plures Adversariorum fatentur, & probatum est conclusione prima, neque cum actu identificatur adæquatè, quando ipse essentialitèr connectitur cum suo obiecto; proindeque est essentialitèr verus.

27 Objicies 1. Hic actus: *Petrus est & possibilis*, non solum habea repræsentare Petrum esse possibilem; sed essentialitèr habet Petrum revera esse possibilem: ergo actus hic per suam essentiam adæquatè est verus; non secus, ac homo per suam essentiam adæquatè est animal rationale. Confirmatur. Hic actus tàm repugnat falsitati, quàm homo repugnat irrationalitati; sed homo adæquatè per suam essentiam, & non per aliquid à se distinctum repugnat irrationalitati; ideòque adæquatè per suam essentiam est rationalis: ergo hic actus adæquatè per suam essentiam repugnat falsitati; ideòque adæquatè per suam essentiam est verus. Instatur argumentum in denominationibus similitudinis, & coexistentiæ, quas ego habeo cum Deo, quarum carentiæ essentialitèr per mea prædicata repugno. Deindè distinguo secundam partem antecedentis: habet per suam essentiam Petrum revera esse

 pos-

possibilitas; quod identificet secum esse possibilem Petrū; nego; quia identificet secum in ferre Petrum esse possibilem, concedo antecedens, & distinguo consequens: Per suam essentiam est verus veritate formali, nego: Veritate determinationis, concedo consequentiam: Exemplum de homine nullum est. Quia homo non solùm determinativè; sed formalitèr est animal rationale; & prędictus actus non est formalitèr Petrum esse possibilem; sed illativè solum. Vndè ad confirmationem distinguo maiorem: tàm, & eodem modo repugnat hic actus falsitati, quàm homo irrationalitati, nego: tàm, & diverso modo, concedo maiorē: & concessa minori, nego consequentiam. Nam homo, qui formalitèr est rationalis, repugnat se solo irrationalitati: at hic actus quia non est formalitèr, sed solum illativè Petrum esse possibilem, non est se solo formalitèr verus; neque se solo formalitèr oppositus falsitati formali.

28 Objicies 2. Certitudo, evidentia, & claritas cognitionis identificantur adæquatè cum actu: ergo, & veritas. Nego consequentiam. Disparitas est. Quia hoc nomen *veritas* significat similitudinem, & conformitatem actus, & obiecti, quæ ex dictis identificatur cum actu, & obiecto: at certitudo dicit cognitionem ex intrinsecis connexam cum obiecto: evidentia dicit cognitionem ex modo tendendi excludentem dubium, & formidinem circa suum obiectum: Claritas dicit talem modum tendendi actus, quo proportionatè ad intensionem claritatis actus de obiecto intellectus assecuraretur. Hæc autem omnia prædicata adæquatè identificantur cum actu: quia nullo modo possunt constitui per obiectum, constat. Obiicies 3. Paternitas in Divinis stat in habitudine Patris ad Filium adæquata identificata cum Patre: ergo veritas stat in habitudine actus ad obiectum adæquatè identificata cum actu; vnde confirmatur: Tùm, quia decretũ divinū de existentia mundi connectitur cū ea existentia connexione adæquatè cum ipso identificata: Tū, quia connexio cognitionis divinæ cum obiecto ipsam cognitionem constituit formalitèr veram, & rectā: sed ea connexio adæquatè identificatur cū actu divino: ergo, & veritas.

29 Ad argumentū, concesso antecenti, nego consequentiam. Quia Paternitas significat habitudinem Patris, qua constituitur in esse Patris distincti à Filio; id quo Pater in esse Patris constituitur adæquatè identificatur cum Patre: non alitèr, ac adæquatè identificatur mecum id, quo in esse

a talis hominis constituor. Veritas : autem significat habitudinem conformitatis actus cum obiecto, quæ essentialiter claudit actum, & obiectum, vt inter se conformia, & similia. Ad confirmationem respondeo: Connexionem decreti de Mundo, cũ decreto adæquatè identificari; quia ea connexio aliud non est, quam determinatio ipsa decreti, vt sit Mundus: non verò est conformitas decreti, & Mundi. Deindè cum cognitione divina adæquatè identificatur rectitudo intrinseca, hoc est determinatio essentialis, & intrinseca ad veritatem; non rectitudo extrinsca stans in conformitate eius cognitionis cum obiecto; quia hæc rectitudo includit existere obiectum in se eo modo quo dicit actus; & obiectũ sic existere non identificatur cum actu cognitionis divinæ.

130 Objicies 4. Conformitas actus divini cum meo peccato crastino adæquatè identificatur cũ cognitione divina: ergo, & veritas formalis. Antecedens probatur. Si ea conformitas identificaretur adæquatè, seu inadæquatè cum meo peccato Deus amaret peccatum; sed Deus nequit amare peccatum; ergo ea conformitas adæquatè identificatur cum divina cognitione. Maior probatur: Quia Deus amat veritatē, & conformitatem suæ cognitionis cum obiecto: ergo si conformitas identificaretur inadæquatè cum meo peccato, Deus amaret peccatum. Nego antecedens. Ad probationem, nego maiorem: Ad cuius probationem, distinguo antecedens: amat veritatem, & conformitatem sui actus, secundum quod dicit in recto, concedo: secundum quod dicit in obliquo, nego antecedens, & consequentiam. Eplicatur. Supposito meo peccato. Deus amat actũ suæ mentis verè repræsentare peccatum, hoc est peccatum repræsentare eo modo, quo est: quia sic cum repræsentare est maxima perfectio sui actus, & hoc est amare conformitatem sui actus secundum quod dicit in recto: non autem amat conformitatem secundum quod dicit in obliquo; quia non amat ipsum peccatum in se existere; sed solum amat, semel existente in se peccato, actum intrinsecè repræsentare existere peccatũ in se. Explicatur amplius solutio Sicut denominatio veri constituitur formalitèr ex actu, & obiecto ita denominatio infinitæ sanctitatis humanitatis Christi constituitur formaliter ex humanitate, & Deitate; & tamen Deus non amat humanitatem infinitè sanctam tantùm, quantum amat ipsam Deitatem, vt à TT. docetur tractatu de Incarnatione; ergo poterit Deus similitèr amare suum actum

ve-

verum, quin amet peccatum intrinsecè constituens denominationem veri, quæ reperitur in actu.

31 Objicies 5. Ponamus, me habuisse actum falsum, & reflexè me id cognoscere hac cognitione: *Ego iudicavi falso*. Tūc sic. Veritas huius actus, neque inadæquatè constituitur ex falsitate iudicij præcedentis: ergo aliqua veritas non constituitur, adhuc inadæquatè ex obiecto actus veri. Antecedens probatur: Veritas est conformis nativi inclinationi intellectus, qua falsum fugit; ergo veritas huius actus, neque inadæquatè identificatur cum falsitate iudicij præcedentis. Probatur consequentia. Veritas inadæquatè identificata cum falsitate non est conformis nativæ inclinationi intellectus, qua falsum fugit: ergo cum veritas debeat esse conformis nativæ inclinationi intellectus, neque inadæquatè potest veritas huius actus identificari cum falsitate iudicij præcedentis. Respondeo intellectum nativa inclinatione non fugere falsum obiectivè, seu obiectum, quod sit falsum sed solum fugere falsum formale, hoc est actum falsum: quia semper connatur elicere actum verum, & actum verum elicere potest circa obiectum, quod sit falsum, aut falsitas: siquidem verus est actus, de quo est sermo, reflexè iudicans, intellectum iudicasse falsum. Vndè ad hunc actum reflexum nativa inclinatione fertur intellectus. Cuius vlterior ratio est. Quia intellectus nativa inclinatione fertur in actum ipsum perficientem, & hic actus, vtpotè verus circa obiectum falsum, perfectio est intellectus. In forma, nego antecedens. Ad probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad cuius probationem, distinguo antecedens: Veritas inadæquatè identificata cum falsitate, se tenente ex parte obiecti non est conformis nativæ inclinationi intellectus, qua fugit falsitatem formalem, nego: Quia fugit falsitatem obiectivam, nego suppositum: Quia falsitatem obiectivam solum fugit intellectus, vt attingibilem per actum falsum formalitèr, & nego consequentiam.

32 Objicies 6. Hæc propositio: *Est dies quia est sol*, neque inadæquatè est causalis ratione obiecti; sed ratione prædicati secum identificati: ergo neque actus necessariæ veritatis est verus adhuc inadæquatè ratione obiecti. Respondeo: Propositionem antecedentis posse sumi, & quatenus causalem formalitèr, & quatenus veram. Si secundo modo sumatur, veritas ipsius adæquatè identificatio cum actu, & obiecto; sicut reliquorum actuum veritates. Si primo modo sumatur, verum est antecedēs, quia quatenus causalis soli di-

dicit specialem modū tendendi, quo attingit consequens obiectivum dependentèr ab antecedenti obiectivo, & hic modus tendendi adæquatè identificatur cū actu: sicut identificatur adæquatè modus tendendi cōditionatus, & disiunctivus cū actu conditionato, & disiunctivo. Vndè concesso antecedenti, nego consequentiam, propter disparitatem insinuatam, videlicèt, quia quod propositio sit vera stat formalitèr in conformitate ipsius cum obiecto obiectum essentialitèr claudente: & quod sit causalis stat in modo tendendi qui cum nullo distincto ab actu potest identificari adhuc inadæquatè.

33 Obijcies 7. veritas huius actus: *Adamus non existit* non constituitur ex actu, & obiecto: ergo neque veritas huius: *Petrus est possibilis.* Antecens probatur. Modo datur hæc veritas: modo non datur obiectum: ergo hæc veritas non constituitur ex obiecto. Minor est certa: Quia si obiectum huius propositionis. *Adamus non existit* est ipse Adamus, hic modo non datur: si est eius carentia: neque hæc datur modo quia carentia, iuxta nos, nihil est, ideò nequit modo existere. Confirmatur. Falsitas huius actus: *Chymæra existit* datur modo: sed modo non datur eius obiectum scilicèt chymæra: ergo falsitas non constituitur ex obiecto actus falsi. Ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: Modo datur hæc veritas ly *datur* sumpto per statum, quoad actum, & obiectum, nego: Sumpto per statum quoad actum, & per alienationem quoad obiectum, concedo maiorem, & concessa minori distinguo consequens: Sumpto ly *constituitur* per statum quoad actum, & obiectum, concedo: sumpto per statum quoad actū, & per alienationem quoad obiectum, nego consequentiam. Est dicere: Hic actus: *Adamus nō existit* respicit vt obiectum Adamū non existentē modo: vndè, vt verus sit, tàm longè ab est vt petat Adamū existere; vt falsus esset si existeret: Neque requirit modo existere carentiā: tū quia carentia nō est eius obiectū: sed existentia ipsa recesivè attacta per actum: tùm quia licèt eius obiectum esset, non peteret ad sui veritatem existere modo, sicut non petit existere Adamū: tùm quia si peteret modo existere carentiam impotentē existere, peteret chymæram.

34 Et est ratio à priori, quæ ex dicendis disputatione sequenti, clarior fiet. Quia actum esse verum, est actum existere, & obiectum se habere modō, sicut affirmatur per actum. Cum ergo hic actus: *Adamus non existit*, nō affirmet, Adamum modo existere; sed potius non existere, & re vera Ada-

Adamus non existat modo, datur modo actus, & obiectum per ipsum affirmatum, ita revera, est sicut affirmatur per actum: Ideòque proprijssimè datur actus verus; quia dari nunc actum verum, non est dari nunc physicè adæquatam veritatem actus, sed modo dari actum; non verò modo dari obiectum; quia actus affirmat obiectum non dari modo. Hinc ad confirmationem argumenti ex numero præcedenti. Hic actus: *chymæra existit* modo est falsus, quin modo detur obiectum: imò si obiectum existeret non esset falsus; sed verus; sed est modo proprijssimè falsus; quia modo datur actus, & modo nō datur obiectum, quod ipse affirmat dari modo. In forma distinguo maiorem: Modo datur falsitas sumpto ly *datur* per statum quoad actum, & obiectum, nego maiorem: Sumpto per statum quoad actum, & per alienationem quoad obiectum, concedo maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: Non constituitur ex obiecto existente modo, concedo consequentiam: Non constituitur ex obiecto non existente modo, nego consequentiam. Cōstat solutio ex dictis.

SECTIO IV.

Vtrùm eadem propositio mentalis semel vera, possit transire in falsam, aut semel falsa, possit transire in veram?

§. I.

Supponuntur aliqua pro resolutione quęstionis.

35 SVppono 1. Præsentem quęstionem locū non habere, iuxta nostrā sententiā constituentem intellectionem in actione. Quia actio est essentialitèr successiva, ideòque quælibet propositio mentalis in actione consistens in quolibet instanti est diversa. Vndè, quæ in vno instanti fuit vera, nequit in alio instanti esse falsa; siquidem in alio non perseverat eadem. Ideò, vt præsens quæstio locum habeat disputanda est admisso transitu propositionis de vnō instanti, in aliud. Suppono 2. Non esse quæstionem de actibus essentialitèr veris, aut falsis; quia cum in quocumque instanti existant, existant cum propria essentia, existent cum veritate, aut falsitate ipsis intrinseca. Procedit ergo de actibus contingentèr, & accidentalitèr veris, & quærit; An actus contingentèr verus possit amittere

ve-

veritatem, quam semel habuit & in falsum transire? & idem inverso modo quæritur de actu contingentèr falso.

36 Suppono 3. Nullam cognitionem posse successu temporis variare obiectum, aut modum repræsentandi obiectum, quod primo repræsentat. Probatur. Quia cognitio Petri v. gr. ex essentia sua est repræsentatio intentionalis Petri, & talis repræsentatio, seu tali modo repræsentat Petrum: sed quod propositio habet per suam essentiam, nequit variare per adventum temporis extrinseci: ergo per adventum temporis extrinseci, nequit cognitio aut variare obiectum, aut modum illud repræsentandi. Probatur maior quoad secundam partē. Nam primam omnes fatentur. Cognitio enim Petri, nequit successu temporis repræsentare Paulum, vt patet, ideò prædicatum repræsentandi Petrum essentiale est cognitioni: quia tale prædicatum intentionale est, proindeque cum nullo alio identificabile, quam cum actu intentionali, sed prædicatum talis modi repræsentandi etiam est intentionale: ergo talis modus repræsentandi est essentialis cognitioni. Minor autem prioris syllogismi negari nequit nisi ponas essentias rerum successivas, & variabiles.

37 Confirmatur *primo* occurrendo doctrinæ Adversariorum. Hæc cognitio, *Petrus currit* in quocumque instanti existat, significat Petrum, & cursum, neque in ratione repræsentandi hæc obiecta constitui potest per aliquid à cognitione distinctum: ergo in quocumque instanti existat significavit idem tempus, quod significavit in primò neque in ratione significationis distincti temporis, poterit constitui per novum tempus adveniens distinctum realitèr ab ipsa cognitione. Probatur consequentia. Tā est essentiale huic cognitioni repræsentare tempus, quàm repræsentare Petrum, & cursum: sed quia hoc est essentiale cognitioni, nequit per aliquid à se distinctum constitui in ratione repræsentationis Petri, & cursus: ergo per novum tempus adveniens non poterit constitui in ratione repræsentandi tempus distinctum ab eo, quod repræsentavit in primò. Confirmatur *secundo*. Hoc iudicium: *Petrus currit* est actualis determinatio intellectus ad tale obiectum respectu talis temporis: est enim actio, & modus, quo intellectus indifferens ad cursum significandum, & ad illum significandum in tali tempore, determinatur per modum exercitij intentionalis ad cursum in tali tempore significandum: sed actualis determinatio intentionalis ad tale obiectum

tum, & tale tempus se ipsa est talis determinatio, & non per aliquid à se distinctum: ergo quotiescumque hoc iudicium existat idem obiectum, & idem tempus significabit. Probatur minor. Nam actualis determinatio physica huius agentis in hunc effectum se ipsa talis est; & non per aliquid distinctum à se: ergo actualis determinatio intentionalis se ipsa talis est, & non per aliquid à se distinctum.

38 Vndè sicut actio, qua agens producit hunc terminum, quia se ipsa, & non per terminum, est formalis illius productio, nequit alium terminum ab hoc distinctum producere, ita iudicium talis obiecti in tali tempore, quia se ipso est formalis repræsentatio, & exercitium intellectus circa ipsa, non poterit in vllo instanti, neque obiectum, neque tempus significare distinctum ab eo, quod repræsentat in primo. Vndè rursus, sicut actio non potest constitui in ratione formali productionis huius termini præ alio per ipsos terminos; ita iudicium non poterit constitui in ratione repræsentationis huius obiecti præalio, nec huius temporis præalio, per obiecta, aut tempora, sed adæquatè per se ipsum.

39 Respondent RR. iudicium duplex obiectum habere; aliud signatum, videlicèt, quod repræsentat explicitè hoc iudicium: *Petrus currit*; nempè Petrum, & cursum: aliud, quod experimentalitèr tantùm repræsentat, scilicèt, instans existentiæ ipsius iudicij. Primum obiectum, fatentur, non posse non significari quotiescumque existat iudicium, vt probant nostræ rationes: Cæterum, inquiunt, posse mutare secundum, quia nihil est, quod prohibeat, iudicium in esse cognitionis experimentalis huius instantis, constitui indæquatè per hoc instans; & accedente alio instanti, per ipsum constitui in ratione experimentalis repræsentationis ipsius, & non repræsentare instans, quod iam præterijt. Et probatur *primo*. Quia nō implicat actio physica adæquatè identificata cum agente, & termino: ergo nec cognitio experimentalis huius instantis adæquatè identificata cum cognitione, & instanti. Secundò. Quia cognitionem A. constituere intelligentem Petrum, & non Paulum, non identificatur, adæquate, cum cognitione A; sed cum cognitione, & Petro: ergo cognitionem A repræsentare experimentalitèr instans A, præ B. non idenficatur adæquatè cum cognitione; sed cum cognitione, & instanti.

40 Sed contra. Iudicium repræsentare Petrum, & non Paulum, identificatur adæqua-

quatis cum iudicio: ergo iudicium repræsentare hoc instans præ alio adæquatè identificatur cum iudicio. Antecedens conceditur. Probatur consequentia *primò*. Quia iudicium quodlibet essentialitèr includit verbum; sed verbum æquè primò repræsentat obiectum, & tempus, in quo exercetur præsens, præteritum, & futurū: ergo iudicio repræsentare hoc instans præ alio adæquatè identificatur cum iudicio. *Secundo*. Quia cum verbū essentialitèr consignificet tempus, iuxta communē sententiam, gratis omninò dicitur, iudicium essentialitèr constans verbo, essentialitèr significare obiectum, quod significat, & exprimit, non tamen significare tempus, quod experimentaliter, & quasi tacite exprimit. Imò hinc vrgeo. Iudicio essentiale est exprimere tēpus suæ existentiæ, sicut essentiale est exprimere obiectū: ergo qua ratione non potest constitui in ratione repræsentationis obiecti per ipsum obiectū, non potest constitui in ratione expressionis huius temporis per ipsū tempus; sed per se ipsū. Et ratio à priori est. Quia cognitio nequit constitui in ratione significationis, & repræsentationis, sivè signatæ, sivè explicitæ, sivè tacitæ, sivè experimentalis, per aliquid quod repræsentatio non sit; quia, videlicet cognitio, sivè explicita, sivè experimētalis est actualis determinatio intellectus ad exprimendum tale obiectum, ad exprimendum tale instans: ergo sicut nequit constitui in ratione repræsentationis explicitæ per obiectum, quod repræsentatio non est, ita non poterit constitui in ratione repræsentationis experimentalis instantis per instans, quod repræsentatio non est.

41 Rationes oppositæ vim non habent. Non *prima*; Tùm quia fortè impossibilis est actio identificata adæquatè, cū agente, & termino; quia quælibet adæquatè distinguitur ab agente: tùm quia, hoc admisso, est disparitas. Nam ideò illud erit verum; quia actio physica est actualis determinatio physica ad existentiam termini, quæ cum physico agente, & physico termino poterit identificari. At cum iudicium sit actualis determinatio intentionalis, & repręsentativa, non potest iudicium huius instantis identificari cum instanti, quod repræsentativum, & intentionale non est. Et quidem si hæc non est certa disparitas, apud Adversarios, cur similitèr non dicunt, iudicium etiam constitui in ratione repręsentationis obiecti expliciti per ipsum obiectum: sicut absolutè docent, actionem physicam adæquatè posse identificare cum agente, & termino physicis. Non *secunda*: Tùm quia fal-

falso, supponit, eandem cognitionem posse reddere cognoscentem Petrum, & Paulum: cum, enim, cognitio formalitèr stet in actione se ipsa alligata suo principio, cognitio Petri se ipsa est essentialitèr determinata ne existat in Paulo; tùm quia ea falsa suppositione admissa stat disparitas, ex eo, quod hic effectus formalis: *Petrus intelligens*, vltra formam includit subiectum; non alitèr, ac hic effectus formalis: *Petrus albus*: Hinc cognitio non constituit Petrum cognoscentem se sola; sed simul cum subiecto: at iudicium, vtpotè modus intentionalis, & actualis determinatio intellectus ad hoc instans significandum, non potest constitui in ratione significationis huius instantis per ipsum instans; sed se solo id significat.

42 Sed objicies 1. Vt probes absolutè propositionem posse significationem variare. Eadem propositio vocalis potest variare significationem: ergo, & mentalis. Confirmatur. Eadem imago Cessaris potest variare obiecta repræsentata. Si, enim, sint plures homines similes Cessari, plures repræsentat: paucos verò, si pauci; sed propositio est imago obiecti: ergo potest variare obiecta repræsentata. Ad argumentum, concedo antecedens, & nego consequentiam. Est disparitas. Nam propositio vocalis (& quoad hoc idem est de scripta) significat ad placitum hominum, non naturalitèr: vndè ex hominum placito potest iam hoc, iam illud significare. Secus propositio mentalis, quæ naturalitèr est repræsentatio obiecta, se ipsa, quolibet alio, secluso, illud repræsentans. Ad confirmationem, concesso antecedenti, nego consequentiam, propter similem disparitatem. Quia imago cessaris non est repræsentatio vnius hominis præ alio, natura sua; sed ex libero hominum placito, quo potest institui, tùm ad repræsentandum Cessarem, tùm ad repræsentandum quemlibet alium ipsi in his, aut alijs accidentibus, similem. Cum verò mentalis propositio se ipsa repræsentet, quod repræsentat, quod semel repræsentat, repræsentat semper.

43 Objicies 2. Propositio solum est repræsentatio instantium sub conditione, quod sint præsentia: vndè A repræsentabit, quando A fuerit præsens; & non A, sed B. quando B, ipsi proponatur præsens: ergo propositio potest variare significationem instantium. Antecedens probatur *primo*. Hæc propositio *homines existentes in foro currunt*, significat hos sub conditione, quod sint in foro, & non hos; sed alios sub conditione, quod alij fuerit in foro

eo. Item hæc propositio: *Aliqui homines currunt*, significat tres tantum sub conditione, quod tres tantum currant; & quatuor sub conditione, quod quatuor currant: ergo sicut hę propositiones significant conditionatè currentes; ita alia significabit conditionatè quælibet instantia. *Secunda*. Hic conceptus *homo*, si sunt plures homines, plures repræsentat, & vnũ, si vnus tantum sit. *Tertio*. Eadem lex obligans habitatores Compluti modo obligat hos, modo illos sub conditione, quod hi, aut illi habitent Compluti. *Quarto*. Amor; quo efficaciter volo observare omnia Dei præcepta, est amor conditionatus eleemosynæ, iustitiæ, & aliarum virtutum, si præcipiantur à Deo, constituiturque amor absolutus eleemosinæ per conditionem purificatam præcepti eleemosynæ,& sic respectu aliarum virtutum.

44 Confirmatur. Hoc iudicium: *Petrus currit* prolatus in A, repræsentat instans A de præsenti: sed durans in B, repræsentat de præsenti instans B, quod non significabat de præsenti in A: ergo hoc iudicium variat significationẽ instantium. Probatur minor. Hoc iudicium de præsenti essentialiter significat existere cursum in instanti præsenti iudicio; sed in instanti B, iam non est præsens iudicio instans A; sed B: ergo durans in B significat de præsenti instans B. Confirmatur *secundo*. Ideò in A, significat A de præsenti; quia in ea mensura A erat præsens: sed in sequenti mensura, non est præsens A; sed B: ergo in mensura B, repræsentat B, & non A. Confirmatur *tertio*. Huic iudicio prolato in A, essentiale est repræsentare de pręsenti instans A; sed in B, nequit repræsentare de præsenti instans A: nam sic in B esset falsum contra nostram doctrinam tradendam infra; ergo in B, non repræsentat A.

45 Ad obiectionem, nego antecedens. Ad primam probationem, nego etiam antecedens. Nam illæ propositiones, neque omnes homines significant conditionatè, neque omnes absolutè; sed omnes disiunctivè. Prima, enim facit hunc sensum: *Aliqui homines sunt in foro, & currunt*, quæ hunc descensum habet: *Vel hi homines sunt in foro, & currunt: vel hi homines sunt in foro, & currunt*. Ex quo patet, omnes significare disiunctivè. Quod verò iam vera sit, quia hi existunt in foro, & currunt; iam quia alij existunt, & currunt, probat variare propositionem obiectum verificationis; non verò obiectum repræsentationis. Idem dicendum est ad aliam

propositionem obiectam. Et ratio à priori est. Quia si hæc propositio; *homines existentes in foro currunt*, significaret conditionatè, omnes homines sub conditione quod existant in foro posset esse vera nullo homine existente in foro; siquidem conditionalis præscindit à purificatione conditionis: sed certum est, eam propositionem primò prolatam esse falsam, si nullus homo in foro existat: ergo ideò est, quia significat omnes homines, non conditionatè; sed disiunctivè.

46 Ad secundam probationem. Hic conceptus *homo*, nisi aliud in prolatione addatur, ab initio significat homines omnes possibiles: quia significat connexionem prædicatorum essentiæ hominis in homine repertæ. Dixi, *nisi addatur aliud*. Quia possibilis est conceptus, qui tres tantum, aut quatuor homines repræsentet: Cæterum illos, quos repræsentat, semper repræsentabit. Ad tertiam. In ea lege est obligatio cōditionata cum ipsa identificata, quæ obligat omnes homines sub conditione, quod sint habitatores Compluti, & hæc obligatio nunquam variatur. Variatur autem obligatio absoluta, qua hic, aut ille homo tenetur lege: sed ea obligatio absoluta non identificatur cum lege sola, sed cum lege, & purificatione conditionis, à quà lex præscindit. At verò iudicium nō potest præscindere à modo significandi absolutè; quia modus hic absolutè significandi intentionalis est, & repręsentativus, & ideò cum iudicio adæquatè identificatur.

47 Ad quartam respondeo. Amorem illum intrinsecè solum esse amorem conditionatum eleemosynæ, iustitię, &c. & hunc modum affectivū semper manere, quocumque præcepto adveniente: & tunc fit extrinsecè absolutus quia coniungitur cum alia voluntate intrinsecè absoluta, dandi eleemosynam. V. g. quia præceptum vrget hic, & nunc ad eleemosynā elargiendam Vndè prima volitio conditionata ex se determinat voluntatem, vt secundam absolutam habeat dandi eleemosynam, dum hæc præcipitur. Idem dicito de voluntate faciendi iustitiam.

48 Ad *primam* confirmationem, nego minorem. Ad eius probationem, distinguo maiorem: Significat existere cursum in omni instanti præsenti iudicio, nego maiorem: In instanti A. pro mensura præsenti iudicio, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Quia etiam in B significat existere cursum de præsenti in A, pro mensura ipsius A. Ad *secundam* confirmationē, nego

nego maiorem. Non enim in A repræsentavit A, ex determinatione ipsius instantis; sed ex modo tendendi intrinseco iudicio, qui modus semper manet idem, & invariabilis. Ad *tertiam*, distinguo maiorem: Essentiale est repræsentare de præsenti instans A, pro mensura instans A, concedo: pro omni mensura, nego maiorem, & distinguo minorem: pro mensura, quam constituit B, concedo: quam constituit A, nego minorem, & consequentiam. Quia in primo instanti, nempè in A, solùm significat instans A coëxistere propositioni pro A, non pro B: & in B idem significat.

46 Vltimo notandum est. Quodlibet iudicium necessario, & essentialitèr esse, aut de præsenti, aut de præterito, aut de futuro. Probatur. Quodlibet iudicium essentialitèr ex suo modo tendendi significat tempus: sed nullum aliud tempus est, quam præsens, præteritum, aut futurum: ergo essentialitèr significat tempus præsens, aut præteritum, aut futurum. Iudicium, quod essentialitèr consignificat tempus de præsenti, erit essentialitèr iudicium de præsenti quod essentialitèr significat tempus præteritum, erit essentialitèr iudicium de præterito: & essentialitèr de futuro, quod essentialitèr consignificat tempus futurum. Cæterum illud iudicium essentialitèr significavit tempus præsens, quod essentialitèr repræsentat obiectum non distare temporalitèr à prima duratione iudicij: Illud tempus præteritum, quod essentialitèr repræsentat, obiectum antecessisse primam durationem suam; & illud de futuro, quod essentialitèr repræsentat obiectum, neque antecessisse, neque coëxistere primæ suæ durationi; sed post eam esse adventurum. Vndè quodlibet iudicium necessario est reflexivum supra se, & primam durationem, in qua concipitur repræsentat, vt probavimus disput. 3. sect. 2. §. 5.

50 His positis. Circa præsentem quæstionem duplex est sententia. Prima docet, propositionem mentalem semel veram, posse veritatem amittere, & oppositam falsitatem induere. Ita P. Izquierdo in Pharo disp. 3. §. 95. P. Quiros disp. 99. sect. 2. & plures RR. sequuti P. Suarez disp. 8. Metaphysicæ sect. 2. citantur etiam pro hac senteria Aristoteles lib. de Prædic. cap. de Substantia: & D. Thom. 1. p. q. 16. art. 8. ad tertium. Sed quo iure infra videbimus. Secunda sententia, per oppositum, docet, nullum mentalem actum semel verum posse transire successu temporis in falsum: aut

aut semel falsum in verum. Ita P. Hurtado disp. 9. sect. 4. P. Arriaga disput. 24. Logicæ, sect. 2. P. Alphonsus disput. 15. sect. 6. P. Oviedo controv. 7. punct. 2. P. Carleton disp. 45. Logicæ, sect. 5. Spinula disput. 4. sect. 9. & plures alij antiqui, & RR. Favet huic sententiæ Divus Augustinus lib. 2. de libero arbitrio, vbi ait: *Veritas non est æqualis menti: quia esset mutabilis, sicut, & mens.*

§. II

Proponitur, & probatur sententia negans propositionem transire posse de vera in falsam.

51 Sit nostra conclusio. Nullam propositionem in vno instanti verã, posse in alio amittere veritatem, & falsam esse. Probatur 1. ex D. Thoma vbi supra art. 5. in corpore, sic aiente: *Veritas nostri intellectus mutabilis est, non quod ipsa sit subiectum mutationis; sed in quantum intellectus noster mutatur de veritate in falsitatem: sic enim formæ mutabiles dici possunt*; ergo veritas nostri intellectus, quæ proculdubio, nihil aliud est, quam actus verus, non est subiectũ mutationis de veritate in falsitatem, quamvis intellectus mutari possit; quia dimisso actu vero, potest alium falsum circa idem obiectum concipere. Sentit ergo D. Thomas, actũ mentalem semel verum, non posse mutari in falsum. Confirmatur. Eatenus solum, iuxta D. Thom. actus nostri intellectus semel veri *mutabiles dici possunt* in falsitatem, *in quantum intellectus noster mutatur de veritate in falsitatem*: sed si idem numero actus mentalis semel verus posset mutari in falsum, nõ præcisè *dici posset mutabilis, in quantum intellectus mutatur de veritate in falsitatem*; sed ipse actus esset in se re vera mutabilis de verò in falsum independenter à mutatione intellectus: ipseque actus *esset subiectum mutationis*, vt per se patet: imò ideò intellectus mutaretur; quia actus mutatur de veritate in falsitatem, quod totũ est cõtra D. Thom. ergo ex Angelico D. actus mentalis verus, si idem numero permaneat non potest mutari in falsum: & ideò solum mutabilis dici potest; quia ipso deficiente potest intellectui advenire alius eiusdem speciei, qui sit falsus.

52 Probatur 2. à ratione; & sermo sit de hoc iudicio essentialitèr de præsenti: *Petrus currit* formato in A, & vero, quia Petrus currit in A, & durante in instanti B; in quo iam Petrus non currit. In instanti B: hic actus, neque potest variare obiectum ea ratione, qua per actũ repræsentatur, neque potest variari repræsentatio actus:

actus? ergo iudicium verum in A non potest esse falsum in B. Consequentia est bona: quia si in B manet eadem repræsentatio, & obiectum repræsentatũ eodem modo repræsentatur, necesse est, maneat iudicium conforme obiecto; ac proindè verum. Antecedens probatur quoad primam partem. Obiectum qua ratione repræsentatur est cursus Petri existens in instanti A, & coexistens primæ durationi iudicij; sed cursus Petri existens in A, & coexistens primæ durationi iudicij, nequit variari, & non existere in A; quia ex suppositione, quod sit res, necessario est: ergo nequit variari obiectum, qua ratione repræsentatur per actũ. Deinde nequit variari repræsentatio actus, quæ est secunda pars antecedentis. Nã repræsentatio obiecti nihil est aliud, quam actus essentia, ex §. 1. ergo cum in quocumque instanti existat actus, existat eius essentia, existet eius repræsentatio omninò invariata, & invariabilis.

55 Confirmatur. Vel hoc iudicium essentialitèr de præsenti significat, Petrum semper currere, & cursum coexistere iudicio in omni instanti, in quo existat; vel in aliquo instanti disiunctivè accepto; vel determinatè instanti A, in quo primo concipitur? Si primum, à primo instanti propositio est falsa: cum supponamus in B, in quo permanet, deficere cursum, proindeque in eo instanti non coexistere iudicio. Si secundum: ex suppositione, quod Petrus currat in A, in quocũque instanti est vera propositio dicens, Petrum currere in aliquo instanti. Si tertium, semper est vera; quia determinatè affirmat in quolibet, currere Petrum in A, & in omni instanti impossibile est, Petrum non currere in A, ex suppositione, quod in A currat: ergo hæc propositio semper est vera, vel semper est falsa. Hoc idem argumentum fit in iudicijs de præterito, & futuro.

54 Respondent P. Izquierdo, & alij RR. iudicium de quo est sermo, neque posse variare obiectum, aut modum repræsentandi, quem semel habuit; est tamen falsum in B: quia formatum in A, significat cursum, & iudicium defacto coexistere in A; quod si significat in B, potest esse falsum; quia falso dicitur in B, cursum, & iudicium defacto coexistere in A, cum defacto non sit in A. Sed contra. Vel hoc iudicium primo formatum in A, significat cursum, & iudicium defacto coexistere in A, appellando ly *defacto* supra omnem durationem iudicij; vel supra aliquam disiunctivè sumptum, vel supra primam durationem? Si primũ; est semper falsum; quia nequit coexistentia iudicij, & cur-

cursus in A, dari in instantibus diversis ab A, vt patet: quippè talis coexistentia in A, vt essentialitèr claudit ipsum A, essentialiter alligatū ad suam propriā mensuram. Si secundum & tertium, semper est verum; quia in nullo instanti potest deficere, iudicium, & cursum de facto coexistere in A, pro duratione ipsius A ex suppositione, quod sic coexistant.

55 Confirmatur. Hoc iudicium quod in A significat cursum coexistere de *præsenti* iudicio, vel dum manet in B, significat cursum coexistere de præsenti iudicio, ly *de præsenti* supponendo pro A, vel supponendo pro B? Si secundum mutabit significationem, quod probavimus supra esse impossibile. Si primum, in B, vera erit propositio: quia semper est verum coexistere cursum *de præsenti* iudicio pro mensura instātis A. Respondebis. Sensum illius iudicij de præsenti esse hunc: *Petrus currit in A, & hoc instans est solum instans meæ existentiæ*, quod falsificatur in B, cum iā instans B, etiam sit instans existentiæ iudicij. Sed contra *primo*. Si propositio absolutè affirmat instans A, & nullum aliud, esse instans existentiæ iudicij, falsa est propositio à primo instanti; cum supponamus instans B etiam esse instans existentiæ iudicij: ergo solutio nulla est. Contra *secundo*. Vel dicit propositio instās A, solum esse instans existentiæ iudicij, pro quolibet instanti existat iudicium: vel illum esse instans existentiæ iudicij pro eo determinato instanti A? Si hoc secundum: semper est vera propositio: quia adhuc in B, verum est instans A solum esse instans existentiæ, quam habuit iudicium in A. Si primum, semper est falsa; quia alia sunt instantia existentiæ, quā post A, habitura est propositio.

56 Dices. Eam esse naturam iudicij, vt in quocumque instanti existat, affirmet, quod affirmat in primo; nec significationem mutet: cumque in primo affirmet cursum, & instans ipsi iudicio coexistere de præsenti, in secundò idem significabit: at hoc ipso erit falsum; quia tunc non est verum coexistere de præsenti iudicio cursum, & instans A; sed coexistere in A. Hanc esse naturam iudicij de præsenti, indè probatur. Quia intellectus per ipsas cognitiones directè tēdentes in obiecta scit, An obiecta sint præsentia, preterita, vel futura iudicio? Quod nō alitèr scire potest, quā per reflexionem, quam iudicia habent de sua duratione presenti, præterita, vel futura respectu obiecti; sed non potest intellectus per suas cognitiones hanc certitudinem habere, vi huius iudicij: *Petrus currit*, si in B existens non affirmet cursum, & instans cursus coexistere; sed du-

bius

bius per ipsum manebit intellectus. An cursus sit præsens, præteritus, vel futurus: ergo intellectus per hoc iudicium existens in B, affirmat coexistentiā suæ durationis, & cursus in A, de præsenti existere.

58 Sed contra *primò* instaurando argumentum. Vel iudicium, quod sit essentialitèr de præsenti, affirmat eam existentiam existere *de præsenti* pro omni duratione sui, vel tantùm pro duratione A? Si primum ab initio est falsum, cùm supponamus, eam coexistentiam iudicij, & cursus non existere in duratione B, in qua durat iudicium. Si secundum ergo etiam in B, est verum, cum in eo instanti verum sit, eam coexistentiam existere de *præsenti* pro duratione A iudicij. Nec dicas 1. Iudicium in B, significare eam existentiam *de præsenti* pro duratione sui in B. Nàm vel hoc significabit ab initio? Et sic ab initio fuit falsum; vel id incipit significare in B? Et sic mutabit significationem, quod negas, & benè; quia impossibile est. Nec dicas 2. Si hæc ita non sint, non esse, vndè discernamus iudiciū de præsenti ab alio de præterito, aut futuro, cum per ipsum non maneat cognoscens conscius de præsentia, potius quam de futuritione obiecti. Quia sufficiens discrimen in-fe sumitur: quia iudicium de præsenti ex suo modo tendendi petit obiectum ipsi temporalitèr coexistens, pro prima sua duratione; & iudicium de præterito petit obiectum antecessisse suam primam durationem; & iudicium de futuro petit obiectum adventurum post primam durationem iudicij.

58 Contra *secundò*. Quia si solutio intendit, iudicium ex suo modo tendendi essentialitèr de præsenti, in qualibet duratione sit, affirmare eā suam durationem, quam tunc habet, non distare à duratione obiecti, hoc involuit, quod verum reputo ex primo notabili; licèt ibi ex alio principio mihi verò confirmatū, scilicèt, nullum iudicium posse plusquam vnum instans durare. Cæterum admisso, quod per plura instantia duret, vt ad præsenté quæstionem admittunt respondentes, impossibile est iudicium de præsenti eam significationem habere; sed significabit solum primam suam durationem non distare à duratione obiecti pro ea mensura, quam constituit primum instans iudicij; aliàs enim, vel semper erit falsum, contra suppositionem, vel habebit in secundo instanti significationem, quam non habuit in primo, quod impossibile est.

§. III.

Solvuntur obiectiones.

59 Objicies 1. Aristotelem vbi supra sic aientem: *In oratione verò, & opinione non ita fit; sed ipse quidem immobiles penitus manent: si res autem moveatur, ibi tunc evadunt circa ea contraria: Oratio autem eadem manet, dicens quempiam sedere. Re autem mota interdum vera, interdum falsa fit*: ergo ex Philosopho eadem oratio potest esse iam vera, iam falsa, pro variatione obiecti, quod enuntiat. Respondeo: Aristotelem eo loco, vt ex contextu constat prę-cisè intendere, veritatem orationis non esse orationi adęquatè intrinsecam; sed dependere ab obiecto per ipsam enuntiato: idque probat verbis adductis: quia eademmet oratio, quę fit vera ab obiecto se habente sicut ipsa enuntiat, potuit fieri falsa si obiectum vt potuit, non ita se haberet. Vndè in primo suo *fieri* propositio fit vera, si obiectum in se fit, sicut ipsa enuntiat; & eademmet potuit primo fieri falsa, si obiectum se haberet alitèr: At orationem semel veram posse etiam consequentèr, primam veritatem amittere, & in falsam transire, neque a Philosopho docetur, neque accidere potest, quin oratio repræsentationem, & essentiam mittet quod est impossibile.

60 Objicies 2. Hoc iudicium de præsenti *Petrus currit* formatum in A, quia reflexivum est supra suam durationem affirmat cursum, & ipsum iudicium de præsenti coexistere instanti A: ergo nè mutet obiectum, nec modum significandi, idem, & eodem modo significabit in B. in quo supponimus Petrum non currere licèt cucurrerit in A: sed si idem, & eodem modo affirmat in B. erit falsum: ergo potest transire de vero in falsum. Probatur minor. Si idem, & eodem modo in B affirmat; affirmat quidem in B. totum illud obiectum coexistere de præsenti instanti A; quod evidentèr est falsum, cum in instanti B, neque sit præsens instans A, neque cursus. Confirmatur. Hoc iudicium: *Petrus peccabit cras*, affirmat, peccatum existere cras & cras esse posterius ad durationem sui; sed cras idem affirmans erit à fortiori falsum: ergo iudicium hodie verum cras est falsum. Probatur minor. Dū iudicium est cras, ipsum cras non est posterius ad durationem iudicij; sed illi coexistens: ergo iudicium cras affirmans durationem crastinam esse posteriorem ad durationem iudicijs est cras falsum.

61 Respondeo ex dictis distinguendo antecedens: Affir-

Affirmat cursum; & iudicium existere de præsenti in A, pro mensura, quam constituit instans A, concedo: pro alia mensura, nego antecedens: & concessa prima consequentia, nego minorem: Ad probationē, distinguo: affirmat in B, totum illud obiectum coexistere in instanti A, pro mensura instantis A, concedo: pro alia mensura, nego. Vbi nota iudicium in B, & pro mensura ipsius B affirmat, totum illud obiectum coexistere in A, pro A? non tamen affirmat in B, totum illud obiectum existere de præsenti pro mensura ipsius B, quasi mensura B, sit mensura præsentialis illius obiecti, licèt sit mensura affirmationis illius præsentialitatis relatè ad A. Ad confirmationem distinguo secundam partem maioris; & cras esse posterius ad durationem omnem iudicij, nego: Ad primam durationem iudicij, concedo maiorem, & distinguo minorem in eodem sensu. Ad probationem, concesso antecedenti, distinguo consequēs: Si affirmat durationem crastinam esse posteriorem omni iudicij duratione, concedo: Si affirmat, vt affirmare debet esse posteriorem ad primam durationem iudicij, nego consequentiam.

62 Objicies 3. Hæc propositio formata die lunæ: *Nunc est dies Lunæ*, si perseveret die Martis necessario est falsa: ergo propositio semel vera potest transire in falsā. Probatur antecedens. Si die Martis esset vera, nesciret homo, quo die viveret: ergo non est vera. Probatur antecedens. Nam si die Martis est vera, non potest homo, per eā die Martis scire: An sit dies Lunæ, an dies Martis? Potius per eā die Martis sua debitur, tunc esse diem Lunæ, cum propositio vera enunciet esse tunc diē lunæ. Confirmatur. Si homo per hoc iudiciū *Nunc est dies dominica* sciat, se vivere die dominica, simul cum illo non admittit hoc iudicium verum hic, & nunc: *Nunc est dies Lunæ*. Patet: quia nequit intellectus simul sic iudicare, adhuc per duplex iudicium: *Nunc est dies Dominica: Nunc est dies Lunæ*: sed si hoc iudicium: *Nunc est dies Dominica*, verè conceptum die Dominica permaneat die Lunæ, intellectus simul illud duplex iudicium haberet: ergo hoc iudicium: *Nunc est dies Dominica*, non potest manere verum die Lunæ.

63 Respondeo *primò*, argumentum probare, iudicium formatum die Lunæ, vel die Dominica non posse ad alium diē transire, quod iudico verum: non tamen ea iudicia falsa esse, si semel admittatur, de vno ad alium diem posse transire. Ideò respondeo secundo, negando primum antecedens. Ad probationem, concesso antecedenti,

qua parte dicit, per eam propositionem nescire hominem, tūc esse diem Martis (quod tunc sciret per alia iudicia pro die Martis formata) nego secundam videlicet, per eam suaderi intellectum, *tunc* esse diem Lunæ: quia iudiciū illud diei lunę essentialitèr repræsentativum, & non alterius, tunc, scilicèt, die Martis, dicit, esse diem lunę; non tamen tunc dicit, esse diem lunæ *tunc*; sed esse diem lunæ pro mēsura, quam ipse lunæ dies constituit. Ad confirmationē, distinguo maiorem: Si ly *nunc* referatur ad eandem numerò durationem in vtroque iudicio, concedo: Si ly *nunc* referatur per primum iudicium ad propriam mensuram diei Dominicæ, & per secundum ad mensurā diei lunæ, nego maiorem. Nec aliud probat ratio in probationem adducta. Inde, nego consequentiam. Itaque intellectus in eodem nunc diei lunæ; potest iudicare per primum iudicium conceptum die Dominica: *Nunc est dies Dominica*: & per aliud conceptum die lunæ: *nunc est dies lunæ*: attamen in nunc diei lunæ secundum iudicium habet pro obiecto *nunc* diei lunæ; & aliud iudicium primum conceptum die Dominica, habet pro obiecto *nunc* diei Dominicæ. Quo constat vtrumque iudicium simul esse verum absque impossibilitate in nunc die lunæ, licèt non vtrumque pro illo nunc; sed aliud pro nunc Dominico, & aliud pro nunc lunæ.

64 Objicies 4. Vi huius iudicij veri *Nunc est dies Dominica*, potest intellectus hoc aliud formare: *Teneor audire sacrum*: Item, vi huius iudicij etiā veri: *Nunc est dies lunæ*, formare posset hoc: *Non teneor audire sacrum*: ergo non potest manere primum iudicium verum die lunæ. Probatur consequentia Si maneret verum die lunæ, simul cum secundo iudicio, posset intellectus habere simul hæc duo iudicia vera: *Teneor audire sacrum hodie*: Non *teneor hodie audire sacrum*. Primum vi huius *Hodie est dies Dominica*. Secundum vi huius: *Nunc est dies lunæ*: sed impossibile est, intellectum simul habere ea duo iudicia vera: ergo primum illud iudicium non potest manere verum die lunæ. Respondeo, concesso antecedenti: Si ly *nunc* in primo iudicio referatur ad diem Dominicam, & secundum ad durationem diei sequentis, & nego consequentiam. Ad probationem, distinguo maiorē: Potest intellectus simul habere ea iudicia in eadem duratione exprimentia obligationem, & carentiam obligationis, pro diversis durationibus, concedo maiorem: pro eadem duratione, nego maiorem: & distinguo minorem: Si iudicia exprimant obligationem, & eius carentiā respectivè ad eandem durationē,

con-

concedo ; Respectivè ad diversam, nego minorem, & consequentiam. Constat solutio satis ex dictis.

75 Sed instabis: Hoc iudicium: *Nunc est dies Dominica*, affirmat durationem Dominicã esse simultaneam durationi iudicij; sed hoc est falsum die lunæ, licèt ly *nunc* denotet durationem Dominicam: ergo ea propositio die lunæ est falsa. Probatur minor. Licèt illud *nunc* denotet durationem Dominicam, falsum omninò est die lunæ, duratione Dominicã esse simultaneam durationi iudicij. Distinguo maiorem: Affirmat durationem Dominicam esse simultaneam omni durationi iudicij, nego maiorẽ: Primæ durationi iudicij, concedo maiorem, & distinguo minorem; est falsum, si dicat, duratione Dominicam esse simultaneam omni durationi iudicij, concedo minorem: Si affirmet esse simultaneam durationi, quam primò habuit iudicium, nego minorẽ. Ad huius probationem; dico, falsum esse die lunæ dicere, durationem Dominicam esse simultaneam omni durationi iudicij proindeque durationi quã iudicium habet die lunæ; verũ tamen esse dicere die lunæ durationem Dominicam esse simultaneam durationi Dominicæ iudicij.

66 Instabis 2. Iudicium, de quo loquimur obligat ad audiendum sacrum eo die quo est verum: sed est verũ, per nos, die lunæ: ergo obligat ad audiendum sacrum die lunæ: vndè fit, die lunæ coniungi ea iudicia contradictoria, & simul vera. *Hodie teneor audire sacrum: hodie non teneor audire sacrum*. Distinguo maiorẽ; eo die quo, & *pro quo* est verum, concedo: eo die, quo est verũ, si non est verum *pro eo die*, nego maiorẽ: & distinguo minorem: est verum die lunæ *pro die lunæ* nego minorem; die lunæ *pro die Dominica*, concedo minorẽ, & nego consequentiam. Vndè patet ad absurdũ, quod subinfertur. Ex his colliges. Quid dicendũ sit circa has propositiones durãtes in B, & incipientes in A, quas supponamus in A esse veras: modo *incipio loqui Petrum*: *Petrus existet in instanti B*: *& instans B, me immediatè subsequitur*. Istæ etiã propositiones semper referuntur ad A, nè mutent essentiam.

67 Objic. 5. Supponendo cũ vera sententia, quamlibet entitatẽ habere relationem aliquã similitudinis cum qualibet alia. Hæc propositio: *Petrus currit*, potest trãsire de simili prædicamẽtaliter obiecto, in non similem: ergo eadem propositio potest transire, de simili intẽtionalitèr obiecto in non similem. Probatur antecedens. Existente cursu est illi propositio assignata prædicamentaliter similis, similitudine coëxistendi ipsi eaque simi-

similitudo deest perseverante propositione, & deficiente cursu. Consequentia autẽ, videtur certa à paritate. Concesso antecedenti, nego consequentiã. Disparitas est. Quia similitudo physica; coexistentiæ duorũ claudit essentialitèr physicam existentiam vtriusque, vt physicè coexistentium sibi: patetque hanc similitudinem physicã inter actum, & cursum deficere deficiente cursu. At similitudo intentionalis actus, & obiecti, non includit essentialitèr physicam existentiam obiecti pro omni duratione, pro qua existit actus; sed pro ea tantũ, pro qua actus affirmat dari physicè eam existentiam. Quo fit, non esse actum in B, non similem obiecto deficienti in B, si existat in A: quia videlicèt, obiectum non existens in B, ex suppositione, quod existat in A, nequit non existere in A, pro quo actus ipsũ affirmat existere.

68 Instabis 1. Hæc propositio; *Petrus currit*, facit hunc sẽsum: *Cursus Petri mihi coexistit*: ergo similitudo intentionalis huius propositionis cum cursu petit physicam existentiã cursus: ergo deficiente cursu in B, deficit ea similitudo. Respondeo, eam similitudinem physicã actus, & obiecti, & similitudinem intentionalem eorundem eadem habere constitutiva: sed alitèr, & alitèr. Nam vt extremum aliquod sit alteri physicè simile in aliquo instanti, petit alterũ in eo physicè existere; at vt alteri sit simile intentionalitèr, licèt petat, alterum physicè existere in aliquo instanti, non verò in omni, in quo ipsum existit physicè. Ideo distinguo primum consequens petit physicã existentiam cursus pro primo instanti existẽtiæ propositionis, concedo: pro reliquis, nego cõsequentiam.

69 Instabis 2. Nequit hæc propositio: *Petrus currit* esse similis intentionalitèr obiecto, quin ipsi sit physicè similis: ergo sicut non stat physica similitudo actus, & obiecti sine existentia physica vtriusque; ita neque similitudio intẽtionalis: sed similitudo physica deficit deficiente cursu in instanti B: ergo, & intentionalis. Distinguo antecedens: quin ipsi sit physicè similis in aliquo instanti, concedo: In omni, nego antecedens, & distinguo consequens: sicut, & eodem modo, nego consequentiam Sicut, & diverso modo, concedo cõsequentiam. Est dicere. In quocumque instanti actus sit physicè similis obiecto, petit pro eodem instanti, physicam existentiam obiecti exerceri pro eodem instanti; at vt in quocumque instanti existat actus, sit obiecto intentionaliter, similis, sufficit, quod obiectũ existat physicè in eo instanti relatè ad quod actus affirmat obiectũ re vera existere physicè.

DIS-

DISPVTATIO VI.

De veritate propositionum de futuro, tàm conditionato, quàm absoluto.

DOctrina huius disputationis viam stermit controversiæ in Theologia gravissimæ, scilicèt de modo, & medio, in quo Deus futura, præcipuè conditionata, & libera cognoscat; an, videlicèt, ea videat Deus per scientiam visionis immediatè terminatam ad decretum divinum metaphysicè cōnexum cum eorum conditionata futuritione? An ea præsciat per scientiam mediam omne divinum decretum præcedentem, & immediatè terminatam ad ipsum eventum liberum, sub tali, vel tali conditione futurum? Vt autem hæc disputatio discipulis in commendatione sit, sufficiat scire, doctrinam infra tradendam omninò necessariam esse ad intelligentiam scientiæ mediæ pupillæ oculorum Societatis.

SECTIO I.

Explicantur termini, & referuntur sententiæ.

1 SVppono 1. Futurum, aliud esse absolutum, & aliud conditionatum. Absolutum est, quod determinatè, & re vera existet in aliqua temporis differentia. Sic absolutè futurum est peccatum Antichristi. Conditionatū est, quod in aliqua differentia temporis existeret sub aliqua conditione, si ea conditio poneretur: sic futura est pœnitentia finalis Antichristi, qui finalitèr pœniteret, si illi daretur hoc, vel illud auxilium gratiæ. Rursus tàm futurum absolutum, quam conditionatum, aliud est contingēs, aliud necessarium. Futurum absolutum cōtingens est, quod ita existet determinatè in aliqua differētia tēporis, vt tunc nulla sit necessitas antecedēs, vt existat: tale est peccatum Atichristi, quod certò existet; sed pro libera determinatione Antichristi, & non vi alicuius necessitatis antecedentis, vt in ea differentia temporis existat. Futurum absolutum necessarium est, quod determinatè existet in aliqua temporis differentia cū necessitate antecedenti vt existat: sic futurus est solis actus crastino die. Futurum conditionatū contingens est, quod existeret sub

sub aliqua conditione, si poneretur: ita tamen, vt conditio semel posita non inferat se ipsa necessario conditionatum, sed omnimodam indifferentiam relinquat, vt sequatur, vel non sequatur pro alterius determinatione. Sic futura est conditionatè pœnitentia Antichristi sub conditione auxilij A, quod ex se est indifferens ad pœnitentiam, & carentiam pœnitentiæ. Futurum conditionatū necessarium est, quod ita existeret, si poneretur conditio, vt ea conditio semel posita necessario inferat, se ipsa, conditionatum, quod sub illa affirmatur: sic futura est conditionatè crastina lux sub conditione crastini ortus solis.

2 Hinc suppono *secundò*. Futuritionem, aliam esse absolutam, aliam conditionatam: & vtrâque, aut esse contingentem, aut necessariam. Patet. quia cum futurum futuritione sit futurum, tot, erunt species futuritionis, quot sunt species futurorum. Suppono *tertio*. Futuritionem, aliam esse radicalem, aliam formalem. Futuritio radicalis est essentialis determinatio, vt aliquid nunc non existens, existat, postea, sivè absolutè, sivè conditionatè, sivè contingentèr sivè necessario. Futuritio formalis Antichristi v. g. nihil aliud est, quam Antichristum non existere hodierna die, in qua dicitur futurum, & existere in alia duratione posteriori duratione hodierna. Vndè ea futuritio formalis adæquatè identificatur cum non existere Antichristum nunc, & existere postea. Sic præteritio formalis Adami adæquatè identificatur, cum extitisse antea Adamū, & non existere nunc. Nec horum alia potest reddi ratio, quam communis sensus, quo nihil aliud intelligimus per hunc conceptum: *Res, est futura*, quam modo non esse, & esse postea, nec per hunc, *Res est præterita*, aliud intelligimus, quā rem antea extitisse, & modo non existere.

3 Vndè fit *primò*. Futuritio formalis Antichristi (idē est de futuritione qualibet, & idem est de præterione. Adami, & cuiusvis alterius rei prçteritæ) in nullo instanti adęquatè existit: quia in nullo instanti possunt coniungi carentia, & existentia Antichristi, cum quibus identificantur eā futuritio adæquatè. Existit ergo futuritio formalis Antichristi partim nūc, & partim postea. Fit *secundo*. Futuritio formalis Antichristi partim est ipsi intrinseca, partim extrinseca: est ipsi intrinseca qua parte futuritio claudit existentiam Antichristi cum ipso ipentificatam: est ipsi extrinseca, qua parte futuritio carentiam Antichristi dicit in eo tempore, in quo futurus dicitur

tur Antichristus, siquidem extrinsecum est Antichristo in trinsecè potente existere modo, modo non existere. Fit *tertio*. Futuritio Antichristi non est nunc merè possibilis; quia nunc datur aliquid eius futuritionis, scilicèt, carentia Antichristi. Nec nunc est illa futuritio adæquatè futura: quia quod est nunc adæquatè futurorum, adæquatè incipit in instanti sequenti ad hoc, & sic non potest incipere futuritio, siquidem per instans A, nunc præsens non incipit carentia Antichristi, quæ datur nunc, & intrinsecè eam futuritionem cōstituit. Fit *quarto*. Quando dicitur deficiente causa rei, deficere futuritionem rei, intelligendum est de futuritione radicali, quæ adæquatè consistit in determinatione causæ, vt effectus postea fit: non de futuritione formali, quæ adæquatè à causa distinguitur. Fit *quinto*. Hæc propositio: *Antichristus est nunc futurus*, non enuntiat, modo dari totam futuritionem Antichristi: nam sic falsa esset ea propositio, quæ tamen, apud omnes est vera; sed solum enuntiat, Antichristum non existere nunc, & exiturum esse postea. Hoc maximè observandum est pro dicendis infra.

4 Suppono *quarto*. Futuritionem conditionatam obiectivam, de qua est sermo, non distingui à futuritione absoluta obiectiva. Clarius: Obiectum huius propositionis: *Petrus consentiet sub auxilio A*: & obiectum huius: *Petrus si habeat auxilium A, consentiet* sunt idem omninò obiectum. Probatur. Obiectum primæ propositionis est futuritio absoluta obiectiva consensus; sed hæc futuritio est obiectum secundæ: ergo vtriusque obiectum est idem. Probatur minor. Obiectum secundæ est id, de quo affirmat, non dari modo, dandum tamen postea sub conditione auxilij A: sed id, de quo id affirmat, est consensus absolutus, qui est obiectum primæ, & cum sui carentia constituat futuritionem absolutam sui: ergo obiectum secundæ est futuritio absoluta obiectiva consensus: vndè hæ duæ propositiones non distinguuntur ex obiecto; sed ex diverso modo tendendi circa illud; sicut solum ex diverso modo tendendi distinguuntur affirmativa, & negativa contradictoriæ. Item copulativa hæc: *Petrus currit, & Ioannes audit*: & hæc disiunctiva: *Vel Ioannes audit, vel Petrus currit*, quarum vna potest esse vera, & altera falsa; non ex diversitate obiecti; sed ex diverso modo illud enuntiandi.

5 Suppono *quintò*. Pro-

propositionem de futuro eam esse, quæ de suo obiecto futuritionem enuntiat. Potest tamen propositio esse de futuro absoluto; ea, videlicèt, quæ de suo obiecto enuntiat, modo nō existere, & exiturum postea, præscindensque in modo affirmandi ab omni conditione: talis est hæc: *Antichristus peccabit.* Vel potest èsse de futuro conditionato, ea videlicèt, quæ non vt cumque affirmat, obiectum exiturum postea; sed exiturū, sub hac, vel illa conditione: talis est hæc: *Antichristus aget pœnitentiam finalem, si habeat auxilium A.* Rursus: propositio de futuro absoluto erit necessaria, vel necessariæ veritatis, quando realitèr est necessitas antecedens, vt obiectum sit ea ratione, qua affirmatur. Erit autem contingens, seu contingentis veritatis, quando deficiat ex parte rei talis necessitas: Propositio de futuro conditionato erit necessaria, quando conditio, sub qua affirmatur obiectum, necessario inferat, se ipsa, tale obiectum. Erit contingens, quando conditio, neque connexionem habeat cum conditionato; neque inferat necessario conditionatum.

6 His positis. Duplex est hic præcipua difficultas. Prima. An propositiones de futuro sivè absoluto, sivè conditionato, sivè necessario, sivè contingenti, sint determinatè veræ, aut determinatè falsæ? Secunda. An, vt modò hæ propositiones sint determinatè veræ, necessarium sit aliquid de præsenti existens, & coexistens propositionibus connexum cū existentia obiecti pro tempore importato per copulam, ita vt præscindendo ab hoc connexo, nequeant modo propositiones esse veræ? Circa primam difficultatem negant Aristoteles lib. 1. Periherm. cap. 8. & Cicero de Divinatione, quos alij Ethnici, & plures Hæretici sequuntur, propositiones singulares, seu de obiecto singulari, habere determinatam veritatem, aut falsitatem; qui etiam dicunt, Deum ab æterno non cognoscere futura singularia. Affirmant verò omnes Catholici, & omnia futura singularia cognosci à Deo, & propositiones, sivè vniversales, sivè singulares circa futura versantes, habere determinatam veritatem, aut falsitatem. Circa secundam difficultatem. Tale connexum requirunt Thomistæ omnes, aut ferè omnes, consentiuntque P. Antonius Perez, & pauci ex nostris cum P. Rivadeneyra disput. 10. de Scientia Dei, cap. 2. Illud negant Eximius Doctor opusc. de scientia futurorum. P. Vazquez 1. p. disp. 66. P. Arriaga, P. Oviedo, P. Hurtado, & vno agmine cęteri omnes DD. nostri antiqui

&

& moderni qui, vel ex eo adhærent toto corde huic sententiæ, quia contrariam non bene cohærere iudicant, cum doctrina Societatis circa Scientiam Mediam.

SECTIO II.

Vtrum propositiones de futuro absoluto habeant determinatam veritatem, aut falsitatem.

7. PRopositiones de futuro absoluto necessario, quales sunt hæ, *Sol cras orietur: ignis cum omnibus prærequisitis ex parte actus primi ad comburendum comburet*, esse determinatè veras, communis opinio est. Quia cum ex parte rerum detur antecedens necessitas, vt sol cras oriatur, & ignis cum omnibus prærequisitis ad comburendum comburat, ex nunc determinatè verum est, & solem cras oriundum, & ignem rectè dispositum combustutum. Deinde certum est etiam apud Ciceronem, Aristotelem, & alios, esse determinatè veras, aut falsas propositiones vniversales de futuro contingenti, scilicet; *omnis homo peccabit cras*: *nullus homo peccabit cras.* Vnde solum restat quæstio de propositionibus singularibus circa obiectum contingens.

8. Sit conclusio. Quælibet propositio singularis de futuro contingenti absoluto, est modo determinatè vera, aut determinatè falsa. Probatur 1. Hæc propositio: *Petrus peccabit cras*, est modo determinatè vera, aut determinatè falsa: ergo. & quævis alia propositio de futuro contingenti singulari. Antecedens probatur. Vel accedente cras datur peccatum Petri, vel non datur: Si datur, vera est modo propositio solum affirmans cras dandum tale peccatum. Si non datur, modo est falsa propositio dicens, dandum cras peccatum, quod revera non dabitur cras: sed accedente cras, necessarium est, peccatum Petri, vel dari, vel non dari: ergo propositio singularis modo efformata circa peccatum crastinum Petri modo est, aut determinatè vera aut determinatè falsa. Probatur minor. Accedente cras nequit peccatum Petri, neque non dari, neque dari: clarius, nequit cras non dari peccatum Petri, aut eius carentia, iuxta illud, *quodlibet est, vel non est*: ergo accedente cras necessarium est peccatum Petri, vel dari, vel non dari.

9 Confirmatur 1. Hæc propositio copulativa est determinatè falsa: *Cras neque existet peccatum Petri, neque eius peccati carentia*; quippè prorsus necessarium est. Petrum cras indifferentem ad peccatum, & non peccatum, se determinare ad

peccatum, vel ad carentiam peccati: ergo hæc disiunctiva: *Petrus, vel peccavit, vel non peccabit cras*; quæ est contradictoria copulativæ, est determinatè vera: sed nequit propositio disiunctiva esse determinate vera, quin aliqua ex cathegoricis, quibus constat sit vera determinatè: ergo saltem aliqua cathegorica, quæ singularis est de futuro absoluto est determinatè vera. Dices: contradictoriam copulativæ non esse disiunctivam; sed disiunctam, quæ nullam cathegoricam requirit determinatè veram; vt patet in hac: *alter oculus requiritur ad videndum*. Ad cuius veritatem, neque dexter determinatè, neque sinister determinatè; sed alter eorum disiunctim requiritur. Sed contra *primo*. Ex principijs summulisticis copulativæ sola disiunctiva contradicit; non disiuncta. Contra *secundo*. Admissa solutionis doctrina: arguo sic Quia hoc prædicatum *requiritur ad videndum*, disiunctim affirmatur de oculis, falsa est hæc, *dexter requiritur ad videndum*; & falsa est hæc, *sinister requiritur ad videndum*: ergo si futuritio solum affirmatur disiunctim de peccato, & eius carentia, falsa est hæc determinata, *peccatum erit cras*: & etiam hæc est falsa: *carentia peccati erit cras*: sed hæ propositiones sunt contradictoriæ: quia idem est, *carentia peccati existet cras*; ac, *peccatum non existet cras*; ergo ex solutione inferuntur, primo duę contradictoriæ simul falsæ: secundo duæ propositiones singulares de obiecto contingenti determinatè falsæ; & sic habemus intentum.

10 Confirmatur. 2. Veritas stat in conformitate actus, & obiecti, & falsitas in disformitate actus, & obiecti: scilicet, veritas in eo stat, quod obiectum se habeat tempore importato per copulam eo modo, quo propositio enuntiat se habere: falsitas autem in eo, quod obiectum non se habeat in eo tempore eo ipso modo, quo propositio enuntiat; sed inter esse, & non esse peccati crastini, ita non datur medium; vt necessarium sit omnino, cras futurum, aut non futurum peccatum: ergo necessarium omnino est, quod propositio enuntians peccatum futurum esse cras vera sit modo, aut falsa. Confirmatur *tertio*. Deus per Prophetas revelavit plura futura contingentia absoluta, vt constat ex Sacra Pagina: ergo cognitio, qua Deus enuntiat ea futura, ac per consequens revelatio ea Prophetis enuntians est modo determinatè vera: ergo propositio, qua Prophetæ eadem enuntiabant, ac Deus; & propositio, qua ego modo fide divina enuntio, & credo obiecta futura à Deo per Prophe-

phetas revelata determinatè veræ sunt. Probatur hæc consequentia. Hæ propositiones idem, & eodem modo enuntiant, ac iudicium divinum determinatè verum: ergo, & hæ propositiones. Patet consequentia. Quia implicat non esse veram cognitionem nihil aliud nec alio modo enuntiantem, quam id ipsum, quod enuntiat altera cognitio vera.

11 Probatur 2. Conclusio. Hæc propositio: *omnis homo peccabit cras*, modo est iuxta Adversarios, aut falsa determinatè, aut determinatè vera. Ponamus esse determinatè falsam; quia incredibile est omnem hominem cras peccaturum. Tunc sic. Ergo eius contradictoria, nempè hæc: *aliquis homo non peccabit cras*, est determinatè vera. Patet. Quia duarum contradictoriarum altera debet esse determinatè vera, si altera est falsa determinatè. Pergo: sed propositio hæc *aliquis homo non peccavit cras* nequit esse vera determinatè, quin vera sit aliqua ex cathegoricis singularibus, sub quibus ab ea fit descensus, videlicet, aliqua harum: *vel hic homo non peccabit cras: vel hic homo non peccabit cras*, & sic de reliquis: ergo determinatè est vera aliqua cathegorica singularis de futuro contingenti absoluto. Nescio quid sit infirmum in hac forma arguendi.

12 Obijcies 1. Potest Petrus cras libere non peccare: sed si hæc propositio, *Petrus peccabit cras*, modo determinate est vera, Petrus cras non peccaret libere, sed necessario: ergo non est modo vera determinatè. Probatur minor. Peccatum Petri non potest non esse crastina die, si illa propositio est modo vera; sed hoc ipso Petrus peccaret necessario, & non libere. Maior probatur: si ea propositio modo est vera, vera fuit ab æterno, ac perconsequens ab æterno futurum fuit peccatum crastinum Petri: ergo peccatum Petri non potest non esse crastina die. Probatur hæc consequentia. Nulla potentia potest cras non esse id, de quo ab æterno fuit verum, futurum esse cras: alias homo posset facere cras, ne fuerit ab æterno futurum, quod futurum fuit ab æterno. Confirmatur *primo*. Si hæc propositio esset modo vera, non existeret cras contingenter peccatum Petri: ergo neque libere. Probatur antecedens. Non existeret cras contingenter id, de quo verum fuit ab æterno, futurum esse cras; sed si ea propositio modo est vera, de peccato verum fuit ab æterno, futurum esse cras: ergo non existeret cras contingenter peccatum Petri.

confirmatur *secundo*. Si determinatè verum est nunc, peccatum, eventurum cras: ergo frustra est consultatio de futuris. Probatur consequentia. Quia consultatio, & consilium debet esse de re, quæ posset evenire, & non evenire, non de re, quæ determinate eventura est.

13 Vt respondeas ad obiectionem, observa *primo*: Duplicem esse necessitatem distinguendam ad aliquid, & duplicem impotentiam, aliam antecedentem, aliam consequentem. Necessitas antecedens ad aliquod extremum, est determinatio ex parte causarum illius, quæ determinatio inferat eius existentiam necessario: sic necessarium est antecedenter cras illuminare solem, quia ex parte causæ illuminationis determinatio datur ad illuminandum, illuminationem necessario inducens necessitate naturali. Necessitas consequens ad aliquod extremum est determinatio ad eius existentiã cum ipsa eius existentia identificata: quia cum existentia alicuius secum ipsa connectatur per identitatem, nequeatque non existere dum est; ex suppositione, quod sit necessario est: sic meus amor liber est necessitas consequens sui ipsius, quia per identitatem, quam habet secum ipso nequit non esse dũ est. Hinc illud axioma: *quidquid est, quando est necesse est esse*. Hinc etiam quidquid essentialiter supponit existentiam effectus, dicitur necessitas consequens ipsius, quia est necessitas proveniens ex ipsa effectus existentia, & essentialiter eam supponens, & eam inferens tantum à posteriori. Eodem modo impotentia antecedens, & consequens explicandę sunt. Hinc rursus, vt peccatum cras eveniat necessario non sufficit quæcumque necessitas, vt cras eveniat, neque quæcumque impotẽtia, ne eveniat cras sed requiritur necessitas antecedens, vt eveniat, & impotentia ex parte voluntatis, aut causæ influentis in peccatum crastinum, vt necessario non eveniat.

14 Observa *secundo*: Cum actus constituatur verus inadæquatè per ipsum obiectum, actus, vt verus obiectum essentialiter involvit. Vnde necessitas de eo, quod existat peccatum, quod est obiectum illius actus non est antecedens ipsum peccatum: sed consequens: si quidem est necessitas claudens per identitatem ipsum peccatum existens tempore importato per copulam. Cuius vlterior ratio est: quia non aliunde à priori est verus actus hodie enuntians, peccatum crastinum, quam ab ipso peccato crastino existente cras ideoque non existet cras peccatum, quia actus hodie enuntiat peccatum ex-

extiturum esse cras: sed potius ideo à priori actus est verus hodie, quia peccatum existet cras. Observa *tertio*. Quia ex observatione secunda actus enuntians hodie peccatum crastinum est verus ab ipso peccato, quia existet cras, potestas cras existens libera ad peccatum, & eius carentiam, est libera potestas ad impediendam eam veritatem, impediendo peccatum. Quia libera potestas tollendi vnum ex constitutivis est libera potestas tollendi constitutum, quatenus tale: sed ea veritas est quid constitutum ex actu existente hodie, & peccato existente cras: ergo libera potestas impediendi peccatum crastinum, est libera potestas impediendi eam veritatem. Est, inquam, libera potestas impediendi eam veritatem, non impeditione coniuncta cum ea veritate; sed divisa: hoc est, non impeditione in eo stante, quod deficiat peccatum cras in sensu composito veritatis illius actus; sed in eo stante, quod per ipsam carentiam peccati crastinam impediatur, vnquam fuisse eam veritatem.

15 Ratio primi est. Quia si ea veritas, seu quod idem est, si ea scientia divina vera aliquando existit, nequit ab existētia, quam supponimus habuisse, impediri: quippè, quod aliquando est necesse est tunc esse; & quia ad præteritum non datur potentia. Ratio secundi est. Quia cùm ideo extiterit ea scientia, quia extiturum est peccatum, ita, vt à peccato futuro ea scientia dependeat, qui potest peccatum impedire, potest potestate antecedenti facere, ne vnquam præcesserit, ne vnquam extiterit ea scientia, quæ ideo primo extitit, vt sic dicam, quia peccatum futurum est. Observa *Quarto*. Necessitatem consequētem peccati crastini non impedire libertatem eius peccati; sed solum antecedentem necessitatem. Est certum apud omnes, & ratio est.

16 Quia libertas peccati stat in omnimoda expeditione suarum causarum; tùm vt illud ponant: tùm vt illud omittant, sed necessitas antecedens peccati, si quidem est determinatio ex parte causarum peccati, ipsum necessario inducens, destruit eam expeditionem causarum ad peccatum, & eius carentiam: ergo ea necessitas pugnat cum libertate peccati crastini. Necessitas verò consequens, vel identificatur cum ipso peccato, vel ab ipso extituro pro spontanea determinatione causarum descendit: sed quod ita se habet, nequit tollere eam expeditionem causarum ad peccatum, & eius carentiam, quæ ad libertatem requiritur: ergo neque libertatem. Minor pro-

batur. Quod ita se habet essentialiter præsupponit eam expeditionem causarum; si quidem identificatum est cum exercitio eius expeditionis, vel ab eo descendit: ergo quod ita se habet, nequit tollere expeditionẽ eam causarum ad peccatum, & eius carentiam, quæ expeditio ad libertatem requiritur.

17 Hinc ad argumentum, nego minorem. Ad probationem, distinguo maiorem: non potest non esse crastina dia impotentia antecedendi peccatum, nego: impotentia consequenti peccatum, concedo maiorem: & concesso antecedenti probationis, distinguo consequens: non potest non esse crastina die impotentia antecedenti nego: impotentia consequenti, concedo consequentiam. Ad probationem, distinguo consequens: in sensu composito eius veritatis æternæ, concedo: in sensu diviso, nego consequẽtiam carentia, enim, peccati nequit coniungi cum ea veritate. Cæterum homo potens non peccare cras, potest impedire verum fuisse, peccatum futurum esse cras: proindeque potest facere, ne vnquam ea veritas extiterit, ponendo, scilicet, carentiam peccati, quæ carentia impedimentum est essentialiter pugnans cum *aliquando extitisse* eam scientiam. Ad primam confirmationem, nego antecedens: Ad probationem distinguo maiorem: si ea veritas antecesserit obiectum, concedo: si non antecesserit: nego maiorem; & distinguo minorem: ab æterno est verum, peccatum futurum cras veritate antecedenti ipsum peccatũ, nego: ipsum ordine naturæ consequenti, concedo minorem; & nego consequentiam. Ad secundam confirmationem non est frustranea consulatio de futuris; quia cum semper sit impotestate antecedenti voluntatis ponere futurum, vel non ponere; totaque determinatio, vt futurum existat cras sit consequens ipsam determinationẽ voluntatis, apta est consultatio, quæ solùm tendit, vt fiat, vel non fiat, quod antecedenter potest fieri, vel non fieri. Si, enim, posita consulatione non committat homo peccatum impedit, ipsum peccatum esse futurum.

18 Instabis *primo*. Petrus cras nullam habet potestatem ad carentiam peccati: ergo cras peccat necessario. Probatur antecedens. Non potest ponere carentiam peccati coniunctam cum ea veritate; quia ea coniunctio repugnans est. Non potest eam ponere divisam ab ea veritate, quod sic probatur. Non potest Petrus cras impedire eam veritatem: ergo non potest ponere ca-

ren-

rentium peccati diuisam ab ea veritate. Probatur antecedens. Ea veritas, cum existat ab æterno, præterita est actu die crastino; ergo nequit Petrus cras eam impedire; quia cras impedire nequit existentiam illius rei, quæ iam præterijt existens, cum ad præteritum non detur potentia. Instabis *secundo*. Si propositio, quam intendimus, est nunc determinatè vera, erit etiam determinatè vera similis cognitio Dei de eodem obiecto, scilicet hæc: *Petrus peccabit cras*: sed si vera est hæc scientia Dei, peccatum cras eveniret necessario: ergo. Probatur minor. Non potest Petrus cras ponere carentiam peccati coniunctam cum ea existentia, vt patet: quia aliàs scientia esset falsa. Non diuisam, quia nequit Petrus cras impedire eam scientiam. *Primo*: quia Petrus cras nequit impedire, quod iam præcessit. *Secundo*; quia in potestate creaturæ non est ponere, vel impedire actus diuinos. Respondeo ad vtramque instantiam: Petrum cras esse verè potentem impedire eam veritatem, & scientiam diuinam, faciendo cras, quod nunquam extiterit. Et ratio est quia Petrus cras liber ad peccandum, vel non peccandum potest cras non peccare, & cum carentia peccati incomponibilis sit, cum ea veritate, & scientia: Petrus ponens cras eam carentiam, ponit impedimentum cum eis incomponibile, quod est impedire eas, non impeditione coniuncta cum eo, quod aliquando extiterint; sed impeditione faciente, ne vnquam extiterint. Vnde *primò*: Petrus non peccans cras, non impedit præteritum in sensu composito præteritionis, scilicet, faciendo, ne hoc quod nūc est præteritum aliquando extiterit, & in hoc sensu intelligitur illud proloquium: *Ad præteritum non datur potentia*. Vndè *Secundo*. In potestate creaturę nō est ponere, aut impedire scientiā Dei per verum influxum, est tamen in ea potestate logicè determinare, & impedire; quia sic determinare, & impedire scientiam Dei, nihil aliud est, quā creaturā posse ponere aliquid essentialiter inferens scientiam Dei extitisse, aut essentialitèr inferens eam scientiā, nunquā extitisse.

19 Obijcies 2. Nequit nūc esse determinatè verus hic actus: *Petrus peccabit cras*, nisi sit modo aliquid eam propositionē determinans ad veritatem; aliquidque eam propositionem verificans, sed nihil tale est modo: ergo nequit modo esse ea propositio determinatè vera. Prob. min. Modo non verificat actus ille se ipsum; quia supponimus esse indifferentem ad veritatē. Non obiectum: quia obiectum non datur hodie. Non decretum diuinum de tali peccato: quia

quia Deus nullum decretum habet intrinsecè connexum cũ peccato. Non scientia divina de peccato: quia potius verum est, Deum habere eam scientiã, quia existet peccatum, quam extiturum esse peccatum: quia Deus habet eam scientiam: ergo nihil est, quod determinet illum actum ad veritatem. Respondeo, modo determinare eam veritatem, & verificare eum actum, peccatum hodie non existens: quia, licet, hodie peccatum non existat physicè: existit, tamen, moralitèr virtualitèr, & equivalenter in ordine ad veritatem actus non postulantis ex suo modo tendendi peccatum existere hodie. Latius de hoc per totam sectionem quartam.

SECTIO III.

Vtrùm propositiones de futuro contingenti conditionato habeant determinatam veritatem, aut falsitatem?

§. I.

Respondet quæstioni, & aliquas solvit obiectiones.

20 Certum est, propositiones de futuro conditionatò necessario esse determinatè veras, aut falsas: v.g. has *Si sol lucet dies est: si ignis applicetur passo rectè disposito comburat.* Difficultas est de propositionibus de futuro contingenti conditionato libero: v.g. de hac, & similibus: *Si Petrus habeat auxilium A convertetur.* In qua quæstione respondeo affirmativè, cum omnibus nostris AA., & fere omnibus ex extraneis. Probatur *primo* rationibus, quibus probata est præcedens conclusio. Probatur *secundo*. Quia ex iam communi Theologorum sententia, Deus cognoscit cognitione infallibilitèr vera hæc futura libera conditionata. Demus Deum cognoscere Petrum convertendum, si habeat auxilium A. Et arguo sic. Hæc cognitio divina: *Si Petrus habeat auxilium A convertetur* determinatè est vera: ergo determinatè est vera similis cognitio nostra. Probatur consequentia, quia implicat esse veram primam, & non secundam. quæ idem, & eodem modo enuntiat, ac prima. *Tertio*. Nam cassu, quo Petrus vocetur auxilio A, omnino necessarium est, quod cum eo auxilio coniungat, vel conversionem, vel conversionis carentiam. Si conversionem: ergo propositio conditionalis assignata est modo determinatè vera. Si carentiam conversionis, ea propositio est modo determinatè falsa: ergo propositiones conditionales de futuro contingenti libero sunt, vel determinatè veræ, vel determinatè falsæ. *Quarto*. Nam, ex suppositione, quod

Pe-

Petrus sit posteà convertendus sub auxilio A ; hæc propositio absoluta : *Petrus convertetur sub auxilio* A, est determinatè vera nunc, ex dictis supra: ergo hæc conditionalis: *Si Petrus habeat auxilium* A *convertetur* : est etiam nunc determinatè vera. Patet consequentia : tùm quia ex veritate propositionis absolutæ rectè infertur veritas conditionalis tendentis circa idem obiectum, & affirmantis conditionatè idem prędicatum, quod absoluta affirmat absolutè tùm quia conditionalis, cum ex se præscindat à purificatione conditionis minus requirit ad sui veritatem, quam absoluta, quæ affirmat coniunctionem absolutam conditionis, & conditionati, & vtriusque existentiam requirit.

21 Obijcies 1. Hæc propositio: *Si Petrus habeat auxilium* A *convertaretur*, vel facit hunc sensum : *casus possibilis habendi auxilium* A *erit casus conversionis.* Et sic impossibilis est veritas eius : quia aliquis casus possibilis habendi tale auxilium est casus habendi illud sine conversione , & hic casus , vt est evidens , non erit casus conversionis. Vel facit hunc sensum : *aliquis casus possibilis habendi auxilium* A *erit casus conversionis.* Et sic ea veritas est necessaria : quia aliquis casus possibilis habendi auxilium A, est casus habendi illud cum conversione ; & necessarium est casum conversionis sub eo auxilio esse casum conversionis : ergo nunquam est determinatè vera propositio dé obiecto contingēti ; sed proposit.o de obiecto impossibili , aut necessario. Respondeo , sensum propositionis, neutrum esse ex assignatis; sed hunc: *casus* A *singularis habendi auxilium* A ; *erit casus conversionis* , qui casus contingens est ; quia posito eo auxilio , potest non esse conversio , ideoque propositio est de obiecto contingenti.

22 Instabis. Per nos, casus singularis habendi auxiliū A erit casus cōversionis: sed casus singularis habendi auxiliū A sine conversione , erit casus singularis habendi auxilium A: ergo casus singularis habendi auxilium A sine conversione, erit casus conversionis , quod implicat. Concessa maiori, distinguo minorem : erit casus singularis habendi auxilium A divisum à ratione conditionis, concedo: retinens rationē conditionis. nego minorem, & consequentiam. Quia tota vis argumenti stat in eo principio : *propositio conditionata purificata conditione , retinente rationem conditionis, transit in absolutam* : & in argumento facto, auxilium pro casu coniunctionis cum carentia conversionis , amittit rationem conditionis : nam ca-

eatenus est conditio, quatenus de ipso verificatur coniungendum, si existat cum conversione, quod cum verificari non possit dum cum carentia conversionis coniungitur, nequit rationem conditionis retinere. Aliter, & clarius: concessis præmissis; nego consequentiam. Nam syllogismus laborat vitio habendi quatuor terminos, cū in ipso arguatur *ex puris particularibus*: quippè casus singularis auxilij in propositione maiori, est casus, in quo Petrus coniungeret conversionem cum auxilio: casus, autem, auxilij in minore, est casus, in quo Petrus coniungeret cum auxilio, carētiam conversionis Cumque omnino implicet Petrum in eodem numero casu coniungere simul cum auxilio conversionem, & eius carentiam: inde plane fit, casum maioris esse casum singularem distinctum à casu minoris. Ecce duos terminos in duobus casibus existentiæ auxilij. Conversio, quæ affirmatur in maiori, & carentiam conversionis in minore sūt alij duo termini. Vnde nihil valet syllogismus.

23 Obijcies 2. Propositio assignata, vel equivalet huic: *Si Petrus habeat auxilium cum omnibus prærequisitis ad conversionem convertetur?* Et sic est veritas necessaria: quia vnum ex requisitis est, Deum simultaneè concurrere ad conversionem, & concursum simultaneum, necessariò sequitur conversio. Vel facit hunc sensum *si habeat Petrus auxilium* A sine prærequisitis ad conversionem, convertetur? Et sic necessario est falsa: quia impossibile est, conversionem esse, si existente auxilio, alia requisita deficiant. Vel facit hunc sensum: *Si habeat Petrum auxilium* A *secundum se præscindendo ab existentia, & non existentia aliorum prærequisitorum convertetur?* Et sic necessariò est falsa propositio; quia impossibile est conversionem existere sub auxilio sine alijs requisitis ad illam verè existentibus. Nec potest conversio futura intelligi, nisi talia requisita futura intelligantur: ergo propositio assignata, vel est necessariò vera, vel necessario falsa, proindeque non est veritatis aut falsitatis contingentis. Hoc argumento, cuius primus inventor fuit P. Rivadeneyra, frequenter vtuntur Thomistæ RR. contra scientiam mediam. Sed inefficax est. Respondeo, nullum sensum, ex assignatis, habere illam propositionem conditionalem; sed hunc *si habeat auxilium* A *Petrus cum omnibus prærequisitis ex parte actus primi indifferentibus ad conversionem, & non conversionem, convertetur:* Et hic sensus contingens est. Nam cum omnibus prærequisitis sic indifferentibus instructus Petrus in statu absolutò potest

est ponere, vel conversionem, vel eius carentiam: quare positio conversionis sub ea conditione, quam ea propositio assumit, omninò contingens est, ideòque veritas contingens est etiam.

24 Instabis: ergo auxilium A, & alia prærequisita indifferentia sunt conditio, de qua præcisè verificatur, talem esse, quod si detur dabitur conversio: ergo in casu, in quo dentur illa omnia prerequisita, sivè coniuncta, sivè divisa ab alijs requisitis ex parte actus secundi, dabitur conversio. Quod est evidenter falsum: proindeque illa conditionalis est impossibilis veritatis. Distinguo primum consequens *precise* præcisione vniversalitatis, nego: præcisione distinctionis, seu non inclusionis concedo cõsequentiam. Explicatur. Vocatio, & alia prerequisita ex parte actus primi, non præscindunt præcisione vniversalitatis à requisitis ex parte actus secundi: quia sic præscindere est esse coniungibilia cum conversione pro casu, quo ea requisita existant, & pro casu, quo non existant; & sic nequeunt præscindere; quia sine requisitis ex parte actus secundi non dabitur in re conversio. Præscindunt verò præcisione non inclusionis eorum requisitorum: quia sic presscindererere est conversionem affirmari, non solùm sub hypothesi claudente prerequisita ex parte actus primi, & requisita ex parte actus secundi; sed etiam verè affirmari conversionem sub hypothesi, quæ nulla alia claudat præter prerequisita ex parte actus primi. Et hoc verum est, quia in actu secundo non solum coniungitur cum conversione absoluta complexum ex vtrisque requisitis; sed etiam prærequisita ex parte actus primi, vt ab alijs distincta: & de omni eo, quod in statu absoluto coniungitur cum conversione absoluta, vere affirmatur tale esse, quod si detur coniungetur cum conversione absoluta.

25 Obijcies 3. Propositio de qua est sermo, æquivalet huic: *Si Petrus habeat auxilium* A *collatum à Deo sciente conversionem sub illo aut sciente non conversionem, convertetur*: sed hæc disiunctiva est necessaria: quia necessarium est alterum illorum extremum; nempe, *convertetur Petrus si habeat auxilium* A, *collatum à Deo sciente conversionem sub illo*; ergo ea propositio non est veritatis contingentis; sed necessariæ. Minor est evidens. Maior probatur. Ea propositio (idem dicito de scientia divina eiusdem tendentiæ) attingit ex parte hypotesis auxilium A, secundum ea, quæ ipsi auxilio sunt necessaria, & essentialia: sed ei auxilio essentiale est, dari à Dei ha-

habente alteram ex eis scientijs: ergo scientia attingit ex parte hypotesis auxilium, vt coniunctum cum altera ex eis scientijs: proindeque æquivalebit propositioni assignatæ. Ad argumentum primo etiam à nostris excogitatū, nego maiorem. Ad probationem distinguo maiorem: attingit auxilium secundum ea, quæ ipsi sunt essentialia *identicè*, seu quia cum ipso identificantur, concedo: secundum ea, quæ ipsi sunt essentialia *connexivè*, seu quia cum eis scientijs, aut extremis adæquatè distinctis ab eo, disiunctivè connectitur, nego maiorem: & distinguo minorem auxilio essentiale est dari à Deo cum altera ex his sciētis adæquatè distinctis ab auxilio, concedo: identificatis, ad huc vagè, cum auxilio, nego minorem, & consequentiam.

26 Ratio solutionis est. Quia rectè stat auxilium connecti cum altera earum scientiarum, quæ adæquatè distinguuntur ab auxilio, & propositionem aliquid affirmare de auxilio, & illud non affirmare de auxilio, vt coniuncto cum altera earum scientiarum. Vnde propositio, de qua est sermo, æquivalet huic, *si Petrus habeat auxilium, alias connexum cum altera earum scientiarum, convertetur*, quæ propositio contingentis veritatis est, quia solum affirmat conversionem sub conditione auxilij, quod connectitur cum scientijs; non sub conditione auxilij, & scientiarum; & conversio omnino contingenter evenit sub eo auxilio, quod cum scientijs connectitur. Non tamen æquivalet huic, *si Petrus habeat auxilium* A. *& vnam ex eis scientijs, convertetur*, quæ, vt bene probat obiecto, est necessariæ veritatis. Explicatur. Tam connectitur creatura cum Deo, quam auxilium cum scientijs assignatis: & tamen licet ex parte subiecti huius propositionis, *creatura distinguitur adæquatè à Deo*, attingat Deus se ipsum, non affirmat de se, adæquatè distingui à se; quia videlicet non attingit se ex parte subiecti, vt subiectum propositionis; sed vt terminum cum quo subiectum connectitur, distinctum tamen adæquatè à subiecto: ergo licet ea propositio conditionalis attingat ex parte hypotesis alteram earum scientiarum; neutram tamen attingit, vt hypotesim, sub qua affirmat conversionem, sed vt terminum adæquatè distinctum ab hypotesi, & cum quo hypotesis connectitur.

27 Instabis. Licet propositio conditionalis assignata non attingat, vt hypotesim vllam ex eis scientijs, at scientia divina huius tendētiæ, *Si Petrus habeat auxilium* A. *convertetur*, vtpotè intimè penetra-

tiva naturæ auxilij debet cognoscere, & attingere, vt hypotesim connexionem vagam, quam habet auxilium cum altera ex eis scientijs: ergo debet etiam cognoscere scientiam determinatam, cum qua auxilium coniungeretur casu, quo daretur Petro. Proindeque sensus illius scientiæ vel est hic, *si detur auxilium coniunctum cum scientia conversionis, convertetur Petrus?* Et sic est scientia necessaria, & non contingens. Vel est hic, *si detur auxilium coniunctum cum scientia non conversionis, convertetur Petrus?* Et sic est necessario falsa, & Deo repugnans: ergo implicat in Deo scientia conditionata contingens. Concesso antecedenti, distinguo consequens: debet cognoscere *ex parte hypotesis* scientiam determinatam, cum qua auxilium coniungeretur, nego: ex parte conditionati, permito consequens. Vnde sensus illius scientiæ non est vllus ex asignatis, vt bene probatur; sed hic longe diversus, & omnino contingens: *si existat auxilium A vage connexum cum scientia conversionis, vel cum scientia non conversionis dabitur conversio, coniungeturque auxilium cum scientia conversionis.* Explicatur. Scientia divina, quia perfectè penetrativa auxilij, debet cognoscere eam ipsam connexionem, quam auxilium habet cum eis scientijs, & non aliam: cumque auxilium tantum habeat connexionem terminativè vagam cum altera ex eis scientijs; & pro signo suo præscíedat ab actuali coniunctione sui cum scientia conversionis; vel non conversionis; sicut præscindit in suo signo indifferentiæ à conversione ipsa Petri, & non conversione; cum quibus etiam connectitur vage; inde fit, scientiam divinam, quantumvis penetret naturam auxilij, non posse in signo huius cognoscere scientiam determinatam; cum qua coniungetur; sed expectare debet signum conditionati, & determinationis liberæ Petri, à qua dependet essentialiter obiectivè, vtraque illa scientia, & si Petrus sub eo auxilio se determinet ad conversionem, coniungetur auxilium cum scientia conversionis, & id cognoscetur à Deo: si autem se determinet ad non conversionem, cum huius scientia coniungetur auxilium, idque à Deo cognoscetur in signo, vel post signum conditionati.

28 Obijcies 4. Si propositio de qua est sermo est determinatè vera, æquivalet huic disiunctivæ, vel *Petrus non vocabitur auxilio A, vel convertetur.* Probatur sic. Si est determinate vera, verum est, auxilium A, datum Petro non esse separandum à conversione, ideo

ideoque verum est, non dandum Petro, quin convertatur: ergo æquivalet disiunctivę assignatæ: quia verum est, vel non vocandum eo auxilio, vel convertendum, si eo vocetur. Sed alias non ęquivalet disiunctivę ergo non est determinatè vera. Probatur minor. De quovis auxilio, sivè efficaci, sivè inefficaci nunquam exstituro verum est, vel non dandum Petro, vel si detur non esse separandum à conversione: hæc enim disiunctiva verificatur per primum extremum de quovis auxilio etiam inefficaci nunquam extituro, scilicet, quia auxilium nunquam extiturum non est dandum Petro: sed de quovis auxilio nunquam extituro non est verum, quod si Petrus vocetur eo auxilio convertetur: ergo hæc conditionalis non æquivalet illi disiunctivæ. Probatur minor. Auxilium inefficax, quod supponamus nunquam extiturum, non est tale de quo verificetur, quod si Petrus vocetur hoc auxilio convertetur: nam ideo inefficax est, quia Petrus non convertetur sub illo, quamvis daretur Petro.

29 Respondeo: propositionem conditionalem, & disiunctivam, de quibus est sermo, non esse adæquatè æquivalentes quoad veritatem; sed inadæquatè. Quod est dicere, veritatem illius conditionalis inferre veritatem disiunctivæ; veritatem autem disiunctivæ non inferre veritatem conditionalis. Prima pars constat ex ipsa ratione argumenti. Secunda probatur sic. Quod sufficit ad veritatem disiunctivæ, non sufficit ad veritatem conditionalis: ergo ex veritate illius disiunctivæ, non infertur veritas conditionalis. Antecedens probatur. Ad veritatem illius disiunctivæ sufficit quod auxilium, de quo loquimur, nunquam sit extiturum: nam hoc præcisè prima pars verificatur, scilicet hæc, *vel Petrus non vocabitur auxilio* A: sed vt conditionalis sit vera non sufficit, quod auxilium, sub quo affirmat conversionem, nunquam sit extiturum; sed vltra requiritur, tale auxilium illud esse, *quod si existeret, Petrus converteretur cum illo*. Cumque stet rectè auxilium A nunquam extiturum, & non esse tale, quod si existeret, Petrus converteretur sub eo, nam de auxilio B inefficaci nunquam extituro, verum est, nunquam extiturum; non tamen verum est, quod si existeret in Petro, Petrus cum eo converteretur: ergo rectè stat disiunctivam esse veram, quin sit vera conditionalis: ergo quod sufficit ad veritatem disiunctivæ, non sufficit ad veritatem conditionalis.

***

§. II.

§. II.

Concludit materiam praecedentem.

30 OBijcies 5. Hæc cognitio Dei, *si Petrus habeat auxilium A convertetur*, non est modo determinatè vera: ergo nec similis cognitio nostra. Probatur antecedens. Nullum est à quo modo ea scientia divina verificetur, ergo non est modo determinate vera. Antecedens probatur. Non verificatur modo à decreto aliquo divino existente modo, præcedenteque eam scientiam; quia apud nos tale decretum implicat, quia inimicum libertatis. Non verificatur ab ipsa entitate Dei: quia de se est omnino indifferens, & nullo modo inferens conversionem, potius quàm eius carentiam sub auxilio. Non ab ipsa conversione, quæ existeret sub eo auxilio, si daretur: quia ea conversio non datur modo; sed daretur. Sed nihil est præter enumerata à quo ea scientia verificetur: ergo nequit esse modo determinatè vera. Confirmatur: Consensus, qui existeret sub eo auxilio, nequit eam scientiam verificare: ergo nihil est quod eam scientiam verificet. Antecedens probatur. Verificare eam scientiam est determinare intellectum indifferentem ad eam, & oppositam, vt habeat eam præ opposita: sed consensus, qui existeret sub eo auxilio, nequit sic determinare intellectum divinum: ergo neque eam scientiam verificare. Probatur minor. Consensus, qui tunc existeret, nullo modo existit nunc; imò nullo modo exiturum est absolutè in aliqua temporis differentia: ponamus hoc: sed quod neque existit nunc, neque exiturum est vnquam nequit intellectum divinum ad eam scientiam determinare: ergo consensus, qui sub auxilio existeret nequit determinare intellectum Dei ad illã scientiã præoppositã.

31 Attingit obiectio gravissimam difficultatem de determinativo Scientiæ Mediæ, quam Theologi versant. Dicam, quod sufficit pro nostro phylosophyco instituto. Ad argumentum nego antecedens: ad cuius probationem concessis prima, & secunda parte antecedentis, nego tertiam. Quia licèt cõversio ipsa non detur modo absolutè, neque vnquam extitura sit; datur tamen moralitèr, virtualitèr, & æquivalenter, modoque sufficienti ad reddendam veram illam scientiam. Et ratio est. Quia scientia, & propositio est vera ab obiecto existente eo modo, & sub eis circunstantijs, quas ipsa affirmat, seu enuntiat: cumq; propositio non enuntiet, conversionem dari nunc; sed dandam pro casu existentiæ illius auxilij, eam conversionem

sub

sub ea conditione dari, seu dandam fore est dari modo morali, virtualiter, & æquivalenter in ordine ad verificandam propositionem; non enunciantem, conversionem modo dari; sed dandam, si daretur illud auxilium. Hinc ad confirmationem respondeo, conversionem, quæ nec existit physicè modo, nec vnquam physicè extitura est, modo determinare intellectum divinum ad eam scientiã: quia vt sic determinet intellectum divinum, alias de se determinatum ad cognoscendum omne verum, sufficit conversionem non existentem modo physicè, nec vnquam physicè extituram absolutè, extituram fore revera sub conditione illius auxilij: & hoc præcisè posito verè cognoscibile est, conversionem extituram sub ea conditione, licet nunquam absolutè sit extitura; quia nunquam purificabitur conditio.

32 Explicatur. Ea scientia solum enunciat, conversionem extituram sub conditione auxilij A: ergo non petit absolutè existere conversionem; sed extituram sub ea conditione, si conditio daretur: sed ea conversio in re existeret, vt supponimus, si daretur conditio: ergo eo præcisè, quod conversio existeret in re, si daretur auxilium, ea scientia contenta est, tùm vt existat, tùm vt existat vera. Itaque conversio, quæ obiectum est huius scientiæ conditionatæ nũc æquivalenter in ordine ad scientiam verificandam existit, hoc est existeret si daretur auxilium A: & hoc modo existere, sufficit, tum vt conversio conditionatè futura eam scientiam verificet, tùm vt eam determinet; quia hoc nihil aliud est, quam eam conversionem existere eo ipso modo, quo ipsam existere enunciat propositio: propositio autem, non enunciat, cõversionem existere physicè nunc; sed extituram sub conditione auxilij, & sic existit conversio conditionatè, & æquivalenter, modo dicto, hoc est, revera existeret si daretur ea conditio. Cæterum conversionem modò existere conditionatè non est vllo modo physicè nunc existere; sed extituram sub auxilio A, si daretur: neque aliud ex hominum placito significant hæc verba: *conversio existit modo conditionatè*. Plura circa hoc diximus, dum de possibilitate rerum egimus in Physicis.

33 Circa naturam huius scientiæ divinę conditionatæ aliqua ex Theologiã observãnda sunt, pro clariori eorum, quæ diximus, intelligentia. *Primum* est. Eam scientiam non esse necessariam Deo; sed contingentem. Probatur. Scientia necessaria Deo, nequit Deo deficere: sed hæc scientia conditionata potest Deo deficere: ergo non est necessaria. Proba-

batur minor. Hæc scientia existit in Deo ex determinatione voluntatis creatæ: ideò enim à priori cognoscit Deus, Petrum fore convertendum sub auxilio A: quia Petrus ex sua libera determinatione adiungeret conversionem illi auxilio, si daretur: sed hæc determinatio Petri: quia contingens, & libera est, potest deficere: ergo hæc scientia conditionata potest Deo deficere. *Secundum* est. Eam scientiam non esse Deo liberam. Est contra Thomistas opinantes, scientiã hanc Deo liberam esse, quia subsequitur hoc divinum decretum: *decerno quod si Petrus habeat auxilium A convertatur*, quod decretum est subiectivè absolutum, & obiectivè conditionatum, & ab intrinseco connexum cum conversione sub eo auxilio. Probatur nostra illatio. Illa scientia nequit esse libera Deo, nisi innixa sit eo decreto: sed illud decretum repugnat libertati creatæ, vt probant nostri DD. ergo, & repugnat, quod ea scientia sit libera.

34 *Tertium* est: eam scientiam esse mediam; quia ea scientia appellatur media, quæ cum sit contingens non est libera sed talis est scientia conditionata, de qua loquimur; ergo est media. Dicitur media inter necessariam, & liberam: quia aliquod prædicatum participat vtriusque; non tamen omne. Convenit cum scientia necessaria in hoc, quod est, existere ante omne decretum: non tamen in existendo necessario, qualitèr existit scientia naturalis. Convenit cum scientia libera in contingentia: quia æquè ac illa potest deficere; non tamen convenit in libertate: nam scientia libera, quæ eadem est, ac scientia visionis, subsequitur natura sua liberùm exercitium divinæ voluntatis: at scientia media antevertit omne exercitium liberum Dei, proindèque nequit esse libera. Itaque. Hæc scientia media à scientia libera sumit contingentiam in existendo; non tamen libertatem: & à scientia naturali sumit antecedentiam ad omne liberum decretum, non tamen necessitatem in existendo. Dicitur etiam media inter naturalem, & liberam, quia existit in signo medio inter vtramque, nempè in signo posteriori ad scientiam necessariam & interiori ad scientiam liberam.

****

SECTIO IV.

Utrùm propositiones de futuro contingente sint nunc determinatè veræ adæquatè per suam essentiam, & obiectum futurum præscindendo à quovis de præsenti connexo cum eventu futuro?

35 PRæsens quæstio æquè locum habet in propositionibus de futuro conditionato; ac in propositionibus de futuro absoluto. Loquemur tamen maiori ex parte de propositionibus de futuro contingenti absoluto: tùm, quia difficultas est eadem de omnibus: tùm quia de his tractatur communitèr à Philosophis. Pro difficultatis examine revoca in memoriam, quæ diximus disputatione præcedenti; nempè, veritatem formalem stare in actu, & obiecto: & quæritur modo: an hic actus: *Antichristus peccabit*: (idem est de similibus) reddatur nunc verus à suo obiecto, seu potius à scientia divina, divino decreto, revelatione, aut actu quovis creato essentialitèr verò existentibus dum profertur actus, & cum obiecto actus connexis?

(S)

§. II.

Probatur vera sententia.

36 EA est, quam fere omnes AA. nostri contra Thomistas defendunt, Propositiones de futuro contingenti absoluto (& quoad hoc idem est de propositionibus de futuro conditionato) constitui nunc veras adæquatè per suam entitatem, & entitatem obiecti non existentis, modo præscindendo à quovis alio connexo cum eventu futuro. Probatur 1. Veritas omnis formalis, & conformitatis est intentionalis similitudo actus, & obiecti, ex dictis loco citato: ergo, & veritas formalis propositionum de futuro: sed similitudo omnis intentionalis actus, & obiecti adæquatè identificatur cum actu, & obiecto; quovis alio secluso: ergo veritas formalis propositionum de futuro adæquatè identificatur cũ actu, & obiecto, secluso quovis de præsenti existente connexo cum eventu futuro.

37 Probatur 2. conclusio roborando rationem primam. Hæc propositio: *Antichristus peccabit* intelligitur hodie determinatè conformis suo obiecto præscindendo à scientia divina, & quovis alio cum peccato connexo, eo præcisè, quod propositio existat nunc, & postea existat peccatum: ergo

go eo præcise est nunc determinatè vera. Antecedens probatur. Propositionem esse nunc determinatè conformem suo obiecto, est propositionem dari nunc, & obiectum assertum per ipsam se habere tempore importato per copulam, sicut propositio enuntiat nunc obiectum pro eo tempore se habere sed eo præcisse, quod existat nunc propositio, & postea existat peccatum hęc ita se habent, vt est certum: ergo eo præcisse propositio est nunc determinate conformis suo obiecto. Vrgetur. Propositionem esse veram, est ipsam dari nunc, & obiectum ea ratione, & tempore, quo per ipsam affirmatur, dari: sed hæc propositio: *Antichristus peccabit*, nunc existens, non affirmat, peccatum dari nunc; sed posteà ergo pręcise, quod intelligamus propositionem existere nunc, & obiectum postea, intelligimus propositionem esse nunc determinatè veram.

38 Confirmatur *primo*. Eo præcise, quod propositio existat nunc, & obiectum postea, propositio est nunc intentionalitèr similis obiecto: ergo eo præcise est vera. Antecedens probatur. Eo pręcise, quod propositio enuntians peccatum craſtinum v. g. existat hodie, & peccatum cras obiectum se habet in se tempore importato per copulam eo modo, quo se habet intentionalitèr in propositione: & propositio se habet sicut obiectum se habet in se: sed hoc est propositionem esse similem intentionalitèr obiecto: ergo eo præcisse, quod propositio existat nunc, & peccatum postea, propositio est nunc similis intentionalitèr obiecto. Explicatur hæc ratio. Imago physica, scilicèt pictura, est modo vera similitudo Cęsaris, eo præcise, quod pictura existat nunc, & Cesar præcesserit ea dispositione, & proportione mēbrorum, quā pictura delineat: hoc, enim, pręcise, quisquis ante viderit Cæsarem, dicit picturam esse rectam illius imaginem: ergo eo præcise, quod propositio nunc exprimat intentionalitèr, & depingat peccatum craſtinum Antichristi, intelligamusque, peccatum existere cras, intelligimus propositionem esse rectam picturā intentionalē eius peccati.

39 Confirmatur *secundo*: Hæc propositio formata modo: *Antichristus peccabit*, necessario modo est determinatè, aut falsa, aut vera: siquidem veritas, aut falsitas proprietates sunt inseparabilitèr consequentes propositionem: sed eo præcisa, quod propositio existat nūc, & peccatū postea, propositio nunc non est determinatè falsa: ergo est nunc determinatè vera, quia non est mediū. Dices tamen. Præcisivè à connexo cum peccato, aut ca-

carentia peccati, propositionem, neque esse determinate veram, neque determinatè falsam; sed à veritate, & falsitate præscindere: quia esse nunc determinatè veram, est nunc esse determinatam ad veritatem; & esse determinatè falsam, est esse nunc determinatam ad falsitatem: at cum in præcisione dicta præscindatur à quovis existente modo determinato, vt sit vera, aut determinato, vt sit falsa (siquidem præscinditur à quovis determinato ad existentiam, aut non existentiã obiecti) consequens est vt nullatenùs ad veritatem sit determinata propositio. Non à se; quia loquimur de propositione intrinsecè indifferente ad veritatem, aut falsitatem. Non ab alio; quia a quovis alio præscindimus: ergo in ea præcisione neque est vera, neque falsa.

4 Sed contra. Nam si aliquid probant argumenta supra facta, probant quidem, propositionem in dicta præcisione, determinatam esse ad veritatem. Sic arguo *primò*. Peccatum, quod in illa præcisione intelligimus cras futurum, determinat hodie eam propositionem, vt determinatè sit vera: ergo propositio in ea præcisione est determinata ad veritatem. Antecedes probatur. Peccatum futurum determinare hodie eam propositionem, vt sit vera, est peccatum futurum verificare hodie eam propositionem; sed peccatum futurum verificat hodie eam propositionem: ergo peccatum futurum determinat eam propositionem, vt sit vera. Maior est certa. Minor probatur *primò*. Peccatum futurum cras, & non aliud, est obiectũ propositionis, vt latius ostendam infra; sed obiectum propositionis, & nihil aliud ab obiecto verificat propositionem: ergo peccatum futurum hodie verificat eam propositionem. Maior probatur. Vt peccatum futurum verificet hodie eam propositionem, non requiritur peccatum existere in ea duratione, pro qua propositio non enuntiat existentiam peccati; sed in ea pro qua existentiam peccati affirmat; sed propositio de futuro non enuntiat, peccatum existere hodie; sed cras: ergo non deficit peccatum futurum à ratione verificandi hodie eam propositionẽ, ex eo quod non existat hodie dummodo existat cras.

41 Arguo sic *secundò*, contra eandem solutionem. Vt propositio sit hodie vera à peccato crastino, non requiritur, peccatum crastinum existere hodie: ergo peccatum crastinũ non existens hodie, verificat hodie propositionem ipsum enuntiantem. Probatur antecedens. Vt propositio sit ho-

hodie vera à peccato crastino, sufficit; propositionem existere hodie conformem, & actualiter similem suo obiecto iuxta supra dicta: sed propositio hodie enuntians, peccatum exiturum cras, est hodie conformis, & intentionaliter similis suo obiecto, per id præcise, quod peccatum existat cras: nam repræsentat peccatum eo ipso modo, & in ea mensura, in qua peccatum existet, vt luce clarius apparet: ergo vt propositio sit hodie vera à peccato crastino non requiritur, peccatum crastinum existere hodie. Dices, Non requiri peccatum crastinum existere hodie *intrinsecè*, necessarium tamen esse existere *extrinsecè*; hoc est hodie existere aliquid influens in peccatum crastinum, & cum eo connexum. Sed contra. Quia cùm propositio non enuntiet hodie existere nunc illud *extrinsecum* existere peccati; sed exiturum esse cras *intrinsecum* existere peccati, ab hoc præcise redditur vera: quippè propositio solum debet verificari formalitèr, & directè ab obiecto per ipsam enuntiato. Sed de hoc latius infra à num. 54.

42 Ratio à priori rationum præcedentium est. Quia cùm hoc nomen *veritas* ad placitum significet; sicut hæc vox lapis, & actus denominetur verus à veritate, explacito hominum colligere debemus, quid sit veritas? Item quid requiratur, vt actus denominetur verus? At veritas explacito hominum solum significat coniunctum ex actu existente de præsenti, & physicè, & ex obiecto existente tempore importato per copulam, sivè præsenti, sivè præterito, sivè futuro: ergo eo præcise, quòd actus existat hodie, & obiectum existat tempore assignato ab actu, actus est hodie determinatè verus, quolibet alio secluso. Minor experientia ipsa constat. Nam eo præcise, quod hodie videamus oriri solem, dicimus, veram fuisse heri, propositionem enuntiantem solis ortum hodiernum. Hinc fit *primò*. Actum esse nunc determinatè verum, est actum existere modo enuntiantem de obiecto id ipsum, quod obiectum habet tempore importato per copulam. Hinc *secundò*. Cum hæc propositio: *Petrus peccabit cras*. Hodie enuntiet peccatum existere cras, hodie erit vera, eo præcisse, quod actus existat hodie, & peccatum existat cras: cumque in his nihil includatur connexum cum peccato cras futuro, præscindendo à quolibet connexo cũ peccato propositio est hodie determinatè vera. Quiá tamen, insistes: actum non posse hodie denominari verum à peccato non existente hodie, ex

carentia peccati, propositionem, neque esse determinatè veram, neque determinatè falsam; sed à veritate, & falsitate præscindere: quia esse nunc determinatè veram, est nunc esse determinatam ad veritatem; & esse determinatè falsam, est esse nunc determinatam ad falsitatem: at cum in præcisione dicta præscindatur à quovis existente modo determinato, vt sit vera, aut determinato, vt sit falsa (siquidem præscinditur à quovis determinato ad existentiam, aut non existentiã obiecti) consequens est vt nullatenùs ad veritatem sit determinata propositio. Non à se; quia loquimur de propositione intrinsecè indifferente ad veritatem, aut falsitatem. Non ab alio; quia a quovis alio præscindimus: ergo in ea præcisione neque est vera, neque falsa.

4 Sed contra. Nam si aliquid probant argumenta supra facta, probant quidem, propositionem in dicta præcisione, determinatam esse ad veritatem. Sic arguo *primò*. Peccatum, quod in illa præcisione intelligimus cras futurum, determinat hodie eam propositionem, vt determinatè sit vera: ergo propositio in ea præcisione est determinata ad veritatem. Antecedes probatur. Peccatum futurum determinare hodie eam propositionem, vt sit vera, est peccatum futurum verificare hodie eam propositionem; sed peccatum futurum verificat hodie eam propositionem: ergo peccatum futurum determinat eam propositionem, vt sit vera. Maior est certa. Minor probatur *primò*. Peccatum futurum cras, & non aliud, est obiectũ propositionis, vt latius ostendam infra; sed obiectum propositionis, & nihil aliud ab obiecto verificat propositionem: ergo peccatum futurum hodie verificat eam propositionem. Maior probatur. Vt peccatum futurum verificet hodie eam propositionem, non requiritur peccatum existere in ea duratione, pro qua propositio non enunciat existentiam peccati; sed in ea pro qua existentiam peccati affirmat; sed propositio de futuro non enuntiat, peccatum existere hodie; sed cras: ergo non deficit peccatum futurum à ratione verificandi hodie eam propositionẽ, ex eo quod non existat hodie dummodo existat cras.

41 Arguo sic *secundò*, contra eandem solutionem. Vt propositio sit hodie vera à peccato crastino, non requiritur, peccatum crastinum existere hodie: ergo peccatum crastinũ non existens hodie, verificat hodie propositionem ipsum enuntiantem. Probatur antecedens. Vt propositio sit ho-

hodie vera à peccato craſtino, ſufficit, propoſitionem exiſtere hodie conformem, & actualiter ſimilem ſuo obiecto iuxta ſupra dicta : ſed propoſitio hodie enuntians, peccatum exciturum cras, eſt hodie conformis, & intentionaliter ſimilis ſuo obiecto, per id præciſe, quod peccatum exiſtat cras: nam repræſentat peccatum eo ipſo modo, & in ea menſura, inqua peccatum exiſtet, vt luce clarius apparet : ergo vt propoſitio ſit hodie vera à peccato craſtino non requiritur, peccatum craſtinum exiſtere hodie. Dices, Non requiri peccatum craſtinum exiſtere hodie *intrinſecè*, neceſſarium tamen eſſe exiſtere *extrinſecè*; hoc eſt hodie exiſtere aliquid influens in peccatum craſtinum, & cum eo connexum. Sed contra. Quia cum propoſitio non enuntiet hodie exiſtere nunc illud *extrinſecum* exiſtere peccatis ſed exciturum eſſe cras *intrinſecum* exiſtere peccati, ab hoc præciſe reditur vera : quippè propoſitio ſolum debet verificari formalitèr, & directè ab obiecto per ipſam enuntiato. Sed de hoc latius infra à num. 54.

42 Ratio à priori rationum præcedentium eſt. Quia cum hoc nomen *veritas* ad placitum ſignificet; ſicut hæc vox lapis, & actus denominetur verus à veritate, explacito hominum colligere debemus, quid ſit veritas? Item quid requiratur, vt actus denominetur verus? At veritas explacito hominum ſolum ſignificat coniunctum ex actu exiſtente de præſenti, & phyſicè, & ex obiecto exiſtente tempore importato per copulam, ſivè præſenti, ſivè præterito, ſivè futuro : ergo eo præciſe, quod actus exiſtat hodie, & obiectum exiſtat tempore aſsignato ab actu, actus eſt hodie determinatè verus, quolibet alio ſecluſo. Minor experientia ipſa conſtat. Nam eo præciſe, quod hodie videamus oriri ſolem, dicimus, veram fuiſſe heri, propoſitionem enuntiantem ſolis ortum hodiernum. Hinc fit *primò*. Actum eſſe nunc determinatè verum, eſt actum exiſtere modo enuntiantem de obiecto id ipſum, quod obiectum habet tempore importato per copulam. Hinc *ſecundò*. Cum hæc propoſitio : *Petrus peccabit cras*. Hodie enuntiet peccatum exiſtere cras, hodie erit vera, eo præciſſe, quod actus exiſtat hodie, & peccatum exiſtat cras : cumque in his nihil includatur connexum cum peccato cras futuro, præſcindendo à quolibet connexo cũ peccato propoſitio eſt hodie determinatè vera. Quia tamen, inſiſtes : actum non poſſe hodie denominari verum à peccato non exiſtente hodie, ex

eo, quod nequit existere de præsenti denominatio veri, quin existant de præsenti omnia constitutiva actus in esse veri. Adverte. Ex placito hominum diversimodè requiri existentiam extremorum constituentium denominationes pro ipsarum denominationum varietate. Licèt enim hæc denominatio *album* requirat, physicè existere formam, & subiectum, quia id intendimus per eam vocem significare: at hæc denominatio *cognitum* requirit solum physicè, & de præsenti existere formam, scilicèt, cognitionem, sivè obiectum existat, sivè non: imò sivè obiectū extiturum sit, sivè non: & hoc, eo solum: quia id intēdimus significare per hanc vocē *cognitum*. Et huius diversitatis nulla ratio potest dari, præter placitum hominum impotentium significationem vocibus.

43 Hac eadem ratione ductus, dico ego: per hanc vocem *actus verus* nihil aliud significari, quam actum de præsenti existere, & obiectum existere, sivè de præsenti, sivè de præterito, sivè de futuro, prout fuerit tempus significatum per propositinem. Hinc: sicut hæc consequentia non est recta: *Nequit Petrus esse nunc albus: nisi Petrus, & albedo existant physicè nunc: ergo nequit Petrus esse nunc cognitus. nisi Petrus, & cognitio existant physicè nunc*; ita non erit recta hæc altera consequentia: *nequit Petrus esse nunc cognitus nisi à cognitione existente physicè nunc: ergo nequit actus esse verus, nisi à verificativo existente physicè nunc*. Confirmatur hoc à paritate plurium denominationum, quæ inadæquatè constituuntur per aliquid non existens physicè, qnando aliud tale, vel tale denominatur. Homo nunc dicitur *senex*, & domus *antiqua* ab annis elapsis. Adamus dicitur nunc *præteritus* ab annis quibus vixit: dies hodiernus dicitur *prior* crastino à die crastino cras futuro: Complutum dicitur distans à Matrito per sex lecuas, denominatur que sic distans à Matrito non existente Compluti; sed in suo vbi Matritensi. Quæ omnia vera sunt; quia ex placito hominum nihil aliud volumus significare per has voces: *senex*: *domus antiqua*: *præteritum*: *distans*, quam hominem, & domum existere nunc, & antea per multum tempus extitisse; Adamum extitisse, & non existere modo: diem hodiernum esse nunc, & immediatè post crastinum: Complutum esse hic; & Matritum ibi per sex lecuas: cur ergo actus de futuro, non poterit nunc dominari *verus* ab obiecto non existente physicè nunc, si per has voces: *actus nunc*

nunc est verus solum intendimus significare, vt probavi, actum existere modo, & obiectum existere tempore importato per copulam, cum aliundè certum sit, tempus signatum per propositionem de futuro non esse nunc præsens: sed futurum?

44 Respondent Adversarij. Exempla allata eandem retinere difficultatem. Nam denominatio *senis* in esse veræ, hoc est, veritas actus dicentis, *hominem esse senem*, & sic de reliquis non constituitur adhuc inadæquatè ab annis elapsis; sed à scientia divina; aut aliquo alio existente physicè nunc, & connexo cum eo, quod anni præterierint. Sed huius solutionis nulla alia suppetit impugnatio præter dicta, quam esse contra communem sententiam, imò, & contra apprehensionem omnibus ingenitam à primò vsu vocum. Quis enim aliud quærit pro veritate huius actus: *homo est senex*, quam hominem modo vivere, cum antea vixerit multos annos? Et pro veritate huius: *Complutum distat à Matrito per sex lecuas*, quàm Complutum hic esse, & Matritum post spatium sex leucarum; independentèr ab omni connexo cum hac distantia, & illa præteritione annorum? Sanè quamvis opposita sententia nullum aliud absurdum induceret, quàm negare primam vocum vsurpationem, adeò familiarem omnibus, hoc præcise nomine eam desererem, & si aliundè probabilem, & à gravibus AA. eam propugnatam videam.

45 Tertio probatur conclusio. Existere nunc, vel non existere tale connexum, est omnino præter requisita ad veritatem actus de futuro: ergo veritas actus de futuro constituenda est, præscindendó ab eo connexo. Probatur antecedens. Omnia requisita ad veritatem actus de futuro, distincta ab actu ipso, adæquatè identificantur cum existere obiectum tempore importato per propositionem: sed existere tale connexum adæquatè dinstinguitur ab existere obiectum tempore futuro importato per eam propositionem: ergo existere, vel non existere tale connexum, est omninò præter requisita ad veritatem actus de futuro. Maior probatur ex eo principio ab Arist. tradito, & in scholis recepto: *ab eo, quod res est, vel non est actus est verus, vel falsus.* Vbi Aristoteles, & communitèr cum eo Phylosophi vnicam, & adæquatam radicem

vndè colligenda sit veritas, aut falsitas actus, ac per consequens omnia requisita ad veritatem, seu falsitatem actus distincta ab actu ipso identificantur cum existere, vel non existere obiectum tempore importato per copulam.

46 Vndè sic alitèr formo argumentum. Vel tale connexum cum peccato futuro Antichristi v. gr. est obiectum propositionis enuntiantis peccatum esse futurum, scilicèt, huius; *Antichristus peccabit*, vel non est obiectum talis propositionis? Si secundum, ab eo connexo propositio non redditur vera; quia iuxta proximè dicta, actus vltra suam entitatem, solum redditur verus à suo obiecto. Si primum dicas; falsum dices. Quod probo sic. Hæc propositio: *Antichristus peccabit*, æquivalet huic *peccatum Antichristi est futurum*: Sed obiectum huius secundæ propositionis non est tale connexum: ergo neque illud est obiectum primæ. Minor probatur *primo*. Obiectum eius propositionis est illud de quo enũtiat esse futurum: sed de nullo connexo cum peccato Antichristi, (sivè illud connexum sit scientia Dei, divinum decretum, actus Fidei essentialitèr verus, aut quodvis aliud modo existens) affirmat esse futurum, vt patet: ergo obiectum huius propositionis non est tale connexum. *Secundo* probatur eadem minor. Hæc propositio: *Peccatum Antichristi est futurum*, æquivalet formalitèr, & quoad obiectum, & quoad modum tendendi huic: *peccatum Antichristi non est modo; sed erit postea*: Sed non æquivalet huic: *modo existit aliquid connexum cum eo, quod peccatum non existens hodie existat cras*: ergo obiectum huius actus non est tale connexum. Maior est certa. Probatur minor. Tùm quia quis immemor talis connexi potest eam propositionem formare, & sæpè format: intellectus autem nequit statuere sibi obiectum sui iudicijs id, cuius omninò immemor est, dum suum iudicium effor- mat: tùm quia quid prohibet, me ita enuntiare, peccatum non existere modo, extiturum autem postea, vt consulto nihil determinate de tali connexo enuntiem; licèt aliundè de eius existentia conscius sim. Probatur *tertio*. Illa minor. Hic actus: *peccatum Antichristi modo non est postea erit*, non potest verificari de vllo connexo defacto existenti: nam alias actus non verus; sed potius falsus à tali connexo redderetur cum tale connexũ existat modo; & actus enuntiet suum obiectum non exis-

te-

tero modò, sed extiturum esse postea; ergo illud connexum non est obiectum huius actus.

57 Dices cum aliquibus. Propositionem, de qua est sermo, non præcise habere pro obiecto peccatum; sed aliquid modo existens ratione cuius peccatum de præsenti denominetur *futurum*. Cuius ratio est. Quia quævis propositio constans verbo aliquid affirmat de præsenti. Vndè hæc propositio: *peccatum erit*, quæ de futuro videtur; re vera est de præsenti: quia licèt non affirmet existere de præsenti peccatum; affirmat tamen, existere de præsenti aliquid, quod sit ipsum *erit*, seu ipsum *esse futurum peccatum*. Hac eadem doctrina vtuntur in propositionibus de præterito. Sed contra *primo*. Evidens est lumine naturæ, cras extiturum esse, aut non extiturū esse peccatum; sed non est evidens lumine naturæ existere modo aliquid connexum cum peccato, aut cum carentia peccati crastini: ergo obiectū, quod illa propositio enūtiat, videlicèt cras extiturū esse peccatum, non est aliquid modò existens connexum cum peccato, quod sit ipsum *erit* seu *extiturum esse* peccatum. Maior est certa. Minor probatur. Quia si id evidens esset lumine naturæ, nullus Phylosophus negare posset Deo præscientiam futurorum, vt plures Phylosophi negarunt cum Cicerone. Explicatur. Ideò est evidens obiectū huius propositionis: *cras extiturum est, aut non extiturum est peccatum*; quia evidens est obiectum huius: *cràs existet; aut non existet peccatum*, ex eo principio *quodlibet est, vel non est* & obiectum prioris propositionis est idem cum obiecto posterioris; sed obiectum posterioris non est illud connexum: ergo neque prioris. Probatur minor. Obiectum posterioris est existere, vel non existere cras peccatum: sed illud connexum non est existere, vel non existere cras peccatum; sed aliquid inferens crastinum peccatum: ergo obiectum posterioris non est illud connexum.

48 Contra *secundo*. Quia si hæc propositio: *Antichristus peccabit*, habet pro obiecto affirmato præsens connexum cum peccato; & hæc: *Adamus præterijt*, pro obiecto affirmato habet præsēs connexū cū annis elapsis Adami, nulla erit propositio, quæ in modo enuntiandi sit de præterito, aut de futuro; proindeque quævis enuntiatio erit purè de præsenti, quod est contra communem Phylosophorum sensum. Probatur assumptum. Quia si obiectum affirmatum per propositiones de præte-

terito, aut de futuro est præsens connexum, obiectum cum quo illud præsens connectitur præcisè attingetur à propositionibus in obliquo nihil de ipso affirmando, aut negando, videlicèt hac ratione: *Existit connexum cum peccato crastino*: *existit connexum cum annis elapsis Adami*: sed hæ propositiones ex suo modo enuntiandi non sunt de præterito, aut futuro, vt patet; siquidem de ipso obiecto præterito, aut futuro nihil enũtiant: ergo nulla erit propositio, ex suo modo enunciandi, de præterito, & futuro; sed quævis erit de præsenti. Contra *tertio* infirmando fundamentùm contrariorum. Esto propositio constans verbo aliquid de præsenti debeat affirmare, non ideò obiectum affirmatum de præsenti debet esse illud connexum· ergo solutio nulla est. Antecedens probatur. Nam propositio de futuro affirmat de præsenti non existentiam peccati crastini v. gr. & existentiam de futuro: ergo esto aliquid debeat affirmare de præsenti; non ideò debet affirmare de præsenti existere lilud connexum. Cõtra *quarto*. Nam licèt propositio constans verbo debeat affirmare obiectum de præsenti; hoc verum debet esse, quando verbum *stat* in propositione, non quando *alienatur*, vt inter Summulistas certum est: sed in quavis propositione de præterito, aut futuro verbum non *stat*: sed *alienatur*, vt etiam est certum apud Summulistas: ergo ex eo, quod propositiones de futuro cōstent verbo, falso, & contra principia Summulistica dicitur obiectum, quod affirmant debere existere de præsenti: ergo ex hoc capite connexum, de quo est sermo, non erit obiectum propositionis de futuro, aut de præterito.

49 Dices. Verbum non alienari: nam hic actus: *Peccatum Antichristi est futurum*, ex suo modo tendendi repræsentat peccatum esse *nunc* futurum: ergo repræsentat esse futurum dari *nunc*: sed nullum aliud esse futurum potest dari nunc, quam connexum cum peccato futuro: ergo actus enuntiat illud connexum dari nuuc. Sed contra *primo*. Actum dicere peccatum esse *nunc* futurum, est dicere, peccatum non existere modo, exciturum tamen postea; quod non est aliquid dicere de eo conexo. Vndè actus non dicit, dari *nunc* esse futurum peccatum adæquatè sumptum: nam esse futurum adæquatè sumptum involvit, & non existere modo, & exciturum esse postea: affirmat ergo actus, non existere modo peccatum dari nunc; non vero da-

dari nunc extiturum postea: quia extiturum postea enunciatum per actum est peccatum, de quo non affirmat dari nunc; sed postea dandum. Hinc propositio, de qua loquimur, huic æquivalet: *peccatum non est nunc, erit postea.* Sed dices. Quid est nunc illud *erit* postea? Respondeo, illud *erit*, de quo loquimur actus est peccatum futurum, quod modo non datur. Quare illud *erit* modo non est aliquid, sed postea erit, vt verbum ipsum satis explicat.

50 *Secundo* contra eandem solutionem arguo. Vel hæc propositio *peccatum Antichristi est futurum*, affirmat præcise, futuritionem peccati esse de præsenti, vel affirmat futuritionem esse de præsenti, & peccatum de futuro? Non *primum*: quia sic nihil actus ille affirmavit de peccato; ideoque obiectum ipsius, quod est peccatum, non esset vere iudicatum, sed præcise attactum in obliquo, quod est contra veritatem, iuxta supra dicta, & contra experientiam. Si *Secundum*: ergo propositio aliquid affirmat de præsenti, & aliquid de futuro. Et tunc sic argumentor. Vel hæc propositio, prout formaliter est propositio de futuro, addit aliquid supra affirmationem de præsenti, vel non? *Si Secundum*, est apertè falsum, & contra communem omnium sensum, vt probarunt argumenta supra facta: si *primum*: ergo hæc propositio prout addit aliquid supra affirmationem de præsenti, est affirmatio de futuro formalitèr talis, quæ, vt formalitèr talis est, nihil affirmat de præsenti. Nec dicas ipsum illud, quod addit supra affirmationem de præsenti esse affirmationem de præsenti. Quia affirmationem de futuro, vt talem supra affirmationem de præsenti addere præcise affirmationem de præsenti, non est aliud addere supra affirmationem de præsenti; sed esse affirmationem de præsenti, & nullo modo de futuro, quod est falsum. Ideò iam AA. plures oppositæ sententiæ nostris rationibus annuentes dicunt obiectum adæquatum propositionis de futuro, vt talis, esse ipsum peccatum futurum: attamen, quia hoc peccatum, dum non existit, nequit verificare propositionem, necessarium est, connexum modo existens intelligere, à quo propositio verificetur: modo, quo ratione huius connexi, peccatum extrinsecè habet, esse intrinsecè, & in se futurum, dum concipitur propositio. Sed contra *primo*. Obiectum affirmatum per propositionem de futuro, per te, adæquatè iden-

identificatur cum peccato: ergo verificativum propositionis de futuro adæquatè identificatur cum peccato. Consequentia probatur. Verificativū propositionis adæquatè identificatur cum obiecto affirmato per ipsam, vt supra diximus: ergo si obiectum affirmatum per propositionem de futuro adæquatè identificatur cum peccato, eius verificativum adequatè etiam identificatur cum peccato. Contra *secundò*. Propositio formalitèr est vera ab eo, quod obiectum affirmatum per ipsam detur intrinsecè, & in se tēpore importato per copulam, eo modo, quo propositio dicit: ergo propositio non redditur vera ab eo connexo, quod vt ais, non est obiectum affirmatum per propositionem. Antecedens est certum. Consequentia probatur. Dari obiectum, quod non affirmatur per actum non est obiectum affirmatum dari intrinsecè, & in se tempore importato per copulam: ergo si propositio formalitèr est vera, ab eo quod obiectum affirmatum detur intrinsecè, & in se tempore importato per copulam, non redditur vera ab eo connexo, quod per ipsam nullatenus affirmatur, vt concedis.

51 Respondent. Obiectū non affirmatum per actum posse ipsum verificare: quia licèt obiectum non affirmatum non sit formalitèr obiectum affirmatum esse intrinsecè, & in se, eo modo, quo affirmatur: tamen obiectum affirmatum extrinsecè habet in illo connexo non affirmato, esse intrinsecè, & in se eo modo, quo affirmatur. Sed contra *primo*. Propositio, vt aiunt, non solum affirmat, quod obiectum est futurū extrinsecè, & in illo cōnexo; sed quod intrinsecè, & in se est futurum: ergo extrinseca futuritio peccati non verificat actum illum, quatenus enunciat peccatum esse intrinsecè, & in se ipso futurum. Consequentia probatur. Extrinseca futuritio peccati, seu quod idem est, peccatum esse extrinsecè futurum distinguitur realitèr ab eo, quod est peccatum intrinsecè, & in se esse futurum, quod est obiectum affirmatum per actum: sed propositio verificatur ab obiecto affirmato se habente in se, eo modo, quo affirmatur ab actu: ergo extrinseca illa futuritio, seu peccatum esse extrinsecè futurum in illo connexo non verificat actum de futuro, quatenùs affirmat intrinsecam futuritionem peccati. Explicatur. Peccatum extrinsecè dari in ea futuritione extrinseca, seu in illo connexo, non est formalitèr, sed tantum determinativè dari in se eo modo, quo affirmatur per actum, sed propositio redditur formalitèr ve-

vera ab obiecto, se habente in se, eo modo, quo affirmatur: ergo propositio non redditur vera formalitèr; sed tantum determinativè, seu illativè ab ea extrinseca futuritione, quatenùs illa per essentialem connexionem infert, peccatum se habere in se eo modo, quo affirmatur. Quia si actus de præterito, & futuro formalitèr verificantur ab ea extrinseca futuritione, & præteritione coexistente propositioni, nullus actus, aut de præterito, aut de futuro verus erit veritate formalis conformitatis: ergo falsa est solutio, ex qua tale absurdum deducitur. Antecedens probatur. Quia veritas formalis conformitatis stat formalitèr in actu, & obiecto se habente in se qua ratione affirmatur per actum, iuxta sæpè repetita; sed iuxta præfatam solutionem nulla veritas actus de præterito, aut futuro stat formalitèr in actu, & obiecto prout se habente intrinsecè, & in se ipso; sed prout se habente in aliquo extrinseco ipsi, qua ratione affirmatur per actum: ergo nullus actus de præterito, & futuro verus erit veritate formalis conformitatis.

52 *Tertio*, & efficacius arguo sic. Hic actus: *Antichristus peccabit*, ita per vos affirmat de præsenti extrinsecam futuritionem peccati, sitam in illo connexo, vt affirmet etiam de futuro futuritionem intrinsecam peccati consistentem in peccato ipso non existente nunc, & exituro postea: ergo licèt actus ille, quatenus affirmat de præsenti extrinsecam futuritionem peccati verificetur ab eo connexo, in quo talis extrinseca futuritio consistit: at quatenùs affirmat de futuro intrinsecam futuritionem peccati consistentem in peccato ipso non existente nunc, & exituro postea non potest verificari ab illo connexo; sed à peccato ipso postea exituro. Consequentia probatur: tùm quia illud connexum adæquatè distinguitur ab intrinseca futuritione peccati, à peccatoque ipso, quod actus affirmat pro tempore futuro: tùm quia de peccato enuntiat actus: *non existere nunc*, & *exiturum postea*: connexnm verò illud ita existet postea, vt etiam existat nunc: qua ergo ratione connexum illlud verificabit actum, quod de paccato enuntiat: *non existere nunc*, si tale connexum in se habet prædicatum oppositum, nempè: *existere nunc*. Tùm quia mente sola seclusa intrinseca futuritione pecati, seu eius intrinseca existentia in tempore futuro, hic actus: *peccatum erit postea intrinsecè*, & *in se* non intelligitur verus, quam-

quamvis concipiamus mille extrema connexa cum peccato: ergo affirmatio de futuro, quatenus talis, & prout con-distincta ab omni affirmatione de præsenti, non à præsenti connexo; sed ab objecto futuro, quod affirmat, redditur formalitèr vera.

53 Probatur 4. nostra conclusio. Hæc propositio: *Si Iudas haberet auxilium A converteretur*, quam supponimus modo veram, non redditur formalitèr vera ab aliquo existente nunc connexo cum conversione Iudæ sub eo auxilio: ergo neque hæc: *Antichristus peccabit* redditur formalitèr vera ab aliquo existente nunc connexo cum peccato. Consequentia est certa. Antecedens probatur. Nihil est nunc existens connexum cum ea conversione, quod eam propositionem verificare posit: ergo non redditur vera ab aliquo existente nunc connexo cum conversione. Antecedens probatur. Non aliquid creatum distinctum ab actu, vt est certum. Non ipse actus, quia intrinsecè est indifferens ad veritatem, & falsitatem. Non aliquid divinum; nam si aliquid maximè divinum decretum actualitèr existens de conversione Iudæ sub eo auxilio, quod decretum, etiam illi pauci Adversarij ex nostris, contra prædeterminantes rejiciunt, cum omnibus AA. Societatis.

54 Dices: aliud esse; scilicèt, scientiam Mediam, quam Deus habet de illa conversione, quæ scientia connexa est intrinsecè, quia essentialitèr vera, cum conversione sub eo auxilio, & per conformitatem cum ipsa actus creatus redditur formalitèr verus. Sed contra. Quia devolvitur tota quæstio ad scientiam mediam. Inquiro enim: an scientia media sit formalitèr vera per conformitatẽ cũ alio distincto ab ipsa, & connexum cum conversione, vel præcise per conformitatẽ cum ipsa conversione, quæ existeret dato eo auxilio? Non *primum*, ne incidas in decretum Thomistarum. Si *secundum*, quod est iuxta veritatem dicendũ, vt supra probavimus, ostendo, veritatẽ formalem actuum divinorũ etiam adæquatè stare in ipsis actibus, & obiectis: ergo simili modo ea propositio reddetur formalitèr vera per solam conformitatem cum ipsa conversione, scilicèt, quia conversio in se existeret si poneretur auxilium, & propositio nihil aliud enuntiat.

55 Hoc argumentum efficacissimũ est in principijs Societatis de scientia media quidquid Adversarij illi pauci dicãt: omnes enim eorum solutiones

co

eo deveniunt, vt statuant, eam scientiam diuinã non posse verificari neque determinari ab existentia conditionata identificata cum existentia absoluta conversionis; sed ab aliquo aeterno, & physicè coexistente scientia, quodcumque illud sit: nam aliud, vt ipsi verbis, & scriptis, proferunt, sunt pura verba · sed profecto non credam modum assignatum ab Antiquioribus Societatis PP. Molina, Suarez, Vazquez, Valentia, & alij pro determinanda, & verificanda scientia media, pura verba continere. Omitto alia pro hoc argumento : quia insinuata hic, & disp. de passibilitate pro phylosophica sufficiunt. Id ad notavi, vt liberiori animo defendas nostram sententiam conformem gravissimae, & acutissimae sententiae de scientia media, quae nostri Societati cordi est.

§. II.

Soluuntur obiectionis.

56 OBjicies 1. Supponendo iudicium humanum de futuro v. g. hoc, *Antichristus peccabit*, non esse intrinsecè verum; sed intrinsecè indifferens ad veritatem, & falsitatẽ. Nequit hoc iudicium esse nunc determinatè verum, nisi nunc existat eius veritas: sed veritas huius iudicij infallibiliter cõnectitur cum existentia peccati: ergo nequit hoc iudicium esse determinatè verum, quin detur nunc aliquid infallibiliter connexum cum peccato: cumque iudicium ipsum ea connexione careat, iuxta suppositionem, cõsequens est, vt nunc detur aliquid distinctum adaequatè à iudicio, quod cum peccato connectatur. Maior supponitur vt certa quia cum forma constitutiva iudicij in esse veri, sit eius veritas, nequit actus esse nunc verus, quin eius veritas existat nunc. Minor autem probatur. Nã ea veritas est essentialiter inconiungibilis cum carentia peccati: ergo infallibiliter connectitur cum peccato.

57 Respondeo: supponendo ex disput. praecedenti, omnem veritatem formalem adequatè identificari cum actu, & obiecto: distinguo maiorem: nisi nunc existat eius veritas sumpto ly *existit* per statum quoad actum, & obiectum, nego maiorem: per statum quoad actum, & per alienationem quoad obiectum, concedo maiorem, & distinguo minorem: veritas adaequatè sumpta infallibiliter connectitur cum peccato, concedo: inadaequatè sũpta, secundum, quod praecisse dicit in recto, & existit nunc, nego minorẽ: & distinguo consequens sub eadem distinctione Explicatur. Veritas illius actus adaequè sumpta formaliter, est coniunctũ ex actu, & peccato, & hoc

hoc coniunctum essentialitèr connectitur cum existentia peccati; quia per ipsam in adæquatè constituitur; proindeque veritas illa adæquata inconiungibilis est cum carentia peccati, cum qua peccatum essentialitèr pugnat. Cæterum hæc veritas non existit nunc per statum quoad actum, & obiectum: quia nunc physicè de præsenti non existit obiectū; sed nunc per statum existit quoad actum & per alienationem quoad obiectum; quia nunc physicè, & de præsenti existit actus, & nō existit nunc de præsenti obiectum; sed de futuro. Ideoque ly *existit* quoad obiectum alienatur, facitque propositio hunc sensum *nunc est actus postea erit obiectum.* At cū actus, qui nunc existit, & quem veritas importat in recto intrinsecè indifferens sit, vt peccatum existat, vel non existat postea, nihil veritatis existens nunc connectitur cum existentia futura peccati.

58 Sed hinc instabis *primo.* Ergo actus non coniungitur nunc cum denominatione *iudicij determinati veri.* Probatur consequentia. Actus solum coniungitur nunc cum sola sua entitate: sed entitas actus indifferens omnino est ad eam denominationem: ergo actus non coniungitur nunc cum ea denominatione. Distinguo primum consequens, actus non coniungitur nunc cū denominatione veri, coniunctione, qua omnes partes denominationis existant nunc per statum, concedo: coniunctione, qua vna pars existat per statum, & alia per alienationem, nego consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: coniunctione existendi per statum, concedo: existendi per alienationem, nego maiorem, & concessa minori; distinguo consequens, vt supra. Est dicere. Nunc existit per statum actus; quia existit de præsenti: & existit per alienationem obiectum: quia existit de futuro; hoc est, quia obiectum non existit modo, & existet postea. Hinc modo coniunguntur, & existere actum de præsenti, & obiectum de futuro, quod est actum non coniungi nunc cum denominatione veri coniunctione, qua tota denominatio existat per statum; sed partim per statum, & partim per alienationē. Cūque actum denominari nunc verū, sit per statū existere actum, & obiectum existere, aut per statum, aut per alienationem, prout actus ipse enuntiaverit; Indè ille actus est, & denominatur nunc determinatè verus à peccato, non existente nunc; sed postea, de quo actus id ipsum affirmat, nempè non exis-

existere peccatum nunc; sed exstiturum postea.

59 Instabis *secundo* ab opposito; ergo actus coniungitur nunc cum denominatione veri: sed hoc est falsum: ergo. Probatur minor *primo*. Denominatio veri constituitur per peccato extiturum cras: sed actus non coniungitur nūc cum peccatum extituro cras: ergo actus non coniungitur nunc cū denominatione veri. *Secundo*. Actus non coniungitur nunc cum denominatione veri, nisi nunc sit tota veritas; sed nunc non est tota veritas; siquidem nunc non est obiectum: ergo idem, quod prius. Maior probatur: Quia obiectum non est nunc cognitum; nisi sit nunc cognitio: ergo actus non coniungitur nunc cum denominatione veri. Nisi nunc sit tota veritas. *Tertio*: nequit existere effectus formalis, dum non sint omnia eius constitutiva: quippe nequit totum existere, dū non existunt omnes suę partes: ergo nequit nunc existere effectus formalis actus veri, nisi nunc existant omnia eius constitutiva: sed in hoc effectu formali clauditur essentialis determinatio, vt existat postea peccatum: ergo ea determinatio datur nunc. Cum ergo neque peccatum detur nunc, neque actus, qui nunc datur sit intrinsecè sic determinatus; consequens est, dari nūc aliquid distinctum ab actu connexum cum eo, quod peccatum existat postea.

60 Ad Instantiam, nego minorem. Ad primam probationem concessa maiori, distinguo minorem: Non coniungitur cum peccato extituro cras coniunctione, qua actus, & peccatum existant nunc per statum, seu de præsenti, concedo minorem: coniunctione, qua actus existat nunc per statum, & de præsenti, & obiectum per alienationem, & de futuro nego minorem, & consequentiam: vel eam distinguo, vt in instantia antecedenti. Etenim cum veritas huius actus constituatur ex peccato existente tempore importato per copulam, & copula importet tempus futurum, actum esse nunc verum est, actum nunc esse de præsenti, & obiectum esse nunc de futuro, hoc est obiectum non esse modo, & existere postea. Ad secundam probationem distinguo maiorem: nisi nunc sit tota veritas per statum, nego maiorem: Partim per statum; partimque per alienationem, concedo maiorem: & distincta minori in eodem sensu, nego consequentiam. Ad probationem maioris, concesso antecedenti, nego cōsequentiam: propter disparitem expositam in probatione nostræ conclusionis à numero 24.

61 Ad tertiam probationem, distinguo antecedens: nisi nunc sint omnia constitutiva eo modo, quo existit nunc effectus formalis, concedo: alio modo, nego antecedens, & distinguo consequens; ea denominatio datur nunc ly *datur* sumpto per statum quoad omnes partes denominationis, nego consequentiam: Sumpto per statum quoad vnam partem, & per alienationem quoad aliam, concedo consequentiam. Vndè licèt actus non sit intrinsecè determinatus ad existentiam peccati, neque peccatum futurum existat nunc; nunc tamen actus est verus præscindendo ab eo connexo præsenti: quia cum actum esse nunc verum non sit existere de præsenti totam veritatem; sed nunc de præsenti existere actum, & obiectum non existere nunc; sed postea; & totum id supponamus ita se habere, nunc datur quidquid hic effectus formalis *actus veri* importat existens nunc: quod autem non datur nunc, non requiritur ad effectum formalem existere nunc: quia non constituitur per ipsum, vt existens nunc; sed per ipsum, vt existens postea.

62 Vbi claritatis gratia nota. Effectum formalem *actus veri*, determinationem essentialem, vt postea existat obiectum; veritatem formalem actus, denominationem que iudicij veri, realiter; & ex parte obiecti idem omninò esse; & nihil aliud esse, quam coniunctum ex actu, & obiecto: vndè cum hoc coniunctum non detur nunc per statum adæquatè; sed partim nunc, & partim postea; neque datur per statum nunc adæquatè effectus formalis *actus veri*; neque determinatio essentialis, vt postea existat peccatum; neque veritas formalis actus; neque denominatio iudicij veri; datur tamen hoc coniunctum nunc, partim per statum, partimque per alienationem, hoc est, actus datur nunc de præsenti, & obiectum datur nunc de futuro, quod est dicere, obiectum non datur nunc; sed erit postea.

63 Objicies 2. Hæc propositio: *Petrus cras peccabit*, nequit determinari hodie ad veritatem à peccato crastino: ergo nequit esse vera hodie à peccato crastino. Antecedens probatur. Quod hodie non est nihil potest hodie præstare: sed peccatū crastinum hodie non est: ergo nequit hodie determinare propositionem, vt sit vera: propositióque ab eo non poterit determinari ad veritatē. Nego primum antecedēs. Ad probationem distinguo maiorem: Nihil poterit hodie præstare, quod constituantur per eius physicam existentiam existentē ho-

hodie de præsenti, & per statũ, concedo maiorem: quod continuatur per eius physicam existentiam: existentem, hodie per alienationem, & de futuro, nego maiorem, & distinguo minorẽ: Non est hodie per statum, concedo: per alienationẽ, nego minorẽ, & consequentiam. Nam cum propositio solum enuntiet, peccatũ esse nunc futurũ, propositio erit vera à peccato, si peccatũ hodie futurum sit, quod est hodie existere peccatum per alienationẽ: at hodie est futurum peccatum; quippè hodie esse futurum, non est hodie totam futuritionẽ existere; sed hodie non existere peccatum, & existere pòstea: hæc enim propositio: *Peccatum est hodie futurum*, iuxta sæpè dicta æquivalet huic: *Peccatum non est hodie, erit postea.*

64 Objicies 3. Peccatum crastinum nequit esse verificativũ huius propositionis: *Petrus peccabit* cras: ergo peccatum crastinnm non determinat veritatem huius propositionis. Antecedens probatur. Verificativum huius propositionis est coniungibile cum carentia peccati crastini: sed peccatum crastinum non est sic coniungibile cum sua carentia: ergo peccatum crastinum non est verificativum huius propositionis. Minor probatur. Hic actus, vt verus claudit formaliter eius verificativum: sed hic actus, vt verus est coniungibilis cum carentia peccati crastini: ergo verificativum huius propositionis est coniungibile cum carentia peccati crastini. Maior est certa. Minor probatur. Modo datur hic actus, vt verus, & modo datur carentia peccati crastini; ergo hic actus, vt verus est coniungibilis cum carẽtia pecccati crastini. Nego primũ antecedẽs. Ad probationẽ, distinguo maiorẽ: Verificativũ est coniungibile cum carentia peccati crastini, cõiũctione, quã carẽtia peccati crastini, & peccatũ existant per statũ, nego maiorẽ: coniunctione, qua carentia existat per statum, & peccatum existat per alienationem, concedo maiorẽ: & distinguo minorẽ: peccatum crastinum non est coniungibile cum sua carẽtia, coniunctione, quã carentia, & peccatum existant per statum, & de præsenti, concedo: coniunctione, qua carẽtia peccati existat de præsẽti, & peccatum existat de futuro, nego minorem, & consequentiam.

65 Ad probationem maioris, concessa maiori, distinguo minorem: Actus, vt verus est coniungibilis cum carentia peccati crastini, si *vt verus*, reduplicèt partem veritatis, scilicèt actum, concedo: Si reduplicèt totam veritatem, subdistinguo: Coniunctione, qua tota veritas, & carentia peccati

 exi-

existant de præsenti, nego minorem: Coniunctione, qua ca rentia peccati existat de præsenti, & pars veritatis, scilicet obiectum existat de futuro, concedo minorem, & distinguo consequens, vt supra. Ad probationem minoris, distinguo antecedens: modo datur actus; vt verus sumpto ly *datur* per statum, seu de præsenti quoad omnes partes veritatis, nego antecedens: sumpto ly *datur* per statũ, & de præsenti quoad actum, & de futuro quoad obiectum, concedo antecens; & dinstinguo consequens, vt suprà.

66 Explicatur solutio. Verbum in propositione, ratione particulæ positæ ex parte prędicati, ita affici solet, vt licèt ipsũ verbum secundum se significet de præsenti; vt coniunctum tamen cum ea particula, non significèt aliquid de præsenti: sed de præterito aut futuro. Sic verbum *est*; secundum se sumptũ, significat existentiam de pręsenti, & tamen vt coniunctum cũ ea particula *mortuus* in hac propositione: *Petrus est mortuus*, non significat Petrum existere de præsenti; sed de præterito: quia æquivalet huic propositioni: *Petrus fuit, iam non est*: ideòque verbum est stat pro carentia Petri, alienaturque pro eius existentia: sic in hac propositione: *Actus est verus*, ratione illius particulæ *verus*, determinatur verbum *est*, vt significèt actum de præsenti, & obiectum tempore importato per copulam eo modo, quo propositio dicit. Ideoque in propositione de futuro, cum dico: hæc propositio *est vera*, non dico dari nunc actum, & obiectũ; sed dari nunc actum, & obiectum dari tempore importato per propositionem de futuro: cumque propositio de futuro significet tempus futurum, dico nunc dari actum de præsenti, & obiectum dandum postea: quo fit ly *est* in hac propositione: *Propositio de futuro modo est vera* significare actum de præsenti, & obiectum de futuro.

67 Hinc, quando datur carentia peccati, illud peccatum est futurum, illudque *est* non significat peccatum futurum dari uunc; sed ratione illius particulæ *futurum* determinatur, vt significèt de futuro ipsum peccatum, hoc est, vt significet peccatum exiturum postea, & non existere nunc, quod est peccatum, & eius carentiam coniungi, coniunctione, qua carentia existat de pręsenti, & peccatum de futuro: quia sic coniungi nihil aliud est, quam peccatum non existere de pręsenti in instanti, in quo datur eius carentia: exiturum tamen de præsenti postea in alia duratione, in qua eius carentia, deficiet. Cumque actus de quo loquimur id ipsũ præcisè enunciet, nempè nunc da-

dati carentiam, & non dari nunc peccatum, posteaque deficere carentiam, sit planè actum esse nunc; verum à peccato exituro postea, eiusque verificativum, nempè peccatum, non coniungi cum sua carentia neque id necessarium esse, vt actus sit modo verus, quando existit carentia peccati: quippè peccatum non vt existens nunc; sed vt postea exiturum est verificativum actus.

68. Alitèr in forma potest responderi; argumento ex num. 63. negando antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Ad huius probationem, concessa maiori, distinguo minorem: Actus, vt verus, est coniungibilis cum carentia peccati ly *vt verus* reduplicante totam veritatem, nego minorem: Reduplicante partem veritatis, scilicèt actum, concedo minorē, & nego consequentiam. Ad probationē minoris, distinguo antecedens: Modo datur actus, sumpto ly *datur* per statum, quoad totam veritatem, nego antecedens: Sumpto per statum quoad actum, & per alienationem quoad obiectum, concedo antecedens, & distinguo consequens, vt distinxi minorem præcedentem. Vel alijs terminis, fortasse expeditioribus, negatis primo antecedenti, maiore probationis, & minore, per quam probatur, distinguo vltimum antecedens: Actus, vt verus coniungitur modo cum carentia peccati excludente peccatum ab existendo hodie, concedo: Excludente peccatum ab existendo cras, nego antecedens, & consequentiam. Itaque actus, vt verus coniungitur hodie cum carentia peccati excludente peccatum ab existere hodie; non autem cum carentia, quæ peccatum excludat ab existere cras, cum supponamus peccatum cras exiturum, per nullamque carentiam excludendum ab existere cras. Cum autem actus præcisè affirmet, peccatum exiturum cras, peccatū vt cras existens, est eius verificativum. Quare cum carentia existens hodie coniuncta, cum actu verò non excludat peccatum ab existendo cras, non excludit verificativum actum ab eo modo, & ratione, qua actum verificat; neque coniungitur hodie talis carentia cum verificativo actus, licèt hodie coniungatur cum actu, vt vero: quia verificativum actus est peccatum, non vt hodie existens; sed vt existens cras, pro qua mensura affirmat actus peccatum existere.

69. Objicies 4. Si verificativum huius propositionis: *Petrus Peccabit cras*, est peccatum crastinum, tale verificativū absolutè, & simpliciter deficit hodie: ergo, absolutè, & simpliciter datur hodie eius ca-

tentia: ergo absolutè, & simpliciter datur hodie non esse peccati crastini. Id omne, verum videtur: & exindè arguitur sic. Ergo vera est hodie hæc propositio contradictoria primæ: *Petrus non Peccabit cras.* Probatur consequentia. Ea propositio est hodie vera, cuius verificativum datur hodie: sed verificativum huius propositionis datur hodie: ergo est hodie vera: Minor probatur. Verificativum huius propositionis est non esse peccati crastini: sed tale nõ esse ex dictis datur hodie: ergo verificativum eius datur hodie. Indè rursus infertur. Hæc est vera: quia eius verificativum datur hodie ergo contradictoria est falsa: & quidem est falsa; quia pecatum non datur hodie: ergo vt sit vera requiritur, quod eius verificativum detur hodie, distinguaturque à peccato hodie non existente.

70 In multis peccat obiectio. *Primo*; quia supponit propositionem negativam verificari à carentia rei, quod est falsum: Tùm quia propositio affirmativa non differt obiecto à negativa, vt diximus in superioribus, & propositio affirmativa, vt patet, non verificatur à carentia rei, quam non affirmat: Tùm quia propositio verificatur ab obiecto; & obiectum huius propositionis: *Petrus non peccabit cras*, non est carentia peccati; sed ipsum peccatum, cuius existentia negatur. Peccat *secundo*, quatenùs ait, hodie existere simplicitèr non esse peccati crastini, si per simplicitèr non esse intelligant carentiã excludentem peccatum ab omni duratione: nam licèt peccatum crastinum non existat hodie, deturque carentia removens peccatum ab hodie; non datur tamen hodie carentia illud excludens à duratione crastina, in qua supponimus extiturum.

71 Deindè concesso primo antecedendi, & permissis duabus subillatis consequentijs, nego consequentiam alteram, quæ probari intenditur hoc argumento. Ad probationem, distinguo maiorem: Si propositio petat ex suo modo tendendi verificativum dari hodie, concedo: Si non petat, nego maiorem & distinguo minorem: & propositio petit dari hodie, nego; & non petit dari hodie, concedo minorẽ, & nego consequentiam. Ad probationẽ minoris permissa maiori, distinguo minorem: & propositio petit ex suo modo tendendi dari hodie, nego: & nõ petit dari hodie: sed cras, cõcedo minorẽ & sub eiusdẽ terminis, distinguo vltimũ consequẽs. Itaque hæc propositio: *Petrus cras non peccabit*, admisso, quod habeat pro obiecto carentiã peccati crastini, eam carentiã significat exerceri cras: ergo si non

pro-

probetur, aut cràs dari talē carentiam, aut hodie dari carentiam, removētē peccatum, etiā à duratione crastina, non probatur obiectū propositionis, de qua est sermo, eiusque verificativū, verificare modo propositionē negativā: proindeque sēper manet verum, affirmativā cōtradictoriā modo esse vera, & verificari modo à peccato existente cras, non verò ab aliquo præsenti connexo cum peccato crastino.

71 Objic. 5. Hæc propositio: *Peccatum Petri est futurum*, redditur formaliter vera nunc à formali futuritione peccati Petri: sed formalis futuritio peccati, nō potest consistere in pecato postea futuro: ergo consistere debet in alio, nūc existēte cōnexo cū peccato, & proindè ab hoc cōnexo redditur vera formalitèr illa propositio. Minor probatur. Nūc quando deficit peccatū debet deficere omne quod idētificatur cū peccato. Sed nūc deficiēte peccato non deficit eius formalis futuritio, ergo hæc nō idētificatur cum peccato. Prob. minor. Quiá si nunc deficeret futurio formalis peccati, nunc existeret futuritio formalis carētiæ peccati, ac proindè nūc esset vera hęc propositio: *Peccatū non est futurū*, quod est apertè falsū. Prob. tamē. Quia tā opponūtur cōtradictoriè futuritio peccati & futuritio eius carētię, qua carētia ipsa, & peccatū: sicut enim formalis futuritio peccati idētificatur, iuxta nos cū peccato; ita formalis futuritio carētiæ cum carentia ipsa identificatur: ergo sicut peccatum modo deficere, est modo existere eius carentiā: deficere modo futuritionē formalem peccati, est existere modo formalem futuritionem carentiæ peccati: perindeque hęc propositio: *Peccatū non est futurū*, erit modo vera à futuritione formali carētię peccati existēte modo. Cōfirmatur. Si modo non existit futuritio formalis peccati, modo existit carētia eius formalis futuritionis: sed carentia futuritionis formalis peccati est formalis futuritio carentiæ peccati; siquidē carētia futuritionis formalis peccati est carētia ipsa pecati, cū quo identificatur sua formalis futuritio, formalisque futuritio carentiæ est, iuxta nos ipsamet carentia: ergo modo existit futuritio formalis carētię peccati, quæ verificativū est illius actus: *Peccatum non est futurum*: ac proindè duo actus cōtradictorij sunt modo veri.

73 Pulchra sunt hæc primo excogitata à P. Rivad. qui nihil ferè adversarijs discurrēdū reliquit. Sed sūt fallacia, vt patet per instantiā sic. Modo non existit hoc obiectū: *Diem crastinum existere cras*: ergo modo existit obiectum contradictorium, nempè: *Diem crastinum nō existere cras* ac proindè modo est verus hic actus: *Dies crastinus non exis-*

tet cras; & cum aliundè sit evidentèr verus hic: *Dies crastinus existit cras*, dabuntur duo actus cõtradictorij simul veri. Sequelam probavit facile quisque argumento nobis obiecto. Pro cuius responsione observa *primo*. Futuritionem formalem peccati purè futuri, seu quod idē est, nō existentis nunc, & extituri postea, non idētificari adæquatè cum solo peccato; sed partim cum peccato existente postea, partimque cum eius carentia existente nunc: nam in hoc distinguitur *purè* futurum, à futuro *existente*, & à futuro *præscindente*, quod futurum *purè* non existit nunc, & existet postea: futurum *existens*, existet postea, & existit etiam nunc; futurum autem, *præscindens* existet postea, sivè existat, sine non existat nunc, à quo præscinditur. Observa *secundo*. Futuritionem formalem pecati, adhuc quoad illam partem: *Peccatum existere postea*, non identificari cum sola, & nuda entitate peccati, sed cum peccato, & duratione posteriori, quam peccatum postea habebit. Patet. Nam hoc obiectum *existere postea peccatum*, claudit essentialitèr peccatum ipsum, & durationem determinantem peccatum ad tempus posterius, quæ duratio, in nostra sententia, est distincta realitèr à re durante, & à tempore. Similitèr ratiocinandum est de futuritione formali carentiæ peccati. Nam futuritio formalis absoluta cuiuscumque rei, est forma, per quam res constituitur futura, seu extitura in tempore posteriori; omnia enim absolutè futura in hoc conveniunt, quod *postea extitura sint*, sivè existant, sivè non existant modo; vndè implicat, carentiam peccati *esse futuram*, seu gaudere formali futuritione, si talis carentia non est extitura *postea*; quidquid sit: an ea carentia existat, aut nō existat nunc?

74 Observa *tertio*. Aliqua esse obiecta opposita, quæ suam oppositionem exercent, non relatè ad tempus præsens; sed relatè ad tempus præteritum, vel futurum: eaque obiecta, licèt non possint simul deficere in tempore relatè ad quod opponuntur; deficere tamen possunt simul in tempore præsenti. Patet per exempla. Nam hæc obiecta: *Adamum antea extitisse*: Adamũ non *extitisse antea*, ita sunt opposita, vt in tempore præterito, neque simul deficere, neque simul existere posint. At in tempore præsenti vtrumque deficit simul, quippè nunc neque datur: *Adamum antea extitisse* cum non dentur modo durationes elapsæ Adami, neque nunc datur: *Adamum non extitisse antea*, cum non detur modo aliquid, quod præstet nè extiterit antea Adamus. Similitèr hæc

hæc obiecta : *Diem crastinum existere cras* : *Diem crastinum non existere cras* : cras non dicifient, neque existent simul ac hodie simul deficiunt, quia neque datur hodie *diem crastinum cras existere*, cum non detur hodie crastina existentia eius diei; neque datur hodie : *Diem crastinum non existere cras*, cum nihil detur excludens eum diem à mensura crastina. Idem accidit in alijs obiectis oppositis relatè ad determinatum locum. Nam quæ obiecta magis opposita, quam hæc : *Papam existere Romæ* : *Papam non existere Romæ*? Et tamen licèt non possit simul deficere, neque simul existere in vbi Romano: attamen hic Compluti neutrum existit: nam hic, neque datur *Papam existere Romæ*, cum hic non detur, neque Papa, neque eius Romana præsentia, neque datur hic : *Papam non existere Romæ*, cum nihil detur Compluti oppositum cum eo, quod Papa existat Romæ. Idque non ob aliam rationē, nisi quia, hæc, & similia obiecta cum respectiva sint, & coarctata, & determinata ad certum tempus, & locum, pro hoc tolum, & non pro alio suam oppositionem exercent. Hæc satis clara ex terminis, nulla vlteriori explicatione egent. Eiusdem rationis sunt hæc obiecta : *Futuritio formalis peccati* : *Futuritio formalis carentiæ peccati*: & etiam, hæc, & alia similia : *Peccatum existere postea* : *Peccatum non existere postea* : Licèt enim hæc obiecta non possint simul deficere, aut existere in tempore posteriori ; at in tempore præsenti omnia deficiunt simul. Modo enim non datur : *Futuritio formalis peccati*: quia neque datur peccatum, neque eius duratio posterior, & cum his identificatur futuritio formalis peccati ex num. præcedenti ; neque datur modo, *futuritio formalis carentiæ peccati*; quia futuritio carentiæ, vltra carentiam ipsam, includit durationem posteriorem eiusdem carentię, & hæc posterior duratio, neque datur modo, vt patet : imò neque postea danda est, cum supponamus, carentiam non esse postea exstituram ; sed exstiturum esse peccatum. Neque datur modo : *Peccatum existere postea*, cum nec detur peccatum, nec illud *postea*, scilicet duratio posterior. Nec datur modo : *Peccatum non existere postea*, cum nihil detur nunc oppositum cum eo, quod pecatum postea existat.

75 Iam ad argumentum respondetur facile. Nego primam minorem, & minorem probationis. Ad probationem huius, nego antecedens ; & absurdum sub illatum. Ad huius probationem, distinguo antecedens : Tàm, & eodem modo opponuntur contradictoriè futuritio peccati, & futuritio ca-

rentiæ, quam peccatum ipsum, & eius carentia; nego antecedens: Tam diverso modo, scilicet peccatum, & eius carẽtia opponitur absolutè, & illæ duæ futuritiones respectivè relatè ad solum tempus futurum, concedo antecedens: & concessa probatione ipsi subiuncta, quæ non est contra nos, nego consequentiam. Ad confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: Carentia futuritionis formalis peccati est adęquatè futuritio carentiæ peccati, nego: est adæquatè futuritio carentiæ peccati, concedo minorem, & nego consequentiam. Est dicere. Eo ipso modo, quo formalis futuritio peccati identificatur cum peccato, identificatur etiam cum carentia peccati futuritio formalis talis carentiæ: at cum formalis futuritio peccati partim solum identificetur cum peccato, partimque cum eius duratione in tempore posteriori, ex num. 73. hinc formalis futuritio carentię inadęquatè solum identificatur cum carentia, & inadæquatè cũ duratione posteriori eiusdẽ carentiæ. Cumque hæc duratio posterior carentiæ non existat in tempore præsenti, in quo carentia existit, non existit, sed potius deficit in tempore præsenti formalis futuritio carentię peccati, in quo tempore etiam deficit formalis futuritio peccati, vt iam est ostensum. Idque accidit sine vllo inconvenienti: nam illæ duæ futuritiones cum constituantur inadæquatè per durationes posteriores inter se oppositas relatè solum ad tempus posterius, hinc tales futuritiones relatè solum ad tempus posterius opponuntur, & à tempore præsenti possunt deficere simul. Non sic accidit in Petro, & eius carentia, quæ non opponutur præcisè relatè ad tempus posterius; sed etiam relatè ad tempus præsens, & præteritum. Vndè si nũc deficiat vnum, debet nunc existere aliud.

76 Objicies 6. Vt hæc propositio, *Peccatum Petri est futurum*, sit nunc, & de præsenti determinatè vera, debet habere aliquid de præsenti, quo careret de præsenti si esset falsa: sed hoc præsens, quod habet propositio, quando est vera, & quo careret si esset falsa non potest esse aliud, quam connexum cum peccato postea futuro: ergo ea propositio est nunc determinatè vera ab illo connexo. Minor est certa. Nam propositio, quæ nunc existit, & est vera, eadem ipsa existeret, quando esset falsa: peccatum verò, quod non existeret, si esse falsa propositio, non existit de præsenti nunc, quando est vera: Quare si aliquid debet existere de præsenti, vt sit vera, quod si esset falsa deficeret de præsenti; illud neque est

est actus, neque peccatum, ac proindè debet esse illud connexum cum peccato. Maior autem probatur. Propositionem illam esse nunc determinatè veram, de præsentique esse distinctam à se ipsa, vt falsa, est dari de præsenti constitutivum illius distinctionis propositionis, vt veræ, ab ipsa vt falsa: nam mirum erit, dari nunc illam distinctionem, quin detur nunc, & de præsenti id, quod talem distinctionem constituit: ergo vt sit nunc determinatè vera debet habere aliquid de præsenti, & nunc, quod non haberet si esset falsa. Confirmatur *primo*. Præter illud connexum, omne, quod de præsenti existit pertinens ad veritatem illius actus est solus actus, qui ex se non est potius verus, quam falsus; sed intrinsecè indifferens ad veritatem, & falsitatem: ergo, quod actus sit nunc, & de præsenti verus, potius quam falsus, & quod vt verus distinguatur nunc à se ipso, vt falso, non potest ipsi provenire à sua entitate. Aliundè hæc distinctio, nunc, & de præsenti existens in actu verò, non potest constitui per peccatũ nunc non existẽs: nam quod non existit nunc, non potest constituere distinctionem nunc, & de præsenti existẽtem: ergo illa distinctio, proindeque veritas actus, provenit à connexo illo existente de præsenti. Confirmatur *secundo*. Illud connexum est indispensabilitèr requisitum; tùm, vt postea existat peccatum; tum, vt nos sciamus esse verum actum enuntiantem peccatum esse futurum; ergo illud connexum constituit veritatem talis actus.

77 Ad argumentum valde familiare RR. Thomistis, & à P. Rivadeneyra constructum. Respondeo 1. per instantiam. Vt hæc propositio: *Papa est præsens Romæ*, sit hic Compluti determinatè vera debet habere aliquid hic Compluti, quo hic careret, si hic esset falsa; ergo Compluti debet esse aliquid connexum cum præsentia Romana Papæ, à quo talis propositio determinetur ad veritatem, & constituatur vera, potius quã falsa. Nam qua ratione Papa existens Romæ potest determinare veritatem propositionis existentis Compluti? Similitèr instantur confirmationes transferendo terminos distantiæ temporalis ad distantiam localem. Deindè respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. Nec mirum videri debet, propositionem illam, vt veram, constitui hodie distinctam à se ipsa, vt falsa per aliquid non existens hodie; sed exstiturum postea; sicut mirum non est, diem hodiernum constitui hodie priorem die crastino per,

per ipsum crastinum diem, non existentem hodie, sed extiturum cras: & sicut non est mirum, hunc actum: *Papa existit Romæ*: esse verum Compluti à præsentia Romana Papæ non existente Compluti, sed Romæ. Et ratio à priori est. Quia actum esse hic, nunc, & de præsenti verum, præ falso, præcisè consistit in eo, quod actus hic, & nunc, & de præsenti, repræsentet obiectum, ipsumque depingat ea ipsa ratione, qua est obiectum in se, cum eaque differentia temporis, & loci, quam obiectum in se habet. Nam hoc ipso actus, & obiectum erunt conformia, & similia, & in hac conformitate stat formalitèr veritas. Cum autem hi actus: *Papa existit Romæ*: *Petrus peccabit cras*: hic nunc, & de præsenti repræsentēt sua obiecta, vt in se sunt, & cum ea differētia loci, & temporis, qua gaudent, primus est verus hic à Papa non existente hic: & secundus est verus hodie à peccato non existente hodie.

78 Ad primam confirmationem, concesso primò entimemate. ad minorem subsumptam, vel nego suppositum, vel distinguo sic: distinctio nunc existens physicè in actu verò non potest ipsi provenire à peccato non existente physicè nunc; concedo distinctio nunc existens virtualitèr, & æquivalentèr, in actu verò non potest provenire ipsi à peccato non existente nunc, nego minorem, & consequentiam. Et dicere, *vt verus*, & vt distinctus à se ipso, vt falso, non dicis præcisè actum de se indifferentem ad veritatem, & falsitatem; sed addit vlterius obiectum se habens in se, sicut repræsentatur ab actu. Vndè adæquata distinctio actus, vt veri ab actu, vt falso, est complexum ex actu, & ex obiecto dicto modo se habente: neque alio modo existet nunc illa distinctio, ac existit hoc complexum: cumque tale complexum non existat physicè nunc quoad omnes eius partes; quippè nunc nō existit physicè peccatum, indè illa distinctio adæquatè physicè non erit nunc. Existit tamen virtualitèr & æquivalentèr; nam peccatum nunc physicè deficiens, existit nunc æquiualentèr, & virtualitèr in ordine ad denominandū verum hunc actum: *Peccatum est futurum*: quia in ordine ad hoc perindè se habet peccatum existens postea, ac si nunc physicè existeret; sicut in ordine ad denominandum verum Compluti hunc meum actum: *Papa existet Roma*, perindè se habet Papa Romæ exīstēs, ac si existeret Compluti. Ratio est iam data in fine numeri præcedentis, & sæpè in superioribus.

76 Ad secundam confirmationem, concesso antece-

denti, nego consequentiam. Nam quod modo debeat existere scientia divina de futuro peccato, divinum decretum, vel quodvis aliud connexum cum eventu futuro postea, non provenit formaliter ex eo, quod peccatum non existeret postea, si tale connexum non daretur nunc, nec illud connexum est formaliter loquendo, necessarium, vt vera fit modo propositio nostra enuntians eventum futurum: nam quamvis nihil connexum existeret, propositio esset vera eo præcisè, quod talis eventus in tempore futuro existeret. Quare, quod talia connexa nunc, & de præsenti existant ex alio capite provenit, nempè ex immutabilitate intellectus, & voluntatis Dei, qui non potest in tempore concipere sciētias, aut decreta, quæ non concipit ab æterno. Quod autem nos non sciamus an sit vera, vel falsa hæc propositio: *Petrus peccabit cras* sine revelatione Dei connexa cum eo peccato, non probat eam revelationem constituere veritatem eius propositionis: sed necessariam esse ad detegendam nobis veritatem aliundè iam constitutam ex actu, & peccato ipso cras futuro. Quare valdè diversum est, quid requiratur formaliter ad veritatem huius actus de futuro: *Petrus peccabit cras*? Et quid requiratur, vt nos reflexè sciamus, talem actum esse verum? Et fortassis confundere hęc duo fuit pluribus ex Adversarijs radix æquivocationis. Ad primum vnicè requiritur, actum nunc, & peccatum cras existere. Ad secundum requiritur quidem revelatio divina, independenter à qua res futuras ignoramus. Sed in hoc quid contra nos?

DISPVTATIO VII.

De voluntate, & eius actibus.

VOluntas definitur: *Potentia appetitiva spiritualis.* Convenit voluntas per priora verba cum potentia sensitiva, & appetitiva brutorum, quæ per actus proprias in sua obiecta feruntur. Differt per ly *spiritualis*: quia voluntas, secus bruta, per actus spirituales attingit sua obiecta, & ita, vt præcognita obiecti bonitate per cognitionem, feratur per volitionem in ipsam iuxta illud Augustini: *Amor meus pondus meum illo feror, quocumque feror*: quia videlicè amor ipse, seu terminus amoris propensio est voluntatis in obiectum. Terminus actionis voluntatis est qualitas, quæ pon-

pondus in obiectum nominatur qua vnita voluntati in genere causæ formalis ipsam inclinat ad bonitatem, quasi amat. Amor autem iuxta dicta disputatione 2. huius libri formaliter adæquatè stat in actione physica voluntatis qua producit, sibique vnit qualitatem ponderis. De incompossibilitate amoris efficacis & odij efficacis, constat ex dictis disput. 4. circa incompossibilitatem assensus, & dissensus. Restat breviter agendum de alijs ad voluntatem spectantibus; remissis ad Theologiam pluribus, vbi per otium tractantur ab Authoribus.

SECTIO I.

De obiecto voluntatis, & divisione actuum ipsius.

1 DVplex est actus voluntatis, quorum quilibet sub se continet alios, ad quos, vt genus comparatur. Primus est *amor*, qui prosequutio obiecti, & coniunctio affectiva voluntatis cum obiecto dicitur. Secundus est *odium*, quod etiam vocatur fuga voluntatis ab obiecto. Per actus amoris tendit voluntas in bonum reale, vel apparens; per actus odij tendit in malum reale, vel apparens. Vndè obiectum adæquatum voluntatis est bonum, vel malum reale, vel apparens: hoc est per actus intellectus prævios, vel saltem non committentes ordine naturæ, propositum tanquam bonum, vel malum. Bonum aliud est absolutum, videlicèt, quod res in se est bona, & hæc bonitas non distinguitur ab essentia, & integritate prædicatorum rei. Malum absolutum negatio est eius integritatis. Aliud est bonum convenientiæ, videlicèt, quod bonum est non solum in se, & respectu sui; sed respectu alterius.

2 Bonum convenientiæ est triplex. *Honestum*, quod ratione sui consonum est naturæ rationali, vt operanti iuxta regulas rationis; hoc bonum dicitur morale, quia ipsius amor spectat ad bonos mores. *Vtile*, quod conducit ad aliud consequendum. *Delectabile*, quod ratione sui excitat, vel excitare potest delectationē amanti. Hęc omnia in eodē subiecto coniungi possunt; actus enim misericordiæ erga pauperes in se honestus est item vtilis ad consequendā gloriam, estque delectabilis, quia voluntatē movet, vt percipiat delectationem, & iucunditatē de ipso. Bonum honestum, & vtile solius voluntatis obiectum est: quia potētię appetitivæ materiales incapaces sunt honestatis, & propter finem operandi. Bonum verò delectabile obiectum cōmune est cuiuscumque potentiæ appetitivæ. Triplici

bono

bono enumerato, triplex oppo- nitur malum: *inhonestum*, scilicet *inutile*, & *iniucundum*, seu molestum.

Inquiritur hic: An bonum absolutum sit obiectum voluntatis? Seu quod est idem: An voluntas posit amare bonum absque respectu ad aliud, cui sit conveniens? Negant alij apud Oviedo controv. 8. & alij affirmant cum ipso, quibus & ego subscribo: Tùm quia bonitas absoluta bonum aliquod est: proindèque movere potest voluntatem ad amorem, & si nulla appareat eius convenientia ad aliud subiectū: Tùm quia affectu perfectæ charitatis possum bonitatem divinam, quæ in se bona est, diligere nullo habito respectu ab bonitatem convenientiæ, qua mihi, aut ipsi Deo bona est. Tùm quia in naturalibus rebus invenitur sæpius pulchritudo, de qua sæpè complacemus, quia talem proportionem habet partium, & colorum nulla attenta convenientia ipsius ad aliquod subiectum: ergo bonum absolutum, prout distinctum, seu præcisum à bono cō. venientiæ, est obiectum voluntatis.

4 Amor dividitur *in desiderium, gaudium, & amorem strictum*. Desiderium est actus, quo voluntas tendit in bonū, vt consequendum, qui amor ex suo modo tendendi petit, quod bonum non cognoscatur possessū quod pro signo desiderij: si enim pro illo signo cognosceretur possessum imprudentèr illud desideraret voluntas; cæterum nō obest desiderio, quod in eodem instāti bonum possessum sit, cum ipsum desiderium sæpè sit causa sua efficacia bonum inducens. Desiderium est efficax, quando determinat voluntatem ad acquirendum bonum, & inefficax quod non determinat, sed præcisè inclinat. Desideriū aliud est intentio, quæ efficax, & inefficax potest esse; aliud electio. Sed de intentione, & electione egimus in physica disputatione de causa finali. Desiderio opponitur fuga, & odium mali imminentis. Erit odium efficax, quando determinat voluntatē ad evitandum malum, & inefficax quando non determinat.

5 Gaudium est actus, quo voluntas fertur in bonum vt possessum, hoc est, quod possessum, & præsens cognoscit in signo gaudij. Gaudio opponitur tristitia, & dolor, de malo præsenti. Amor strictus est actus, quo voluntas placet, & tendit in bonum divisim ex modo tendendi ab eo, quod absens, vel præsens sit. Huic amori opponitur simplex displicentia mali. Rursus dividitur amor in *spem*: quæ est *desiderium efficax boni ardui, vt obtinendi ab alio*. Est desiderium efficax, quia determinat voluntatem ad po-

portenda media, vt ab alio obtineat bonum: est *boni ardui*, quia quod facilè consequi possumus, non speramus: ideò per spem voluntas dicitur erigi ad bonum. Additur, *vt ab alio obtinendi*, quia nemo sperat, quæ in sua habet postestate. Requiritur ad spem iudicium, quo saltem probabilitèr videatur bonum futurum speranti: aliàs enim imprudentèr, & irrationabilitèr desideremus bonum ab alio obtinere. Spei opponitur *timor*, qui propriè est odium mali, certo, aut probabilitèr nobis futuri. Proprius, opponitur *desperatio*, & est actus, quo voluntas cum deiectione animi recedit à consequutione boni, vt ab alio obtinendi ob difficultatem & arduitatem in ipsius consequutione præcognitam. Ad desperationem præcedere debet iudicium, quo iudicet quis ab alio, vel non posse, vel hic, & nunc non obtenturum bonum.

6 Dividitur etiam actus voluntatis in *benevolentiam*, & *malevolentiam*. Benevolentia est actus, quo alicui personę volumus bonum ex complacentia in ipsa persona, videlicèt, quia persona in se bona est. Quando amatur bonum personæ ipsi amanti ex complacentia in ipsa persona amante, dicitur benevolentia propria: quando verò, amatur bonum personæ distinctæ ex complacentia in ipsius bonitate, dicitur, & est actus amicitiæ. Malevolentia est actus, quo ex displicentia in persona volumus ipsi malum. Quando mihi volo malum ex disciplicentia mei, est malevolentia propria: quando verò alteri ex displicentia ipsius est inimicitia.

7 Tandem amor dividitur *in imperantem*, *&* *imperatum*: & quilibet in *vagum*, & *determinatum*, sivè respectu obiecti, sivè respectu temporis. De his plura Theologi tradunt, tractatu de actibus humanis: ideò omittendæ nunc quæstiones de influxu actus imperantis in imperatum: Item: an voluntas possit se exercere purè omissivè, & aliæ plures, quæ non sunt huius loci.

SECTIO II.

An, & qualis, & quanta necessitate cognitio requiratur ad amorum.

8 Cognitionem necessariã esse aliquo modo ex natura rei ad amorem, est communis omnium sententia, constatque experientia ipsa nostrorum actuum, quibus in nihil non cognitum afficimur. Et ratio est. Quia voluntas est potentia cæca indigẽs aliqua illuminatione vt in operationem procedat: sed illumina-

ratio respectu voluntatis, est cognitio proponens ipsi bonitatum amandam: ergo indiget aliquo modo cognitione, vt amet. Sed est difficultas. Qualis debeat esse ista cognitio? Dico *primo.* Pro amore simplicis, cōplacētiæ sufficit simplex apprehensio bonitatis obiecti. Probatur: circa sæpè complacet voluntas circa obiecta cognita sibi impossibilia, vt circa dignitatem Reginam, & similia: sed horum obiectorum nulla alia est cognitio, quam simplex apprehensio: ergo hæc sufficit pro amore simplicis complacentiæ.

9 Dico *secundò.* Ad desiderium, & amorem efficacem obiecti regularitèr requiritur iudicium, saltem probabile, de futuritione ipsius. Patet. Nam potentia rationalis, qualis est voluntas temerè, & imprudentèr desideraret consequi, quod impossibile iudicat, vel saltem, quod non cognoscit probabilitèr eventurum medijs suis actibus. Cæterum absolutè potest voluntas, quantum est de se, desiderare bonum absque eo iudicio. Nam quid prohibet, voluntatem temerè, & imprudentèr intendere bonum, quod, qua tale, præcisse proponitur per apprehensionem? Imò si vera est sententia assentium, Luciferum appetijsse æqualitatem cum Deo, intentio illa eorum ducit ex sola apprehensione eius æqualitatis. Dico *tertio.* Voluntas potest amare obiectum cognitum, vt impossibile per actum efficacem conditionatè; hoc est actu, quo ita in illud obiectum efficiatur, vt si possibile appareret, determinaret ad exequtionem mediorum pro ipsius consequutione. Quia in hoc nulla est repugnantia.

10 Dicò *quarto.* Pro nullo amore necessarius est actus intellectus, qui à Thomistis, *imperium intellectuale* vocatus, distinctus ab appræhensione, & iudicio, & discursu, qui his vocibus explicatur: *fac hoc.* Probatur *primo.* Supposito iudicio proponente voluntati obiectum amandum, superfluus omninò est ille actus: siquidem per iudicium propositam iam habet voluntas rationem invitantem ad amorem, quam propositionem immediatè potest subsequi amor ex determinatione voluntatis. *Secundò.* Omnis actus intellectus est cognitio, & omnis cognitio, aut apprehensio, aut iudicium, aut discursus est, iuxta Philosophos in tres istas species dividentes cognitionem: sed imperium illud nulla ex his cognitionibus est: ergo non est actus intellectus. *Tertio.* Hoc imperium, iuxta

rentia: ergò absolutè, & simpliciter datur hodie non esse peccati crastini. Id omne, verum videtur: & exindè arguitur sic. Ergò vera est hodie hæc propositio contradictoria primæ: *Petrus non Peccabit cras.* Probatur consequentia. Ea propositio est hodie vera, cuius verificativum datur hodie: sed verificativum huius propositionis datur hodie: ergo est hodie vera: Minor probatur. Verificativum huius propositionis est non esse peccati crastini: sed tale nō esse ex dictis datur hodie: ergo verificativum eius datur hodie. Indè rursus infertur. Hæc est vera: quia eius verificativum datur hodie ergo contradictoria est falsa: & quidem est falsa; quia pecatum non datur hodie: ergo vt sit vera requiritur; quod eius verificativum detur hodie, distinguaturque à peccato hodie non existente.

70 In multis peccat obiectio. *Primo*; quia supponit propositionem negativam verificari à carentia rei; quod est falsum: Tùm quia propositio affirmativa non differt obiecto à negativa, vt diximus in superioribus, & propositio affirmativa, vt patet, non verificatur à carentia rei, quam non affirmat. Tùm quia propositio verificatur ab obiecto; & obiectum huius propositionis: *Petrus non peccabit cras*, non est carentia peccati: sed ipsum peccatum, cuius existentia negatur. Peccat *secundo*, quatenùs ait, hodie existere simpliciter non esse peccati crastini, si per simpliciter non esse intelligant carentiā excludentem peccatum ab omni duratione: nam licèt peccatum crastinum non existat hodie, deturque carentia removens peccatum ab hodie; non datur tamen hodie carentia illud excludens à duratione crastina, in qua supponimus exciturum.

71 Deindè concesso primo antecedendi, & permissis duabus subillatis consequentijs, nego consequentiam alteram, quæ probari intenditur hoc argumento. Ad probationem, distinguo maiorem: Si propositio petat ex suo modo tendendi verificativum dari hodie, concedo: Si non petat, nego maiorem & distinguo minorem: & propositio petit dari hodie, nego: & non petit dari hodie, concedo minorē, & nego consequentiam. Ad probationē minoris permissa maiori, distinguo minorem: & propositio petit ex suo modo tendendi dari hodie, nego: & nō petit dari hodie: sed cras, cōcedo minorē & sub eiusdē terminis, distinguo vltimū consequēs. Itaque hæc propositio: *Petrus cras non peccabit*, admisso, quod habeat pro obiecto carentiā peccati crastini, eam carentiā significat exerceri cras: ergo si non pro-

probetur, aut cras dari talē carentiam, aut hodie dari carentiam, removētē peccatum, etiā à duratione crastina, non probatur obiectū propositionis, de qua est sermo, eiusque verificativū, verificare modo propositionē negativā: proindeque sēper manet verum, affirmativā cōtra dictoriā modo esse vera, & verificari modo à peccato existente cras, non verò ab aliquo præsenti connexo cum peccato crastino.

71 Objic. 5. Hæc propositio: *Peccatum Petri est futurum*, redditur formaliter vera nunc à formali futuritione peccati Petri: sed formalis futuritio peccati, nō potest consistere in pecato postea futuro: ergo consistere debet in alio, nūc existēte cōnexo cū peccato, & proindè ab hoc cōnexo redditur vera formalitèr illa propositio. Minor probatur. Nūc quando deficit peccatū debet deficere omne quod idētificatur cū peccato. Sed nūc deficiēte peccato non deficit eius formalis futuritio, ergo hæc nō idētificatur cum peccato. Prob. minor. Quia si nunc deficeret futurio formalis peccati, nunc existeret futuritio formalis carētiæ peccati ac proindè nūc esset vera hęc propositio: *Peccatū non est futurū*, quod est apertè falsū. Prob. tamē. Quia tā opponūtur cōtradictoriè futuritio peccati & futuritio eius carētię, qua carētia ipsa, & peccatū: sicut enim formalis futuritio peccati idētificatur, iuxta nos cū peccato: ita formalis futuritio carētiæ cum carentia ipsa identificatur: ergo sicut peccatum modo deficere, est modo existere eius carentiā: deficere modo futuritionē formalem peccati, est existere modo formalem futuritionem carentiæ peccati: perindeque hęc propositio: *Peccatū non est futurū*, erit modo vera à futuritione formali carētię peccati existēte modo. Cōfirmatur. Si modo non existit futuritio formalis peccati, modo existit carētia eius formalis futuritionis: sed carentia futuritionis formalis peccati est formalis futuritio carentiæ peccati; siquidē carētia futuritionis formalis peccati est carētia ipsa peccati, cū quo identificatur sua formalis futuritio, formalisque futuritio carentiæ est, iuxta nos ipsamet carentia: ergo modo existit futuritio formalis carētię peccati, quæ verificativū est illius actus: *Peccatum non est futurum*: ac proindè duo actus cōtradictorij sunt modo veri.

73 Pulchra sunt hæc primo excogitata à P. Rivad. qui nihil ferè adversarijs discurrēdū reliquit. Sed sūt fallacia, vt patet per instantiā sic. Modo non existit hoc obiectū: *Diem crastinum existere cras*: ergo modo existit obiectum contradictorium, nempè: *Diem crastinum nō existere cras* ac proindè modo est verus hic actus: *Dies crastinus non exis-*

tet cras; & cum aliunde sit evidenter verus hic: *Dies crastinus existit cras*, dabuntur duo actus cõtradictorij simul veri. Sequelam probavit facile quisque argumento nobis obiecto. Procuius responsione observa *primo*. Futuritionem formalem peccati purè futuri, seu quod idẽ est, nõ existentis nunc,& extituri postea,non idẽtificari adæquatè cum solo peccato; sed partim cum peccato existente postea, partimque cum eius carentia existente nunc: nam in hoc distinguitur *purè* futurum, à futuro *existente*, & à futuro *præscindente*, quod futurum *purè* non existit nunc, & existet postea: futurum *existent*, existet postea,& existit etiam nunc: futurum autem,*præscindens* existet postea, sivè existat, sive non existat nunc, à quo præscinditur. Observa *secundo*. Futuritionem formalem pecati, adhuc quoad illam partem: *Peccatum existere postea*, non identificari cum sola, & nuda entitate peccati, sed cum peccato, & duratione posteriori, quam peccatum postea habebit. Patet. Nam hoc obiectum *existere postea peccatum*, claudit essentialitèr peccatum ipsum, & durationem determinantem peccatum ad tempus posterius, quæ duratio, in nostra sententia, est distincta realitèr à re durante, & à tempore. Similitèr ratiocinandum est de futuritione formali carentiæ peccati. Nam futuritio formalis absoluta cuiuscumque rei, est forma, per quam res constituitur futura, seu extitura in tempore posteriori: omnia enim absolutè futura in hoc conveniunt, quod *postea extitura sint*, sivè existant, sivè non existant modo; vndè implicat, carentiam peccati *esse futuram*, seu gaudere formali futuritione, si talis carentia non est extitura *postea*; quidquid sit: an ea carentia existat, aut nõ existat nunc?

74 Observa *tertio*. Aliqua esse obiecta opposita, quæ suam oppositionem exercent, non relatè ad tempus præsens, sed relatè ad tempus præteritum, vel futurum: eaque obiecta, licèt non possint simul deficere in tempore relatè ad quod opponuntur; deficere tamen possunt simul in tempore præsenti. Patet per exempla. Nam hæc obiecta: *Adamum antea extitisse*: Adamũ non *extitisse antea*, ita sunt opposita, vt in tempore præterito, neque simul deficere, neque simul existere possint. At in tempore præsenti vtrumque deficit simul, quippè nunc neque datur: *Adamum antea extitisse* cum non dentur modo durationes elapsæ Adami, neque nunc datur: *Adamum non extitisse antea*, cum non detur modo aliquid, quod præstet nè extiterit antea Adamus. Similitèr hæc

hæc obiecta: *Diem crastinum existere cras: Diem crastinum non existere cras*: cras non deficient, neque existent simul at hodie simul deficiunt, quia neque datur hodie *diem crastinum cras existere*, cum non detur hodie crastina existentia eius diei; neque datur hodie: *Diem crastinum non existere cras*, cum nihil detur excludens eum diem à mensura crastina. Idem accidit in alijs obiectis oppositis relatè ad determinatum locum. Nam quæ obiecta magis opposita, quam hæc: *Papam existere Romæ*: *Papam non existere Romæ*? Et tamen licèt non possit simul deficere, neque simul existere in vbi Romano: attamen hic Compluti neutrum existit: nam hic, neque datur *Papam existere Romæ*, cum hic non detur, neque Papa, neque eius Romana præsentia, neque datur hic: *Papam non existere Romæ*, cum nihil detur Compluti oppositum cum eo, quod Papa existat Romæ. Idque non ob aliam rationē, nisi quia, hæc, & similia obiecta cum respectiva sint, & coarctata, & determinata ad certum tempus, & locum, pro hoc solum, & non pro alio suam oppositionem exercent. Hæc satis clara ex terminis, nulla vlteriori explicatione egent. Eiusdem rationis sunt hæc obiecta: *Futuritio formalis peccati*: *Futuritio formalis carentiæ peccati*; & etiam, hæc, & alia similia: *Peccatum existere postea*: *Peccatum non existere postea*: Licèt enim hæc obiecta non possint simul deficere, aut existere in tempore posteriori; at in tempore præsenti omnia deficiunt simul. Modo enim non datur: *Futuritio formalis peccati*: quia neque datur peccatum, neque eius duratio posterior, & cum his identificatur futuritio formalis peccati ex num. præcedenti; neque datur modo, *futuritio formalis carentiæ peccati*; quia futuritio carentiæ, vltra carentiam ipsam, includit durationem posteriorem eiusdem carentiæ, & hæc posterior duratio, neque datur modo, vt patet: imò neque postea danda est, cum supponamus, carentiam non esse postea exituram; sed exiturum esse peccatum. Neque datur modo: *Peccatum existere postea*, cum nec detur peccatum, nec illud *postea*, scilicèt duratio posterior. Nec datur modo: *Peccatum non existere postea*, cum nihil detur nunc oppositum cum eo, quod pecatum postea existat.

75. Iam ad argumentum respondetur facile. Nego primam minorem, & minorem probationis. Ad probationem huius, nego antecedens; & absurdum sub illatum. Ad huius probationem, distinguo antecedens: Tàm, & eodem modo opponuntur contradictoriè futuritio peccati, & futuritio ca-

rentiæ, quam peccatum ipsum, & eius carentia, nego antecedens: Tàm diverso modo, scilicèt peccatum, & eius carētia opponitur absolutè, & illæ duæ futuritiones respectivè relatè ad solum tempus futurum, concedo antecedens: & concessa probatione ipsi subiuncta, quæ non est contra nos, nego consequentiam. Ad confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: Carentia futuritionis formalis peccati est adęquatè futuritio carentiæ peccati, nego: est adæquatè futuritio carentiæ peccati, concedo minorem, & nego consequentiam. Est dicere. Eo ipso modo, quo formalis futuritio peccati identificatur cum peccato, identificatur etiam cum carentia peccati futuritio formalis talis carentiæ: at cum formalis futuritio peccati partim solum identificetur cum peccato, partimque cum eius duratione in tempore posteriori, ex num. 73. hinc formalis futuritio carentię inadęquatè solum identificatur cum carentia, & inadæquatè cū duratione posteriori eiusdē carentiæ. Cumque hæc duratio posterior carentiæ non existat in tempore præsenti, in quo carentia existit, non existit, sed potius deficit in tempore præsenti formalis futuritio carentię peccati, in quo tempore etiam deficit formalis futuritio peccati, vt iam est ostensum. Idque accidit sine vllo inconvenienti: nam illæ duæ futuritiones cum constituantur inadæquatè per durationes posteriores inter se oppositas relatè solum ad tempus posterius, hinc tales futuritiones relatè solum ad tempus posterius opponuntur, & à tempore præsenti possunt deficere simul. Non sic accidit in Petro, & eius carentia, quæ non opponutur præcisè relatè ad tempus posterius; sed etiam relatè ad tempus præsens, & præteritum. Vndè si nūc deficiat vnum, debet nunc existere aliud.

76 Objicies 6. Vt hæc propositio, *Peccatum Petri est futurum*, sit nunc, & de præsenti determinatè vera, debet habere aliquid de præsenti, quo careret de præsenti si esset falsa: sed hoc præsens, quod habet propositio, quando est vera, & quo careret si esset falsa non potest esse aliud, quam connexum cum peccato postea futuro: ergo ea propositio est nunc determinatè vera ab illo connexo. Minor est certa. Nam propositio, quæ nunc existit, & est vera, eadem ipsa existeret, quando esset falsa: peccatum verò, quod non existeret, si esse falsa propositio, non existit de præsenti nunc, quando est vera: Quare si aliquid debet existere de præsenti, vt sit vera, quod si esset falsa deficeret de præsenti; illud neque est

est actus, neque peccatum, ac proindè debet esse illud connexum cum peccato. Maior autem probatur. Propositionem illam esse nunc determinatè veram, de præsentique esse distinctam à se ipsa, vt falsa, est dari de præsenti constitutivum illius distinctionis propositionis, vt veræ, ab ipsa vt falsa: nam mirum erit, dari nunc illam distinctionem, quin detur nunc, & de præsenti id, quod talem distinctionem constituit: ergo vt sit nunc determinatè vera debet habere aliquid de præsenti, & nunc, quod non haberet si esset falsa. Confirmatur *primo.* Præter illud connexum, omne, quod de præsenti existit pertinens ad veritatem illius actus est solus actus, qui ex se non est potius verus, quam falsus: sed intrinsecè indifferens ad veritatem, & falsitatem: ergo, quod actus sit nunc, & de præsenti verus, potius quam falsus, & quod vt verus distinguatur nunc à se ipso, vt falso, non potest ipsi provenire à sua entitate. Aliundè hæc distinctio, nunc, & de præsenti existens in actu verò, non potest constitui per peccatū nunc non existēs: nam quod non existit nunc, non potest constituere distinctionem nunc, & de præsenti existētem: ergo illa distinctio, proindeque veritas actus, provenit à connexo illo existente de præsenti. Confirmatur *secundo.* Illud connexum est indispensabilitèr requisitum; tùm, vt postea existat peccatum: tùm, vt nos sciamus, esse verum actum enuntiantem peccatum esse futurum; ergo illud connexum constituit veritatem talis actus.

77 Ad argumentum valde familiare RR. Thomistis, & à P. Rivadeneyra constructum. Respondeo 1. per instantiam. Vt hæc propositio: *Papa est præsens Romæ*, sit hic Compluti determinatè vera debet habere aliquid hic Compluti, quo hic careret, si hic esset falsa; ergo Compluti debet esse aliquid connexum cum præsentia Romana Papæ, à quo talis propositio determinetur ad veritatem, & constituatur vera, potius quā falsa. Nam qua ratione Papa existens Romæ potest determinare veritatem propositionis existentis Compluti? Similitèr instantur confirmationes transferendo terminos distantiæ temporalis ad distantiam localem. Deindè respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. Nec mirum videri debet, propositionem illam, vt veram, constitui hodie distinctam à se ipsa, vt falsa per aliquid non existens hodie: sed exiturum postea: sicut mirum non est, diem hodiernum constitui hodie priorem die crastino per,

retinet, quam peccatum ipsum, & eius carentia; nego antecedens: Tam diverso modo; scilicet peccatum, & eius carētia opponitur absolutè, & illæ duæ futuritiones respectivè relatè ad solum tempus futurum; concedo antecedens: & concessa probatione ipsi subiuncta; quæ non est contra nos, nego consequentiam. Ad confirmationem, concessa maiori, distinguo minorem: Carentia futuritionis formalis peccati est adęquatè futuritio carentiæ peccati, nego: est adæquatè futuritio carentiæ peccati, concedo minorem, & nego consequentiam. Est dicere. Eo ipso modo, quo formalis futuritio peccati identificatur cum peccato, identificatur etiam cum carentia peccati futuritio formalis talis carentiæ: at cum formalis futuritio peccati partim solum identificetur cum peccato, partimque cum eius duratione in tempore posteriori, ex num. 73. hinc formalis futuritio carentię inadęquatè solum identificatur cum carentia, & inadæquatè cū duratione posteriori eiusdē carentiæ. Cumque hæc duratio posterior carentiæ non existat in tempore præsenti, in quo carentia existit, non existit, sed potius deficit in tempore præsenti formalis futuritio carentię peccati, in quo tempore etiam deficit formalis futuritio peccati, vt iam est ostensum. Idque accidit sine vllo inconvenienti: nam illæ duæ futuritiones cum constituantur inadæquatè per durationes posteriores inter se oppositas relatè solum ad tempus posterius, hinc tales futuritiones relatè solum ad tempus posterius opponuntur, & à tempore præsenti possunt deficere simul. Non sic accidit in Petro, & eius carentia, quæ non opponuntur præcisè relatè ad tempus posterius; sed etiam relatè ad tempus præsens, & præteritum. Vndè si nūc deficiat vnum, debet nunc existere aliud.

76 Objicies 6. Vt hæc propositio, *Peccatum Petri est futurum*, sit nunc, & de præsenti determinatè vera, debet habere aliquid de præsenti, quo careret de præsenti si esset falsa: sed hoc præsens, quod habet propositio, quando est vera, & quo careret si esset falsa non potest esse aliud, quam connexum cum peccato postea futuro: ergo ea propositio est nunc determinatè vera ab illo connexo. Minor est certa. Nam propositio, quæ nunc existit, & est vera, eadem ipsa existeret, quando esset falsa: peccatum verò, quod non existeret, si esse falsa propositio, non existit de præsenti nunc, quando est vera: Quare si aliquid debet existere de præsenti, vt sit vera, quod si esset falsa deficeret de præsenti; illud neque est

est actus, neque peccatum, ac proindè debet esse illud connexum cum peccato. Maior autem probatur. Propositionem illam esse nunc determinatè veram, de præsentique esse distinctam à se ipsa, vt falsa, est dari de præsenti constitutivum illius distinctionis propositionis, vt veræ, ab ipsa vt falsa: nam mirum erit, dari nunc illam distinctionem, quin detur nunc, & de præsenti id, quod talem distinctionem constituit: ergo vt sit nunc determinatè vera debet habere aliquid de præsenti, & nunc, quod non haberet si esset falsa. Confirmatur *primo*. Præter illud connexum, omne, quod de præsenti existit pertinens ad veritatem illius actus est solus actus, qui ex se non est potius verus, quam falsus; sed intrinsecè indifferens ad veritatem, & falsitatem: ergo, quod actus sit nunc, & de præsenti verus, potius quam falsus, & quod vt verus distinguatur nunc à se ipso, vt falso, non potest ipsi provenire à sua entitate. Aliundè hæc distinctio, nunc, & de præsenti existens in actu verò, non potest constitui per peccatū nunc non existēs: nam quod non existit nunc, non potest constituere distinctionem nunc, & de præsenti existētem: ergo illa distinctio, proindeque veritas actus, provenit à connexo illo existente de præsenti. Confirmatur *secundo*. Illud connexum est indispensabilitèr requisitum; tùm, vt postea existat peccatum: tùm, vt nos sciamus esse verum actum enuntiantem peccatum esse futurum; ergo illud connexum constituit veritatem talis actus.

77 Ad argumentum valde familiare RR. Thomistis, & à P. Rivadeneyra constructum. Respondeo 1. per instantiam. Vt hæc propositio: *Papa est præsens Romæ*, sit hic Compluti determinatè vera debet habere aliquid hic Compluti, quo hic careret, si hic esset falsa; ergo Compluti debet esse aliquid connexum cum præsentia Romana Papæ, à quo talis propositio determineiur ad veritatem, & constituatur vera, potius quā falsa. Nam qua ratione Papa existens Romæ potest determinare veritatem propositionis existentis Compluti? Similitèr instantur confirmationes transferendo terminos distantiæ temporalis ad distantiam localem. Deindè respondeo, negando maiorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. Nec mirum videri debet, propositionem illam, vt veram, constitui hodie distinctam à se ipsa, vt falsa per aliquid non existens hodie; sed exititurum postea; sicut mirum non est, diem hodiernum constitui hodie priorem die crastino per,

per ipsum crastinum diem, non existentem hodie; sed existiturum cras: & sicut non est mirum, hunc actum: *Papa existit Romæ*: esse verum Compluti à præsentia Romana Papæ non existente Compluti, sed Romæ. Et ratio à priori est. Quia actum esse hic, nunc, & de præsenti verum, præ falso, præcisè consistit in eo, quod actus hic, & nunc, & de præsenti, repræsentet obiectum, ipsumque depingat ea ipsa ratione, qua est obiectum in se, cum eaque differentia temporis, & loci, quam obiectum in se habet. Nam hoc ipso actus, & obiectum erunt conformia, & similia, & in hac conformitate stat formalitèr veritas. Cum autem hi actus: *Papa existit Romæ*: *Petrus peccabit cras*: hic nunc, & de præsenti repræsentẽt sua obiecta, vt in se sunt, & cum ea differẽtia loci, & temporis, qua gaudent, primus est verus hic à Papa non existente hic: & secundus est verus hodie à peccato non existente hodie.

78 Ad primam confirmationem, concesso primò entimemate. ad minorem subsumptam, vel nego suppositum, vel distinguo sic: distinctio nunc existens physicè in actu verò non potest ipsi provenire à peccato non existente physicè nunc; concedo: distinctio nunc existens virtualitèr, & æquivalentèr, in actu verò non potest provenire ipsi à peccato non existente nunc, nego minorem, & consequentiam. Est dicere, *vt verus*, & vt distinctus à se ipso, vt falso, non dicit præcisè actum de se indifferentem ad veritatem, & falsitatem; sed addit vlterius obiectum se habens in se, sicut repræsentatur ab actu. Vndè adæquata distinctio actus, vt veri ab actu, vt falso, est complexum ex actu, & ex obiecto dicto modo se habente: neque alio modo existet nunc illa distinctio, ac existit hoc complexum: cumque tale complexum non existat physicè nunc quoad omnes eius partes; quippe nunc nõ existit physicè peccatum, indè illa distinctio adæquatè physicè non erit nunc. Existit tamen virtualitèr & æquivalentèr; nam peccatum nunc physicè deficiens, existit nunc æquiualentèr, & virtualitèr in ordine ad denominandũ verum hunc actum: *Peccatum est futurum*: quia in ordine ad hoc perindè se habet peccatum existens postea, ac si nunc physicè existeret; sicut in ordine ad denominandum verum Compluti hunc meum actum: *Papa existet Romæ*, perindè se habet Papa Romæ existẽs, ac si existeret Compluti. Ratio est iam data in fine numeri præcedentis, & sæpè in superioribus.

76 Ad secundam confirmationem, concesso antecedenden-

denti; nego consequentiam. Nam quod modo debeat existere scientia divina de futuro peccato, divinum decretum, vel quodvis aliud connexum cum eventu futuro postea, non provenit formalitèr ex eo, quod peccatum non existeret postea, si tale connexum non daretur nunc, nec illud connexum est formalitèr loquendo, necessarium, vt vera sit modo propositio nostra enuntians eventum futurum: nam quamvis nihil connexum existeret, propositio esset vera eo præcisè, quod talis eventus in tempore futuro existeret. Quare, quod talia connexa nunc, & de præsenti existant ex alio capite provenit, nempè ex immutabilitate intellectus, & voluntatis Dei, qui non potest in tempore concipere sciẽtias, aut decreta, quæ non concipit ab æterno. Quod autem nos non sciamus an sit vera, vel falsa hæc propositio: *Petrus peccabit cras* sine revelatione Dei connexa cum eo peccato, non probat eam revelationem constituere veritatem eius propositionis: sed necessariam esse ad detegendam nobis veritatem aliundè iam constitutam ex actu, & peccato ipso cras futuro. Quare valdè diversum est, quid requiratur formalitèr ad veritatem huius actus de futuro: *Petrus peccabit cras?* Et quid requiratur, vt nos reflexè sciamus, talem actum esse verum? Et fortalsis confundere hęc duo fuit pluribus ex Adversarijs radix æquivocationis. Ad primum vnicè requiritur, actum nunc, & peccatum cras existere. Ad secundum requiritur quidem revelatio divina, independentèr à qua res futuras ignoramus. Sed in hoc quid contra nos?

DISPVTATIO VIII.

De voluntate, & eius actibus.

Voluntas definitur: *Potentia appetitiva spiritualis.* Convenit voluntas per priora verba cum potentia sensitiva, & appetitiva brutorum, quæ per actus proprias in sua obiecta feruntur. Differt per ly *spiritualis*: quia voluntas, secus bruta, per actus spirituales attingit sua obiecta, & ita, vt præcognita obiecti bonitate per cognitionem, feratur per volitionem in ipsam iuxta illud Augustini: *Amor meus pondus meum illo feror, quocumque feror*: quia videlicè amor ipse, seu terminus amoris propensio est voluntatis in obiectum. Terminus actionis voluntatis est qualitas, quæ pon-

pondus in obiectum nominatur qua vnita voluntati in genere causæ formalis ipsam inclinat ad bonitatem, quasi amat. Amor autem iuxta dicta disputatione 2. huius libri formaliter adæquatè stat in actione physica voluntatis qua producit, sibique vnit qualitatem ponderis. De incompossibilitate amoris efficacis & odij efficacis, constat ex dictis disput. 4. circa incompossibilitatem assensus, & dissensus. Restat breviter agendum de alijs ad voluntatem spectantibus; remisis ad Theologiam pluribus, vbi per otium tractantur ab Authoribus.

SECTIO I.

De obiecto voluntatis, & divisione actuum ipsius.

1 Duplex est actus voluntatis, quorum quilibet sub se continet alios, ad quos, vt genus comparatur. Primus est *amor*, qui prosequutio obiecti, & coniunctio affectiva voluntatis cum obiecto dicitur. Secundu; est *odium*, quod etiam vocatur fuga voluntatis ab obiecto. Per actus amoris tendit voluntas in bonum reale, vel apparens; per actus odij tendit in malum reale, vel apparens. Vndè obiectum adæquatum voluntatis est bonum, vel malum reale, vel apparens: hoc est per actus intellectus prævios, vel saltem concomittantes ordine naturæ, propositum tanquam bonum, vel malum. Bonum aliud est absolutum, videlicèt, quo res in se est bona, & hęc bonitas non distinguitur ab essentia, & integritate prædicatorum rei. Malum absolutum negatio est eius integritatis. Aliud est bonum convenientiæ, videlicèt, quod bonum est non solum in se, & respectu sui; sed respectu alterius.

2 Bonum convenientiæ est triplex. *Honestum*, quod ratione sui consonum est naturæ rationali, vt operanti iuxta regulas rationis; hoc bonum dicitur morale, quia ipsius amor spectat ad bonos mores. *Vtile*, quod conducit ad aliud consequendum. *Delectabile*, quod ratione sui excitat, vel excitare potest delectationē amanti. Hęc omnia in eodē subiecto coniungi possunt; actus enim misericordiæ erga pauperes in se honestus est item vtilis ad consequendā gloriam, estque delectabilis, quia voluntatē movet, vt percipiat delectationem, & iucunditatē de ipso. Bonum honestum, & vtile solius voluntatis obiectum est: quia potētię appetitivæ materiales incapaces sunt honestatis, & propter finem operandi. Bonum verò delectabile obiectum cōmune est cuiuscumque potentiæ appetitivæ. Triplici

bono

bono enumerato, triplex opponitur malum: *inhonestum*, scilicèt *inutile*, & *iniucundum*, seu molestum.

3 Inquiritur hic: An bonum absolutum sit obiectum voluntatis? Seu quod est idem: An voluntas possit amare bonum absque respectu ad aliud, cui sit conveniens? Negant alij apud Oviedo controv. 8. & alij affirmant cum ipso, quibus, & ego subscribo: Tùm quia bonitas absoluta bonum aliquod est: proindèque movere potest voluntatem ad amorem, & si nulla appareat eius convenientia ad aliud subiectũ: Tùm quia affectu perfectæ charitatis possum bonitatem divinam, quæ in se bona est, diligere nullo habito respectu ab bonitatem convenientiæ, qua mihi, aut ipsi Deo bona est. Tùm quia in naturalibus rebus invenitur sæpius pulchritudo, de qua sæpè complacemus; quia talem proportionem habet partium, & colorum nulla attenta convenientia ipsius ad aliquod subiectum: ergo bonum absolutum, prout distinctum, seu præcisum à bono cõvenientiæ, est obiectum voluntatis.

4 Amor dividitur *in desiderium, gaudium, & amorem strictum*. Desiderium est actus, quo voluntas tendit in bonũ, vt consequendum, qui amor ex suo modo tendendi petit, quod bonum non cognoscatur possessũ pro signo desiderij: si enim pro illo signo cognosceretur possessum imprudenter illud desideraret voluntas; cæterum nõ obest desiderio, quod in eodem instãti bonum possessum sit, cum ipsum desiderium sæpè sit causa sua efficacia bonum inducens. Desiderium est efficax, quando determinat voluntatem ad acquirendum bonum; & inefficax quod non determinat, sed præcisè inclinat. Desideriũ aliud est intentio, quæ efficax, & inefficax potest esse; aliud electio. Sed de intentione, & electione egimus in physica disputatione de causa finali. Desiderio opponitur fuga, & odium mali imminentis. Erit odium efficax, quando determinat voluntatẽ ad evitandum malum, & inefficax quando non determinat.

5 Gaudium est actus, quo voluntas fertur in bonum vt possessum, hoc est, quod possessum, & præsens cognoscit in signo gaudij. Gaudio opponitur tristitia, & dolor, de malo præsenti. Amor strictus est actus, quo voluntas placet, & tendit in bonum divisim ex modo tendendi ab eo, quod absens, vel præsens sit. Huic amori opponitur simplex displicentia mali. Rursus dividitur amor in *spem*; quæ est *desiderium efficax boni ardui, vt obtinendi ab alio*. Est desiderium efficax; quia determinat voluntatem ad

ratio respectu voluntatis, est cognitio proponens ipsi bonitatum amandam: ergo indiget aliquo modo cognitione, vt amet. Sed est difficultas. Qualis debeat esse ista cognitio? Dico *primo*. Pro amore simplicis, cōplacētiæ sufficit simplex apprehensio bonitatis obiecti. Probatur: circa sæpè complacet voluntas circa obiecta cognita sibi imposibilia, vt circa dignitatem Reginam, & similia: sed horum obiectorum nulla alia est cognitio, quam simplex apprehensio: ergo hæc sufficit pro amore simplicis complacentiæ.

9 Dico *secundò*. Ad desiderium, & amorem efficacem obiecti regularitèr requiritur iudicium, saltem probabile, de futuritione ipsius. Patet. Nam potentia rationalis, qualis est voluntas temerè, & imprudentèr desideraret consequi, quod imposibile iudicat, vel saltem, quod non cognoscit probabilitèr eventurum medijs suis actibus. Cæterum absolutè potest voluntas, quantum est de se, desiderare bonum absque eo iudicio. Nam quid prohibet, voluntatem temerè, & imprudentèr intendere bonum, quod, qua tale, præcisse proponitur per apprehensionem? Imò si vera est sententia assentium, Luciferum appetijsse æqualitatem cum Deo, intentio illa eorum ducit ex sola apprehensione eius æqualitatis. Dico *tertio*. Voluntas potest amare obiectum cognitum, vt imposibile per actum efficacem conditionatè; hoc est actu, quo ita in illud obiectum efficiatur, vt si posibile appareret, determinaret ad exequtionem mediorum pro ipsius consequutione. Quia in hoc nulla est repugnantia.

10 Dicò *quarto*. Pro nullo amore necessarius est actus intellectus, qui à Thomistis, *imperium intellectuale* vocatus, distinctus ab appræhensione, & iudicio, & discursu, qui his vocibus explicatur: *fac hoc*. Probatur *primo*. Supposito iudicio proponente voluntati obiectum amandum, superfluus omninò est ille actus: siquidem per iudicium propositam iam habet voluntas rationem invitantem ad amorem, quam propositionem immediatè potest subsequi amor ex determinatione voluntatis. *Secundò*. Omnis actus intellectus est cognitio, & omnis cognitio, aut apprehensio, aut iudicium, aut discursus est, iuxta Philosophos in tres istas species dividentes cognitionem: sed imperium illud nulla ex his cognitionibus est: ergo non est actus intellectus. *Tertio*. Hoc imperium, iuxta

Thomistas, connectitur essentialiter cum amore voluntatis: ex quo arguo sic. Posito imperio connexo essentialiter cum amore, non potest voluntas omittere amorem omissione coniuncta cum imperio; sed neque potest amorem omittere omissione divisa ab imperio: ergo nullo modo; proindeque nullus actus voluntatis erit liber; siquidem, iuxta hanc sententiam, omnis ex imperio, ex necessitate procedit.

11 Maior est evidens ex terminis. Minor probatur Nequit voluntas impedire, aut tollere imperium: sed hac solum ratione posset ommitere amorem omissione divisa ab imperio: ergo nequit omittere amorem in sensu diviso imperij. Maior probatur. Hoc imperium non existit pro determinatione voluntatis; alias ante actum, quo voluntas determinavit illud imperium praecessisset aliud, & aliud ante actum determinantem hoc, & sic in infinitum; siquidem, iuxta adversarios, ad omnem voluntatis actum praecedere debet imperium: ergo hoc imperium existit omnino independenter à determinatione voluntatis. Quod, autem, sic existit nequit à voluntate impediri *Quarto* rejicitur hoc imperium omnibus eis rationibus, quibus in Physica rejicimus praedeterminationem ad actus voluntatis.

Dices. Voluntas est indifferens ad amorem, & eius carentiam: ergo determinari debet ab alio ad amorē, idque non erit aliud, quam illud imperium. Respondeo, voluntatē, vtpote domina suorum actuum sua libertate se determinare ad amorē aut carentiā amoris, dū propositas habet ab intellectu rationes invitantes ad vtrumvis.

12 Secunda difficultas est. An cognitio influat efficientèr physicè in amorem? Communis, & vera sententia est cum P. Alphonso disp. vltima, & P. Oviedo controv. 8, solum influere moralitèr, aut per modum conditionis applicantis, quatenùs voluntati applicat intentionalitèr bonitatē amandam. Probatur *primo*. Quia ideò voluntas indiget cognitione ad amorem, quia impotens naturalitèr est prodire in amorem obiecti non cogniti? sed hoc non aliud munus probat in cognitione, quam conditionis, & applicationis intentionalis, quod per ipsam, & per sui informationem praestatur in genere causae formalis: ergo sinē fundamento tribuitur cognitioni maior influxus in amorē, quam purè moralis. *Secundò*. Quia posita cognitione bonitatis voluntas ex se libera est ad amorem boni praevisi, aut ad odium obiecti praevisi mali: ergo cognitio, non vt principium physicum; sed vt pura

pura conditio intentionalis conducit ad amorem. Quo modo autem cum hoc stet, speciem impressam activè concurrere ad actum præsupponentem ipsam, constat ex lib. 1. d 6.

13 Objicies 1. Verbum Divinum activè producit cum Patre tertiam Personam Trinitatis: ergo nostrum verbum, quod cognitio est, aut cognitionis terminus activè producit amorem. 2. Notitia procedit à potentia, & obiecto: ergo amor à potentia, & notitia. 3. Amores distinguntur iuxta distinctionem specificam cognitionum præcedentium: ergo ab illis procedunt efficientèr 4. Amor quatenus amor à potentia procedit, & quatenus talis obiecti, à notitia talis obiecti: sicut notitia, quatenus talis obiecti, procedit ab specie, vel phantasmatè talis obiecti: ergo notitia, seu cognitio producit physicè amorem.

14 Ad *primum*. Nego consequentiam. Disparitas sumenda est ex rationibus Theologicis probantibus, verbum simul cum Patre constituere vnum principium spirativum tertiæ personæ quæ rationes respectu amoris creati non urgent. Ad *secundum*. Nego consequentiam propter disparitatem datam disput. citata, & hic in nostra probatione. Ad *tertium* absque influxu physico cognitionis stat distinctio specifica amoris per ordinem ad ipsam; quia amor est actio se ipsa alligata suis principijs physicis, & moralibus; proindeque iuxta diversitatem cognitionū, quæ principia moralia sunt, habent in specie distinctum modum tendendi: sic conclusiones specie distinguuntur, iuxta diversitatem specificam præmissarum à quibus non physicè, sed moralitèr procedunt, iuxta disputationem tertiam. Ad *quartum*. Amor, adhuc quatenus talis obiecti, à sola voluntate effectivè procedit: quia ipsa potest se determinare ad amandam talem numero bonitatē, quam cognoscit.

15 Tertia difficultas est. Quanta necessitate requiratur cognitio ad amorem? Dico 1. Requiritur naturalitèr, vt voluntas amet. *Primo*. Quia, iuxta communem sententiam; *nihil volitum, quin præcognitum*: quod saltem probat cognitionem ex natura rei requiri ad amorem. *Secundò*. Quia voluntas potentia cæca, nequit se absque prævia luce ad aliquid movere: lux autē voluntatis est cognitio. *Tertio*. Quia cognitio est applicatio intentionalis obiecti ad voluntatē: sicut approximatio localis est applicatio physica agentis ad passum: ergo sicut ex natura rei nequit agens physicum agere absque applicatione physica, stante in approximatione locali; ita ne-

nequit agens intentionale, qualis est voluntas, absque applicatione intentionali stante in cognitione agere intentionalitèr.

16 Dico 2. De potentia absoluta potest voluntas amare bonitatem, quam non cognoscit. *Primo*; quia, ex argumentorum solutione constabit, hoc nullam esse implicationem. *Secundò*: quia cognitio, ex dictis, solum est applicatio intentionalis obiecti: sed de potentia absoluta potest voluntas operari absque applicatione intentionalis; sicut agẽs physicum absque applicatione physica; ergo de potentia absoluta potest amare incognitum: *Tertio*. Quia licèt voluntas ex natura sua impotens sit ex propria determinatione amare obiectum, ex parte cuius non appareat per cognitionem aliqua ratio invitans, & alliciens ad amorem, quid prohibet Deum determinare voluntatem, vt feratur in obiectum ex parte cuius nulla ratio alliciens proponitur per cognitionem? Vbi adverte idem dicendum, etsi cognitio activè concurrat ad amorem: quia Deus supernaturalitèr operando etiam supplere potest efficientiam comprincipij physici,

17 Objicies 1. Saltem non poterit voluntas, adhuc supernaturalitèr, sine cognitione amare obiectum non existens; quia alias posset ferri voluntas in obiectum, neque existens physicè, neque intentionalitèr, quod est impossibile. Respondeo, voluntatem posse ex determinatione Dei ferri in obiectum nullo ex his modis existens: quia supernaturalitèr potest Deus supplere existentiam intentionalem, vt intendit nostra conclusio, & existentia physica, apud omnes, necessaria nõ est. Objicies 2. Amor essentialitèr pendet à cognitione: ergo non potest voluntas amare obiectum non cognitum. Antecedens probatur *primò*. Quia obiectum voluntatis est bonum cognitum. *Secundò*: quia voluntas est potentia cœca, & solum potest duci à cognitione bonitatis. *Tertiò*. Quia amor, iuxta nos, stat adæquatè in actione procedente à cognitione, & voluntate; sed actio essentialitèr pendet à suis principijs: ergo, & amor à cognitione. *Quarto*: quia quivis amor essentialitèr est voluntarius: voluntarium autem est: *quod procedit à principio intrinseco cum cognitione*. *Quinto*. Actus liber essentialitèr involuit, aut supponit cognionem; sed amor ad est actus liber; ergo nequit sine cognitione existere.

18 Ad argumentum, nego antecedens, ad primam probationem respondeo, obiectum voluntatis esse bonum cognitum specificativè sumptum, non reduplicativè, vt cog-

bilum: quia cognitio, ex dictis, solum est applicatio obiecti ad voluntatem. Ad secundum, cæcitas voluntatis probat, non posse ex natura rei moveri ad bonum, quod non cognoscit; non verò non posse de potentia Dei; siquidem munus applicationis, quod exerceret cognitio, potest à Deo suppleri. Ad tertium: amor qui procedat à cognitione, non potest ab illa non procedere, vt benè probatur; sed intendo probare possibilem esse amorem procedentem à voluntate, & Deo supplente vices, quas circa alios amores præstare solet cognitio. Ad quartum. Amor dicitur voluntarius; quia essentialitèr procedit à voluntate cognoscente, aut potente cognoscere bonitatem obiecti. Ad quintum. Actus liber, vt talis, supponit essentialitèr cognitionem; at non omnis actus liber est intrinsecè liber, vt verius iudico cum pluribus relatis à P. Rivadeneyra, disput. 18. de Actibus humanis. *Secundò.* Esto omnis actus liber sit intrinsecè liber, probabit opposita ratio, voluntatem per actus liberos non posse ferri in incognitum; non tamen per actus necessarios. Et hoc verissimum est: quia voluntatem liberè amare est formalissimè eligere bonitatem, quam amat, & eam suæ carentiæ, & alteri bonitati præferre: electio autem vnius sive prælatio impossibilis est sine cognitione.

SECTIO III.

Vtrùm voluntas possit amare malum, vt malum, & odisse bonum, vt bonum?

19 QVæstio procedit, tàm ex natura rei, quam de potentia absoluta. Ex natura rei non posse voluntatem amare malum cognitum præcisè, vt malum, contra non nullos defendit communis sententia. Dico 1. cum P. Vazquez 1. 2. disput. 35. & ferè omnibus nostris, voluntatem non posse amare malum, vt malum ex natura rei, neque odisse bonum, vt bonum. Stat expressè pro hac sententia Aristoteles lib. 3. Ethicorum, cap. 4. text. 23. vbi ait: *Nam si sit affectabile* (hoc est amabile) *erit continuò bonum.* Et lib. 8. cap. 2. text. 3. *Non enim omne, quodvis amari videtur; sed ipsum amabile, hoc est, aut bonum, aut iucundum, aut vtile,* Idem habet cap. 5. eiusdem libri text. 25. Idem docent D. Dionysius de Divinis Nominibus, cap. 4. D. Anselmus lib. de Concordia liberi arbitrij. Et clarius D. Thomas 1. p. quæst. 19. artic. 6. & quæst. 62. artic. 8. vbi ait: *impossibile est, quod aliquod malum, in quantum huiusmodi, appetatur.*

20 A ratione probatur. Nequit voluntas ex natura rei amare, quin ex parte obiecti detur aliqua ratio alliciens voluntatem ad amorem: sed ea ratio nulla alia patest esse, quam bonitas præcognita: ergo nequit ex natura rei amare obiectum, quod vt purè malum cognoscit. Minor est certa: quia potentia rationalis, qualis est voluntas, operari non potest, quin aliquam rationem obiectivam possit dare interroganti, cur operetur? Minor probatur. Ea ratio esse non potest malitia obiecti, alias rectè, & cordatè consuleremus amorem, dum voluntati solum malitiam obiecti proponeremus; quod quis credat? ergo ea ratio debet esse obiecti bonitas proposita voluntati per cognitionem. Confirmatur. Bonum ita est obiectum prosecutionis voluntatis; sicut verum est obiectum assensus intellectus; sed nequit intellectus ex natura rei assentiri obiecto, quod purè proponitur, vt falsum, vt diximus disp. 4. ergo nequit voluntas ex natura rei amare obiectum: quod purè proponitur, vt malum. Eadem ratione probandum est, voluntatem non posse odisse obiectum, quod purè proponitur, vt bonum.

21 Objicies 1. Per odium inimicitiæ volo malum inimico, quatenus ipsi malum: nulla proposita ratione boni: ergo potest voluntas amare malum, vt malum. Antecedens probatur. Si per odium inimicitiæ volo malum inimici, & non præcisè, quia ipsi malum: sed quia mihi bonum, actus ille non esset inimicitiæ; sed concupiscentiæ mei: ergo per odium inimicitiæ volo malum inimico, quatenùs ipsi malum, nulla proposita ratione boni. Confirmatur *primò*. Per amorem amicitiæ volo amico bonum, quia præcise ipsi, non quia mihi bonum est ergo per odium inimicitiæ volo malum inimici, quia præcisè ipsi malum est. *Secundò*: quia Dæmones per odium inimicitiæ erga homines amāt, ipsis mala, quin in eis malis aliquam rationem boni possint invenire sibi. *Tertio*. Quia actus, quo filius vult mortem malam Patri, quia sibi bonam vt hæreditatem capiat, esset odium inimicitiæ, quod est falsum,

22 Nego antecedens argumenti. Ad probationem, nego antecedens: Vt enim actus sit inimicitiæ, sufficit velle malum alteri, quia ipsi malum, licèt simul ipsum malum velim, quia mihi bonum apparet ipsum malum: imò perfectissima, vt sic loquar

quar; erit inimicitia ille actus, quo vt bonum meum, prosequor aliquod malum alteri. Neque actus ille erit concupiscentia mei: quia hæc concupiscētia mei tendit in meum bonum præcisè, quia meum bonum est. Ad primam confirmationem. Respondeo *primo*. Concesso antecedenti, negando consequentiam: Propter disparitatem, quam rectè assignat P. Oviedo controv. 8. numero 7. videlicèt, me rectè posse amare amico bonum, quod ipsi, & mihi bonum est, quin tamen ipsum velim per eum actum, vt bonum mihi: quia non teneor per omnes meos actus mihi bonum amare. Hoc autem ipso, quod ego possum velle bonum alteri, & non mihi, lex amicitię petit, vt dū prosequor amico bonum, ipsum velim, quia ipsi bonum ex complacentia in ipso amico; at cum nequeam aliquid velle, nisi sub aliqua ratione boni, nequeo per inimicitiam velle inimico malum ex displicētia in ipso, quin in ipso malo inimicitiæ aliquā bonitatem inveniam mihi, aut alteri amandam. Hoc odium inimicitiæ constituitur per hoc quod est: *Velle inimico malum ex displicentia in ipso*; licèt per hunc ipsū actū amem mihi aliquod bonum, videlicèt ipsum malum inimici, quod reputo mihi bonum: quia ipsi inimico malum.

23 Respondeo *secundo*. Etiā futurum actum amicitiæ, actum quo volo amico bonum, quia ipsi bonum, si reputem, bonum meum esse, quia bonum amici est, quod ipsi bonnm est: si enim per eum affectum reputem inter mea bona bonum amici, quia illi bonum, ipsumque ipsi esse bonum, iudico bonum meum, quæ perfectior amicitia esse potest? Distinguitur hic actus à concupiscentia; quia per hanc bonum meum præcisè, quia mihi bonum est, diligo. Ad secundam probationem. Dæmones non amant nobis mala, quin ipsis aliqua propria bonitas, saltem apparentèr proponatur in nostris malis; Ad tertiam, nego assumptum. Quia actus inimicitiæ, vult malum alterius ex displicentia in ipso: Filius autem, non vult mortem Patri ex displicentia in persona Patris; sed ex amore proprio sui, & suæ commoditatis. Quod si vult mortem Patris ex displicentia in ipso Patre, actus ille erit odium inimicitiæ.

24 Objicies 2. Sæpè amamus propriam mortem anihilationem, & carentiam aliarum rerum, in quibus nulla bonitas apparere potest: ergo amari potest malum, vt malum. Objicies 3. Amari possunt, & odio haberi obiecta indifferentèr proposita

ista, ita vt neque malitiam, neque bonitatem involvant: ergo vt voluntas amet, aut odio habeat non requiritur bonitatem, aut malitiam apparere. Antecedens probatur *primò*. Quia intellectus potest proponere voluntati obiectum absque vlla bonitate, & malitia, & voluntas per suos actus ferri potest in omne id, quod ab intellectu proponitur. *Secundò*: Quia sæpè obiecta plura habemus odio; quia in eis nullam reperimus bonitatem. Objicies 4: Voluntas sæpè amat aliqua impossibilia, vt talia, in quibus, vt talibus, nulla bonitas apparet: ergo potest amare obiecta nulla ratione proposita, vt bona.

15 Ad secundum respondeo. Præscindendo modo à constitutivo carentiarum, eas amari non posse, quin bonæ appareant ad aliud malum evitandum. Sic sæpè mortem appetimus, vt mala vitæ fugiamus. Ad tertium, nego antecedens. Ad primam probationem, nego, naturalitèr posse ferri voluntatem in omne id, quod proponitur ab intellectu, si quod proponitur obiectum non sit voluntatis. Ad secundam: Dum odio habemus obiecta, nullam habentia bonitatem, ideò est, quia inutilia, ideoque mala apparent, dum nullo modo apparent bona. Ad quartum argumentum respondeo verum esse voluntatem amare per simplicem complacentiam, imò per affectum etiam conditionatum impossibilia, sed ideò; quia sub aliqua ratione boni ipsi proponuntur.

16 Dico 2. Voluntas supernaturalitèr potest determinari à Deo, vt amet obiectū, quod purè, vt malum apparet. Idem dic de odio obiecti, quod purè apparet, vt bonum, dummodo non sit bonum honestum: quia circa hoc specialis difficultas est in Theologia exagitanda. Probatur cōclusio. Deficere cognitionem bonitatis obiecti, præcisè est deficere voluntati conditionē ad amorē obiecti: sed deficere voluntati conditionē ad amorē, licèt probet, nō posse volūtatē se ipsam determinare ad amorem, non probat non posse determinari à Deo potente determinare agentia creata, vt absque conditionibus ex parte naturæ requisitis operetur: ergo voluntas potest supernaturalitèr determinari à Deo, vt amet obiectū, quod purè, vt malū apparet. Confirmatur ex disp. 4. Licèt intellectus non possit ex propria sua determinatione assentiri obiecto evidentèr falso; potest tamen ex determinatione Dei: ergo licèt non possit voluntas, ex propria determinatione, amare obiectū, evidētèr malum & sub nulla ratione bonum, pote-

poterit ex determinatione Dei. Neque indè extrahetur voluntas à proprio obiecto formali; quippe obiectum formale voluntatis est bonum, verum, vel apparens, & obiectum, ad cuius amorem, dicimus, posse determinari à Deo, licèt non appareat bonum, sed malum, haberet tamen bonitatem saltem transcendentalem, quæ est obiectum formale voluntatis. Hinc: propositio malitiæ obiecti non excludit obiectum formale voluntatis; sed cognitionem bonitatis; quæ cognitio non est obiectum formale; sed obiecti formalis applicatio, & pura conditio, vt bonitas obiecti moveat.

27 Quæres. An voluntas possit odio habere malum absque amore boni oppositi? Respondeo sub conditione. Si enim malum sit positivum, & malum ratione sui, poterit odio haberi à voluntate absque amore boni oppositi: quia malum illud independentèr à bono, quod excludit, malum est, & quidquid est malum independentèr à bono, quod excludit independentèr ab illo potest odio haberi. Cęterum si malum sit privativum, hoc est carentia boni, quæ ideò solum mala sit; quia privat bono, non potest odio haberi, nisi præcedat amor boni. Si enim ego non amo bonum, cur odio habeo eius carentiam ex eo; quia bono privat? Siquidem de carentia boni non tristor, quando bonum non amo.

SECTIO IV.

De libertate voluntatis creatæ.

28 Libertas, alia est in *actu primo*: alia *in actu secundo*. Libertas *in actu secundo*, est exercitium libertatis, seu ipsa operatio libera. Libertas *in actu primò*, est ipsa potentia libera cum omnibus prærequisitis ad operandum liberè. Voluntatem nostram esse potentiam liberam fide divina constat. Nam Ecclesiastici cap. 31. dicitur: *qui potuit transgredi* (loquimur de homine iusto) *&* *non est transgressus, facere mala, &* *non fecit.* Et alibi id ipsum sæpè proclamat Sacra Pagina. Conveniunt testimonia Patrum, & Conciliorum, quorum veritatis, vel ipsa experientia nostrorum actuum evidentèr nobis probatur. Audi Concilium Senonense decreto 15. *Liberum arbitrium velut evidenti quoddam experimento cognitum omnium mentibus se se includat.* Pro Sanctis PP. sufficiat Magnus Athanasius lib. contra Gentes, vbi sic elegantèr: *Anima liberum suum ius, arbitriumque intuetur, sentitque se in vtramque partem corporis membris vti posse, tum ad ea quæ sunt; tum ad ea, quod non sunt.*

Vi-

Videamus igitur, quid sit potentia libera, vt indè clarius noscamus libertatem voluntatis creatæ.

29 Potentia libera est: *Quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, & non operandum, potest operari, & non operari.* Dicitur: *quæ positis omnibus prærequisitis.* Nam cùm requisitis subsequentibus operationem, sæpè non potest componi operationis carentia subsequitur enim ad actum liberum scientia visionis Dei de ipso actu incomponibilis cum ipsius carentia, & tamen ea scientia requisitum est, vt ponatur actus, iuxta dicta lib. 2. Physic. disp. 2. Non igitur requisita, sed prærequisita ad operationem coniungibilia sunt, & debent esse cum operatione, & eius carentia. *Potest operari; & non operari*, hoc est potentia libera cum prærequisitis ad actum. Clarius: complexum ex potentia, & prærequisitis constituentibus actum primum proximum ad operandum liberè, potest elicere operationem, & non operationem, ita vt totum illud complexum coniungibile sit sub disiunctione cùm operatione, & eius carentia.

3 Vndè scies *primò.* Non esse potentiam liberam ad actum, quæ ita non est in actu primo præventa, vt proximè sit potens actum ponere, & illum omittere. Scies *secundò.* Non debere esse proximè potentem ponere actum, & eius omissionem simul: quia hæc simultas implicatoria est ex terminis. Simul autem debet habere potestatem, vt pro suo placito ponat vnum è duobus, vel actum impediendo per ipsam omissionem, vel omissionem impediendo per ipsum actum. Hinc datur simultas potentiæ ad actum, & eius carentiam; sed non potentia ad simultatem actus, & eius carentiæ. Scies *tertio.* Adhuc in instanti amoris liberè excerciti habet voluntas potentiam ad omissionem amoris: quia in eo instanti amoris liberè exerciti existit *illius causa*, nempè libertas, quæ per potestatem ad amorem, & eius carentiam definitur.

31 Ex quibus omnibus fit. Hæc omnia prærequiri ex parte actus primi proximi, vt voluntas nostra sit libera. Primo requiritur cognitio obiecti amandi: quia alias non poterit voluntas pro sua determinatione elicere amorem, vt dicebatur supra. Et quidem requiritur cognitio, non solum alliciens voluntatem per propositionem bonitatis; sed alia, quæ vel proponendo aliquam malitiam in obiecto, vel difficultatem in amore, vel quid simile, retrahat voluntatem ab amore: quia nisi res ita se habeant, vo-

voluntas non erit proximè potens pro sua determinatione amare, & non amare. Secundò requiritur decretum applicativum omnipotentiæ; quia absque virtute Dei parata voluntati, vt cum ipsa immediatè operetur, non est in voluntate potentia proxima completa ad operandum. Constat id ex dictis in Physic. lib. 2. disp. 2.

32 Tertio requiritur carentia cuiusvis connexi cum actu, & in impedibilis à voluntate, & existentia cuiusvis necessarij ad actum, & in acquiribilis à voluntate, vt constat disput. citata de causis. Ideò vt voluntas sit in actu primò potens libere operari requiritur carentia omnis prædeterminationis ad actum, vel ad carentiam actus. Quia prædeterminatio ad vnum ex his extremis, & cum ipso connexa est, & in impedibilis à voluntate per oppositum: sed libertas essentialitèr constituitur per carentiam cuiuscumque extremi ita connexi cum aliquo ex ipsius exercitijs, vt in impedibile sit à voluntate per oppositum: ergo constituitur per carentiam omnis prædeterminationis. Minor probatur. Extremum connexum essentialitèr cum vno exercitio libertatis est impedimentum essentialitèr in coniungibile cum alio: ergo vt intelligatur potestas in actu primo expedita ad aliud, debet intelligi in signo libertatis, vel carentia eius impedimenti, vel potestas in voluntate ad illud auferendum. Sed implicat in terminis potestas voluntatis ad auferendum impedimentum essentialitèr impedibile ab ipsa, huiusque rationis est iuxta Thomistas prædeterminatio: ergo eius carentia, carentiaque proinde cuiuscumque extremi connexi cum vno exercitio libertatis, & inimpedibilis à voluntate per oppositum prærequiritur essentialitèr ex parte actus primi tamquam essentiale constitutivum libertatis.

33 Libertas in actu primo, alia est contrarietatis, alia est contradictionis. Libertas contrarietatis est potentia proxima ad actus oppositos. V. g. ad amorem, & odium. Libertas contradictionis est potentia proxima, & expedita ad terminos contradictorios; v. g. ad amorem, & eius carentiam. Rursus libertas alia dicitur moralis, alia physica. Moralis est potentia proxima, & expedita ad extrema bona, vel mala moralitèr, hoc est, consona, vel dissona rationi. Physica est potentia expedita ad extrema nullam habentia bonitatem,

aut

aut malitiam moralem. Plura alia, quæ de libertate, & de principijs proximis, & remotis liberorum actuum dici poterant ad Theologiam spectant, ideòque omittenda sunt nunc.

Hæc de Libris de Anima sufficiant dicta, quæ vtinam cedant in gloriam Dei Omnipotentis, & Sanctissimæ Mariæ absque Originali culpa conceptæ in primo suæ animationis instanti: Necnon in laudem Sacri Parentis Ignatij, & Indiarum Apostoli dilectissimi Xauerij quorum auspicis hoc opus inceptum, & finitum est.

(S)

FINIS

...exercitos, y padea-
os. En el año de 1706, y en
is Minas, Portuguès, y este
an; pero con vna grande di-
fructuosa abundancia Ma-
nado Rey, retirandose à So-
as Tropas llegavan à auycn-
io de 17[illegible]o. logrò la abun-
idad Madrid, cerrandose à
nducion de los granos. Bien

ia, es comun en las Sagradas
de Moyses à los doze Tribus
e vè en la maldicion de Elias
erit annis his ros, & pluvia:
y, no ay quien lo dude, pues
a insignia del dorado vello-
l Toyson de oro. De suerte,
vellozino la sequedad: *Fuit*
la abundancia del rocìo, por
o: *Et ros in omni terra;* pero
de nuestro Rey, la fertilidad
lo vellere fuerit. Y sufriò es-
osa: *Et in omni terra siccitas.*
e certificò el Cielo que des
de su Pueblo amado, quien
que de VANDOMA el nue-
es aunque en los años ante-
mandàr las Tropas, para af-
los precediessen las dos mys-

Ni aun falta la mayor circunstancia del mysterio para reconocer
al Señor Duque de VANDOMA por el GEDEON escogido. Ha-
llavase GEDEON para dàr la batalla al Enemigo, quando oyò à vn
Soldado aquel prodigioso sueño, de que vn ceniciento pan avia
baxado sobre el Exercito contrario, y le avia deshecho, y desba-
ratado todo: *Videbatur mihi quasi subcineritius panis ex hordeo vol-*
vi, & in Castra Madian descendere, cumque pervenisset ad Taber-
naculum, percussit illud, atque subvertit, & terræ funditus coæ-
quavit. A que respondio el otro Soldado a quien se referia el prodi-
gio: No es esso otra cosa sino la Espada de GEDEON, que destruye
el Exercito de Madian: *Non est hoc aliud nisi gladius GEDEONIS;*
tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia Castra eius.
Pues si era pan, como podia significar la espada? Porque era toda
mysteriosa la victoria. Era el pan ceniciento, figura del Sacramento
del Altar, y era la misma Espada de GEDEON; porque con la sa-
grada cuchilla del Sacramento se coronase GEDEON del mas Reli-
gioso triumpho. Clara està la aplicacion. A què vino el Señor Du-
que de VANDOMA? A castigar la detestable pertinacia con que
la execrable heretica perfidia vltrajò el inefable Altissimo Sacra-
mento, arrojando por los suelos el sagrado Cuerpo de Christo, co-
mo à pesàr de nuestras lagrimas, y quexas, lo executaron tantas ve-
zes sus sacrilegas barbaridades. Vino à desagraviar à Christo Sa-
cramentado; vino à cortar el desacato con su invencible azero: lue-
go esta *Espada* del Señor Duque de VANDOMA es *pan*, aunque es
espada; es el azero mysterioso de la Eucharistia, es *espada*, porque
hiere à los enemigos: *Non est hoc aliud nisi gladius GEDEONIS;* pe-
ro es *pan*, que venga sus agravios: *Subcineritius panis.* Es la *espada*
del Sacramento; es la *espada* del Divino triunfo; es la *espada* del
GEDEON Francès, que le publica nuevo GEDEON, porque mo-
viendo Dios los impulsos [illegible]

exceſſo panegyrico para eſte incomparable Heroe, que admirable la reverencia eſcogido por la Mano Divina, colocandole en el Templo de la Fama, no en las mudables eſtatuas de la fortuna, ſino en las incomprehenſibles deliberaciones de la providencia? No como Caudillo, veſtido de intrepidos naturales alientos, ſino como Campeon influydo de ſacros ſobrenaturales eſpiritus. No como adornado de humanas glorias, ſino como dotado de ſoberanas influencias. ¡Y no como vno de tantos proclamados Heroes, ſino como iluſtrado en el ſuperlativo de los fuertes. *Virorum fortiſsimè.*

Pues ya que logra eſte heroyco Principe el ſuperlativo de la fortaleza, veamos como excede à los mas valeroſos en eſta victoria, ſiendo en ſus generoſos afanes el mas fuerte de los Varones: *Virorum fortiſsimè.* Tres Caudillos celebra la Eſcritura, à quien entre todos ſe empeña mas en ſu alabança; que aunque aplaude à tantos por valeroſos, en la linea de Capitanes Redemptores del Pueblo, fueron eſtos los mas esforçados. Moyſes, Joſuè, y Sanſon; todos tres valientes, todos zeloſos, todos favorecidos; pero nueſtro Francès GEDEON excede à todos: pues dexando à parte ſus continuas proezas; ſus inceſſables hazañas, deſde que la pueril infancia bordò de laureles el campo de ſu heroyca Primavera, ſolo eſte myſterioſo no igualado triunfo, baſta para exaltarſe en aquel iluſtre exceſſo: pudiendoſe dezir lo de Marcial.

Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Hable por todas eſta ſuprema victoria; ſea la heroyca Recopilacion de ſu Auguſta fama: que aſsi como el Sol hiriendo en vn concavo criſtal, reduce à vn punto, eſtrecha à vn foco la radiante multitud de ſus brillantes rayos; aſsi eſte esforçado SOL de la Francia, recoge en la concavidad de los Yberios montes, cercanos al campo de eſta ſingular victoria de Ciſuentes, todos los ſono- [illegible] Veamos, pues, el ex-

ſignifica: *Litigans*: El que ...
ſenta al Exercito Enemigo, ...
pleyto. Componiale eſte Ex
otras varias Naciones. *Ma*
lium Nationum. Todo lo deſ
bant. Ni aun dexavan lo ne
omninò ad vitam pertinens re
dian ſus atrozes paſſos no ſe
quid tetigerant de vaſtantes
la coyunda del mas infimo
valdè in conſpectu Madian.
el Exercito de los Enemigos
do los ſuceſſos.

Clamò finalmente Iſrae
vit ad Dominum, poſtulans
amparo; imploraba el ſocor
vina con vn GEDEON del
con otro GEDEON France
que le aſsiſte Dios en ſus her
à Heroe mas fuerte entre to
rum fortiſsimè.

Pero aun hemos de enc
DEON las ſeñales Divinas
Pidiò GEDEON à Dios le
groſa que le conſtituya por
ron dos los prodigios que
realidad de ſus feliciſsimos
diverſos efectos en vn vell
El *vno* fue, quedar mojado
ſolo vellere fuerit, & in om

el Invicto ; amamando la So-
angrentado la Ambicion, y de
rà las cadenas en libertades;
s en triumphos; las Serpien-
ros Sacrificios ; y las Sirenas
decido à la generosa Redép-
nuevo GEDEON de la ley de
ssimè. Salve, ò tu el mas va-
go, Fortissimo entre todos

l Angel al escogido valeroso
providencia para conceder à
s que convienen al Serenissi-
; pues vemos que en la mas
GEDEON, se elige la Divi-
de su valòr, aliente los su-
yugo de los Enemigos so-
GEDEON Divino, se equi-

fortitudine tua, & libera-
misserim te. Vè en tu for-
Madian, y sabe que te em-
plo de Israel, se halla tan ca-
repetir las convinaciones;
o tan publicas ; y principal-
te de Madrid : pues si Israel
Sober na herencia : *Populus*
a Coronada Villa; formò la
andola debaxo de su Patro-
on de Atocha, à cuya mila-

§. I.

MOYSES.

POr Amado de Dios, y de los hombres, aplaude el Divino Espiritu à Moyses : *Dilectus Deo, & hominibus Moyses.* Dize el Eclesiastico : Tan raro como singular es este triunfo : pues la malicia de la naturaleza humana, le vsurpò este privilegio à la justicia, que como el agrado de Dios tiene por principal objeto la rectitud, siendo esta comunmente desdeñada de los mortales, por la natural propension à los deslizes, suele vestirse el traxe de desagrado para los humanos ojos, lo que es gala de cariño para los Celestiales afectos. O se ha de cumplir con el Cielo, ò con el Mundo ; y siendo tan encontradas las politicas, desde que la vil Serpiente infestò las idèas, no satisface al Cielo quien lisonjea al Mundo ; y se haze esquivo para el Mundo quien agrada al Cielo. Assi lo dize el mismo Christo : *Nemò potest duobus Dominis servire, aut vnum odio habebit, & alterum diliget.* Logrò afortunado Moyses el vencer esta lastimosa contrariedad, y nuestro grande Heroe el Señor Duque de Vandoma, se halla en el centro de esta fortuna : pues amado de Dios por sus religiosas heroycas virtudes, (de cuya observancia dà la experiencia los pregones) consigue al mismo tiempo conciliarse el afecto del Mundo, que al atractivo imàn de su afable generosidad, arrastra à todos con amante esclavitud, logrando para complemento de este lauro, que los Españoles, que en tiempos antecedentes, en las passadas guerras, le experimentaron contrario, oy le veneren, no solo como amigo, si no como deseado *Redemptor* glorioso, vinculando à sus meritos en el